


P. Corbinianus. OSB.
ad licentia Superioris
d. 11 Aprilis
1800.

CŒREMONIALE MONASTICUM

PRO

Inclyta Congregatione Benedictino-Polona

Sub Titulo SS. CRUCIS

ACCOMMODATUM,

Jussu & Auctoritate

Capituli Generalis

In Monasterio Tynecensi Celebrati

EDITUM,

Omnibus verò Monasteriis dictæ Congregationis

PRO METHODO

In Ecclesiasticis, & Monasticis functionibus, servanda

PORRECTUM.

ANNO

Quo, per Verbum Incarnatum facta est.


HæC MVtatIo DeXteræ eXCeLsI. *Psal: 76. v. 10.*

Pro Usu Patrum Monasterii Plocensis Ordis S. P. Benedicti ad S^m Adalbertum

AD 1793. Arce. D. 1771.

CALISSII

Typis Sacræ Regiæ Majestatis, & Rei-Publicæ.




Oſtendas populo Cæremonias, & ritum colendi, & opus quod facere debeant. *Exod: 18. 20.*

Hæc ſunt præcepta, & Cæremoniæ, atque judicia, quæ mandavit Dominus DEUS. *Deuteron: 6. 1.*

Cuſtodi præcepta Domini DEI tui, ac teſtimonia, & Cæremonias, quas præcepit tibi; & fac quod placitum eſt, & bonum in conſpectu Domini, ut bene ſit tibi. *Deuteron: 6. 17.*

Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de univerſis Cæremoniis Domûs Domini, & de cunctis Legibus ejus. *Ezechiel. 44. 5.*

Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant. *1. Cor: 14. 40.*





PERILLUSTRI
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO
JOSEPHO DAMIANO
SADOWSKI
Archi - Cænobii Tynecensis
BENEDICTINO.
Divinâ Vocatione Orłoviensi
ABBATI.
Congregationis Benedictino - Polonæ
PRÆLATO
Monasterii Koscielnensis
PRÆPOSITO.
Insignis Collegiatæ Calissiensis
CANONICO.
DOMINO DOMINO
Benefactori Singularissimo, Mecænati Amplissimo.

EPISTOLA DEDICATORIA.

FAcile multos invenire est, REVERENDISSIME DOMINE ABBAS Mecœnas Amplissime, eosque gravissimos Authores, qui, dum opera sua publicœ luci, ad communem cœterorum utilitatem, mandanda suscepissent, ea nonnisi sub Nobilissimorum,



Præstantissimorumque Virorum nomine prodire voluerint: Quod quidem non minus prudenter, quàm sapienter omnium fecerunt judicio, ea quippe re & beneficiorum non ingratos se declarârunt, ac etiam defectus, si qui forte in eorum scripta irrepserint, celebritate Nominis contexerunt. Hinc postquam & ego ex mandato Illustrissimi & Reverendissimi Definitorii Capituli Generalis Tynecensis, Libellum Sacrarum Cæremoniarum, uniformitatis gratiâ, in omnibus Congregationis nostræ Benedictino Polonæ Cœnobiis servandæ, Typis mandari decrevissem, Tuo illum nobilissimo Nomini dedicandum, consecrandumque proposui, ne, quorum sequor exemplum in uno, ab eorum vestigiis viderer recessisse in altero. Novi quæ Tua in me REVERENDISSIME DOMINE *benevolentiæ extant indicia, & quantum Tibi debeam pro beneficiis, quorum si cætera tacuero, hoc unicum non postremum vel singuli videre possunt, quod laborem huncce meum Tuam in tutelam susceperis; qua de causa certò mihi polliceri possum cæteris omnibus non injucundum fore, si Tui Nominis fulciatur authoritate. Tuæ igitur protectioni hoc exiguum opus meum committo, Tibi defendendum propono, nec timendum erit mihi, si fortè nonnulli reprehendant, dummodo Te acceptatorem, simul ac propugnatorem Li-*

bel-



bellus iste nanciscatur. Felicem profecto sortietur effectum, in publicam lucem prodiens hoc opusculum, Tuis sub auspiciis, quem natura ad omnem pietatem genuit, studium in omni præstantissimarum dotum pulchritudine fecit eximium, continua autem virtutum exercitatio ad omnem laudis evexit celsitudinem, ut planè nihil sit, quòd omnes ii, qui Te noverunt, in Te desiderent; quid verò imitentur, vel admirentur omnia possident. Nec mirum, ipsa namque primordia, à quibus nomen Benedictinæ Religioni dederas, eum Te futurum præsagiebant, quem modo agnoscimus. Hinc sensim profectum est, ut variis in suo Archi-Cœnobio perfunctus Officiis, Prioris demùm ac Custodis munus, omnium votis expetitus, precibusque victus suscipere sis coactus: quod Officium super Dominicum gregem quanta cum industria obieris, quanta tenueris cum vigilantia, quanta gesseris cum commoditate, quanta demum cum gloria perfeceris, quid prodest commemorare? cum vel ipsi parietes Cœnobii satis videantur attestari, dotes veró præstantissimas Pastori vigili debitas, vel ipsa virtutum multitudo, ac præstantia manifestè declarat: ut soli Tibi concessum videatur ex toto, quod Sanctissimus Legislator noster in Pastore desiderat. At perfectæ tuæ virtuti necdum par proponi potest præ-

mi-



mium, virtuti quippe in ſupremo gradu poſitæ májora ſemper ac ſemper debentur, quod vel omnes in Te videre poſſumus. Etenim cum in Paſtorali munere Cœnobii Tui, ob eximium candorem dotum Tuarum, ſingulorum in Te ora, oculoſque converteris, corda conciliaveris, laudabiliter exactô Prioris officiô, mox iterum ad aliud invitaris Officium. Parum quippe Tibi erat Religioſæ Familiæ præclara dare exempla, virtute inſuper, Chriſtianæ plebi, ac vitæ Tuæ ſanctimonia paſcendæ, verboque ſalutis informandæ præficeris, dum ad regendum Monaſterium, ſimul ac Parochiam Kościelnenſem vocaris: in cujus regimine illa commiſerationis in afflictos ſigna, illa liberalitatis in egentes indicia, illa exemplaritatis, ac omnis ſanctitatis documenta, quæ. & quanta ſunt, quis non videt? quis non miratur? Jam verò ſi ſpectetur zelus in ampliando cultu Divino, in elargiendis eleemoſynis, quis ſatis explicet? Sic certè perfecta virtus neſcit uno conſiſtere loco, ſed longiùs, ac longiùs progreditur. Verùm nec hic terminus laudum tuarum, aliam namque viam Moderator ſupremus ad promovendam virtutum tuarum gloriam invenit; voluit enim providiſſima DEI Sapientia perfectæ conſtantiæ, invictæ patientiæ, & propenſæ erga ſe voluntatis Tuæ cæteris exemplum demonſtrare, dum

vix



vix post fatale incendium respirare potuisti, mox hostili despoliatus impetu, opprobriis saturatus, volens crudeles eorum effugere manus hùc, illucque latitando, ubi caput reclinares, non habebas: his tamen in adversitatibus, & periculis non deiicis animum, sed cum Divo Job, in eo, qui humiliat, & sublevat, qui mortificat, & vivificat, qui, quò magis castigat, eò magis diligit, certam collocaveras fiduciam. Et cum nativum tuum Asceterium Tynecense hostili impugnatione conflagratum, devastatum, dirutumque foret, ipse afflictis Fratribus beneficam porrigis manum, & imploratam tribuis opem; dumque adversæ fortunæ omnibûs expositus telís, aliorum indigere commereris consolatione, Ipse, quasi suæ oblitus miseriæ, mœstos, ac miseros Confratres blandè consolari non dubitaveris. Ita profecto in ipsis adversis crescere solet non fucata virtus, magisque inter ardua attollitur, inter extrema erigitur. Hinc factum est, ut præstantissimarum dotum Tuarum amore, simul ac admiratione illectum Archi-Cœnobium Tynecense, in vim grati erga Te animi, pignus quasi benevolentiæ suæ (cum ne cogitares quidem) unanimi omnium consensu, Te in Abbatem eligit Orloviensem, ejusdemque Abbatiæ officiosum transmittit Diploma, ut perfectum in Te esse cernamus illud veterûm: Virtuo-



tuosus ne cogitans quidem honorabitur. Vellem hic REVERENDISSIME D. ABBAS laudum Tuarum encomium texere ex Prosapiæ Tuæ amplissimo, celeberrimoque genere, verùm Tibi, ac Tuæ modestiæ per Te ipsum parere jubeor; sat proinde nominasse erit, cum primis Te Domibus in Sarmatica Regione esse conjunctum, à quibus cum satis habeas laudis, ac celebritatis, quod politicam ab eis desumpseris Mobilitatem, non minus tamen Te gloriæ majoribus Tuis attulisse arbitror, quod eandem celeberrimarum virtutum, & rectefactorum, adeò in Te ipso, & in ipsis condecoraveris, ut & virtute, & merito Vir evaseris nobilissimus. Quod vel ipsa probare Congregatio Benedictino-Polona videtur, cujus cum videret ingenii perspicaciam in dandis consiliis, prudentiam in moderandis, in promovendis constantiam, in perficiendis dexteritatem, bis Te ad coronam Definitorii invitavit, ac demùm Visitatoris munus obeundum commisit. Ista nempe virtuti inesse vis propria dicitur, ut ubivis est gentium, semper habeat suos & æstimatores, & præmiatores. Tali proinde Viro, tantisque animæ & corporis instructo dotibus hoc Opusculum cum sit consecratum, quis non speret, haud defraudatum fore authoris desiderium? fateor quidem exiguum esse, Tuis tamen sub auspiciis fiet, ut exi-

stat



ſtat & æſtimatione magnum, & utilitate. Cæterùm quantum, quantum eſt, totum Tuum erit, ſolum ſuſcipe illud, & non contemne, hanc ingenuam cultûs, & obſervantiæ erga Te meæ ſignificationem. Et quamvis omne id non eſt tale, quod omni ex parte Tuæ correſpondeat & amplitudini, & benevolentiæ erga me, benignam dabis impotentiæ meæ veniam, ſtudiumque ſaltem erga Te meum, ut ſpero, non averſaberis. Quid enim culpæ me admiſiſſe arbitrer, ſi Virum, qui omnem & meriti, & laudis ſuperavit pulchritudinem, nec ſatis laudare, nec ſatis de ipſo mereri valeam? Verùm ſi plura non poſſum re, aut verbo, dabit DEUS T. O. M. me valiturum animo. Tu devinctiſſimum, obligatiſſimumque Tibi, uti cæteros ſoles, benigno affectu amplexari non dedignare, cui ego omnia fauſta, proſperaque precari nunquam ceſſabo.

REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS
Mæcenatis Faventiſſimi
Benefactoris Singulariſſimi

devotiſſimus Cliens

P. Hieronymus Kowalski O.S.B. S.T.D.
Monaſt: Sieciechov: Profeſſus. Congr: Bened: Pol: Secretarius, ac Regiminis Cancellarius.

)b(Ad

Ad Illustrissimos, Perillustres Reverendissimos Dominos Dominos ABBATES, ac omnes Prælatos, Admodum Reverendos, Reverendos Priores, Præpositos, cæterosque Superiores Monasteriorum Congregationis Benedictino-Polonæ.

ÆQuissima vestra imperia *Illustrissimi, Perillustres Reverendissimi Domini, Domini, Admodum Reverendi, Reverendi*, uti libenter tribus abhinc annis exequenda susceperam, ita feliciter DEO T. O. M. opitulante sum exequutus. Desiderastis Libellum Sacrarum Cæremoniarum, non alia mente, nisi ut uniformitas Divini cultûs in universa Congregatione nostra Benedictino-Polona, quàm exactissime, omni ex parte servetur, hunc Vobis porrigo, hunc vobis dedico, atque satis arbitror per me factum esse cùm jussionibus, tùm desideriis Vestris; cum & id perfectum à me videtis, quod imperastis, & id præ manibus tenetis, quod summis expetiistis studiis. Non nova sunt ista, quæ hic continentur, sed vetera omnia, ac ex gravissimorum, vetustissimorumque Authorum decisionibus collecta; nec ideo Vobis porriguntur, ut doceri videamini, sed exponuntur ideò, ut conemini, quantum possitis, docenda. Et certè Vestrum præcipuum munus est, Divinæ in-



inservire laudi; nam cum Vos rectores suæ posuerit Ecclesiæ DEUS, profectò Vobis etiam honorem suum propagandum, laudemque promovendam hoc ipso commendavit. Satagite itaque, quantum facultas Vestra patiatur, ea observari, quæ à me ad observandum tantopere optastis porrigi; studete laudabilissimæ in Divino cultu uniformitati servandæ, ad quam exponendam Vestris me còégistis Imperiis. Meum equidem erat Vestris parere mandatis in compilando hoc Libello, Vestrarum verò erit partium insudare, ut custodiantur ea, quæ in eo declarantur custodienda. Nihil enim ego vel laudabiliùs, vel salubriùs esse, Viro, Sacerdotali insignito Charactere, existimo, quàm si rectè, exactèque, servatis omnibus Regulis Rubricæ, tam Sanctum, & tremendum ministerium obeat, eo namque modo & Sanctitatem Fidei Catholicæ declarat, & virtutum semina spargit, sibique futuræ præmium comparat gloriæ. Jam verò si negligantur ea, vel omittantur, quæ ad Sacro-Sanctum Missæ Sacrificium generalis requirit Rubrica, jam certè omnia subverti fundamenta virtutum, & præmii est necesse. Quid quæso, ad modestiam inflammabit adstantes? quid ad fervorem incitabit orationis? si se immodestè, ac oscitanter in Sacrificio Missæ gerat Minister? profectò omnis fructus deperditur in auditoribus, omne præmium in talibus amittitur Ministris. Hinc cum ea virtutum omnium deperduntur semina, ea vitiorum nascuntur, & neglectione Sacrarum Cæremoniarum,

 so-



fomenta; quid non movendum? quid non tentandum erit? ut illa recte-factorum, per diligentem Sacrarum Cæremoniarum obſervantiam, redeant aliquando commoda, quæ per negligentiam vel amiſſa ſunt, vel amitti, hucuſque cernuntur. Vos ergo *Illuſtriſſimi, Perilluſtres Reverendiſſimi Domini, Domini, Admodum Reverendi, Reverendi*, quos DEUS & pietate illuſtres, & ſanctimoniâ vitæ celebres, & munere ſuarum Ovium fecit Paſtores eximios, date operam, & revocate neglecta, conſolidate diſrupta, nec ſinite, quæ hucuſque fortè vitiata erant, permanere in poſterum defectuoſa; & cum Vobis imperantibus hæ Sacrarum Cæremoniarum Regulæ collectæ, ac in hoc Libello contentæ in publicam prodeunt lucem, Veſtris quoque imperiis, Veſtris ſtudiis injungantur cuſtodienda: ut, ad præclariſſimas Veſtras animi, & corporis dotes, hoc acceſſiſſe omnes videant, & fateantur, quod ſitis non ſolum exactiſſimi, ac vigilantiſſimi Eccleſiaſticorum Rituum Cuſtodes, verùm etiam cuſtodiendorum Propagatores. Et hoc certè Veſtrorum ſtudiorum, hoc etiam mei exigui laboris erit præmium, ac emolumentum.



BE-

BENEVOLO LECTORI.

NOli mirari, benevole Lector, quod tale, ac tantum opus imparibûs humeris susceperim elaborandum, cum & tenuitas rationis meæ, & distractio officii protunc impositi, notabili fuerant impedimento: quia tamen cognosco obligationem statûs mei Religiosi, vì Regulæ S. c. 68. stimulantis, ut Monachus, *licet gravia, & impossibilia (etiam virium suarum pondus excedentia) Superorum præcepta cum omni mansuetudine suscipiat, & ex charitate, confidens de adjutorio Dei, obediat;* ideoque auxiliante dexterâ Altissimi, quam mihi opitulatricem semper adesse cupio, præsentem opellam, quantùm mihi per negotia licuit, consummatam, in manibus repono tuis, hoc unicum cum D. Paulo desiderans *Rom:* 15. *v 6. Ut inanimes, uno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini nostri JESU Christi.* Cum enim omnes Religiosæ familiæ, maximè Benedictinæ in divinis laudibus concinendis, Sacrisque faciendis uno, eodemque spiritu, affectu, & motu interiùs agantur: unus, & idem convenit esse externus ritus, & Sacrarum Cæremoniarum modus; ne diversitas vultûs, & externi ritûs, diversitatem arguat spiritûs. Ea propter hanc Cæremoniarum epitomen, tanquam commune exemplar, Sanctissimis Romanæ Ecclesiæ ritibus accommodatum, tibi benevole Lector propono; ut ad ejus intuitum

ex-



externa divini cultûs dirigere, & disponere valeas officia. Invenies hic profectò plura consvetudinibus locorum contraria, abusibus personarum repugnantia, & difformitati opposita; in his tamen monendum te existimo: ut dictas consvetudines non defendas, cum illæ tantum conservari, & manuteneri possunt, juxta S. R. C. Decr: quæ sunt piæ, bonæ, & regulis Rubricæ non repugnantes, cæteræ verò pro abusibus declarari, & omnino reiici debent. Quæ autem tibi in hoc opere propono, ea conformia Rubricis generalibus tam Breviarii, quàm Missalis, cùm Romani, tum Monastici, Cæremoniali Episcoporum, Pontificali Romano, Rituali Romano, gravissimisque Rubricarum interpretibus adnotare, allaboravi, Decretis insuper Sacræ Rituum Congregationis exaratis confirmavi; non quærens ut mihi, vel cui arrideat, sed ut S. Romanæ Ecclesiæ institutis per omnia satisfiat. Tu ergo, benevole Lector, si hoc opusculum tibi prodesse cognoveris, laborem tibi impensum æqui, bonique satage conservare, & pro me indigno peccatore Deum digneris deprecare.



CEN-

CENSURA THEOLOGORUM.

EX Commiſſione Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Leonis Æmiliani KOSINSKI Divina Vocatione Abbatis Mogilnenſis, Congregationis Benedictino-Polonæ Præſidis Generalis Librum, cui titulus: *Cœremoniale Monaſticum pro Incly-ta Congregatione Benedictino-Polona*, Labore A. R. D. Hieronymi KOWALSKI S. T. D. Mon: Siec: Profeſſi Congr: Ben: Pol: Secretarii compilatum, vidi, & legi, eundemquè ex graviſſimis & probatiſſimis Auctoribus collectum, attentè perluſtrans, nihil reperi, quod aut antiquis, aut recentibus Eccleſiæ Ritibus contrariaretur, vel quod Fidei Catholicæ, aut bonis moribus repugnaret, quinimo utilitati Religioſorum Congr: noſtræ in Sacrarum Cœremoniarum praxi dirigenda juxta S. R. C. Decreta, deſerviat. Ideo, ut in lucem prodeat, hæc Sacra Eccleſiaſticorum Rituum Oeconomia dignum cenſeo, hac enim duce, quotquot in Cœremoniis ritè exercendis erudiri cupiunt, me judice non errabunt. Dabam in Mon. Calvomont: S. Crucis O. S. B. Die 12. Menſis Julii 1776.

P. Paulinus PRASZKIEWICZ O. S. Ben: S. T. D. Mon: S. C. C. M. Prior:

mpp.

JUſſis Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Leonis Æmiliani KOSINSKI Regalis Mon: Mogiln: Abbatis Congr: Ben: Pol: Præſidis Generalis omni, qua par eſt, reverentia obſecundans, Librum, cui titulus: *Cœremoniale Monaſticum pro Incly-ta Congregatione Benedictino-Polona* ab A. R. D. Hieronymo KOWALSKI S. Th: D. Mon: Siec: Profeſſo Congr: Ben: Pol: Cancellario elaboratum ex probatiſſimis, ac in Sacris Ritibus verſatiſſimis Authoribus collectum, vidi, & legi. Cumquè in eo Orthodoxis fidei dogmatibus nihil adverſum, nihilquè morum rectitudini ac honeſtati diſſonum, imo, doctrinæ in Sacris functionibus ſeu Cœremoniis ritè obeundis ad mentem Decretorum S. R. C. proficuam reppererim, ideo in lucem edi poſſe Typiſquè mandari dignum cenſeo & exiſtimo, ſi videbitur Illmo Præſidi Congregationis, cujus mandatis obtemperans hæc lubens pro veritate ſubſcripſi. Datum in Præpoſitura Koniemlotenſi Die 4. Menſis Julii 1776.

P. Emericus GOŁASZEWSKI O. S. Ben: Sæ. Th. Lic: Cong: Ben: Pol: Archiviarius Præp: Koniemloten.

mpp.

FA-

FACULTAS

Illustrissimi D. Præsidis Generalis Congregationis Ben: Pol:

NOs Leo Æmilianus Rogala in Kosiny KOSINSKI Divina Vocatione Monasterii Mogilnensis Abbas, Canonicus Metropolitanus Gnesnensis, Electus Abbas, Coadjutor Sieciechoviensis, Congregationis Benedictino-Polonæ Præses Generalis. Harum serie, nostrique Officii Auctoritate, quoad nos spectat, A. R. D. Hieronymo KOWALSKI S. Th: Doctori, Mon: Siec: Prof: Congregationis Ben: Pol: Cancellario facultatem concedimus typo imprimendi Librum, cui Titulus: *Cæremoniale Monasticum pro Inclyta Congregatione Benedictino-Polona.* Auctoritate Reverendissimi Definitorii Capituli Generalis Tynecensis demandatum, & à Patribus Theologis Congr: nostræ, quibus commisimus, revisum & approbatum, servatis de jure servandis. In quorum fidem præsentes literas manu propria Subscriptas, Sigilloque Officii nostri munitas dedimus in Cœnobio nostro Mogilnensi Die 30. Mensis Novembris, Anno 1776.

Leo Æmilianus KOSINSKI Abbas Mogiln: Coadj: Sieciechov: Congr: Ben: Pol: Præses Gnrlis. mpp.

(L. S.)

IMPRIMATUR

BALTHASAR
PORAY
PSTROKONSKI,

Canon: Metropolit: Gnesnen: Librorum per Archid: Gnesnen: Censor.

mpp.

CŒ-



CŒREMONIALIS MONASTICI,

PARS I.

De Choro, & Horis Canonicis.

CAPUT I.

De Diſciplina pſallendi.

I. CLariorem Rubricam de diſciplina pſallendi, Benedictinus quivis Monachus habere non poteſt, quam de Regula SS. Patriarchæ Benedicti, c. 10. *Ubiq; credimus Divinam eſſe præſentiam, & oculos Domini in omni loco ſpeculari bonos, & malos; maxime tamen hoc, ſine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus Divinum aſſiſtimus. Ideo ſemper memores ſimus, quod ait Propheta: Servite Domino in timore. & iterum: Pſallite ſapienter. &: In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Ergo conſideremus, qualiter oporteat nos in conſpectu Divinitatis, & Angelorum ejus eſſe: & ſic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ.* Ut autem ad majorem inflammaret devotionem proſequitur cap 20. *Si cum hominibus potentibus volumus aliqua ſuggerere, non præſumimus,*

nisi cum humilitate, & reverentia; quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate & puritatis devotione supplicandum est. & non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum nos exaudiri sciamus.

2. Nihil itaq; operi Dei præponere præcipit Almus P. Benedictus suæ Reg: cap. 43. his verbis: *Ad horam Divini Officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quæ in et fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur: cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat fomitem.* Et de nocturnis Vigiliis sic alloquitur. Cap: 22. *Ut parati sint Monachi semper, & facto signo, absq; mora surgentes, festinent invicem se prævenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate, & modestia,* Unde ita debent compte properare, ac si Dei optimi Maximi, aut saltem Angeli invitantis, ad laudes Divinas decantandas, vocem audirent.

3. Valde ergo laudabile est, & observatu dignissimum, ut omnes Religiosi, dato signo, si major solemnitas est, & Chorus ante majus Altare pateat, sive in Cella, sive in sacristia suum induant habitum Choralem, hoc est Cucullam seu Thogam cum caputio, & nunquam in infra specificatis, solemnitatibus sine tali habitu appareant, & tunc bini, & bini procedant in Chorum.

4. Cum pervenerint ante Altare, omnes genuflectere tenentur, sive in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, sive etiam Crux tantum, & tum ad loca sui Ordinis singuli accedant, ubi genuflexi manent orantes, donec detur signum surgendi, & incipiendi à superiore, quo dato surgunt & stant, uniformitatem in omnibus, quantum fieri potest, observantes.

5. Si quis jam inchoato Officio Divino venerit ad Chorum, ante Altare genuflexus parumper oret, tum dato Superioris signo, surgens ibidem faciat profundam Cruci reverentiam, deinde vertens se ad sedem Superioris, inclinatus salutet eundem, & tunc ad locum suum accedat. *Ita statut Congr: Ep: & Reg: 19. Aprilis. 1617. & declar: Cassin: in Reg: c. 20. num. 1* Qui autem egressurus est justa de causa, prius reverentiam faciat Superiori, & postea Altari.

6. Veniens tunc ad Chorum, quando in officio Divino dicitur: *Gloria Patri*, Oratio. ultima strophe Hymnorum, Oratio Dominica, vel Confessio fiat, vel denique aliquid aliud, ad

quod

quod Chorus vel eſt inclinatus, vel genuflectit, & ipſe exiſtens jam in Choro per aliquam moram expectivè, & reſpectivè, inclinatus, vel genuflexus in medio Chori, prout ipſe Chorus, manet; non tamen, extra Chorum exiſtens, hæc peragere debet. Et poſtea factis debitis, ut ſupra, reverentiis, ad locum ſuum accedat, quod etiam obſervandum venit ab illo, qui egreſſurus eſt de Choro.

7. Perneceſſarium eſt, ut ab omnibus inviolabile ſervetur ſilentium in Choro, nec in illo prorſus habeantur colloquia, niſi quis cogatur ex neceſſitate loqui, de iis, quæ tantum ad functionem ſuam pertinent; nullus pariter riſu, aut quovis geſtu incompoſito rem Divinam perturbet, vel literas, aut libros quoſcunq; præter Breviarium, aut Diurnum, eaq; tempore debito, & cum opus eſt, legat, Vitentur impertinentia, & oculorum divagatio, ne inde mentis oriatur diſtractio; conſiderare enim debent Religioſi Viri, quod, cum Hierarchiæ Cæleſtis laudes Domino decantantis, repreſentent ordinem, Religioſæ, ſeu veriùs Angelicæ debent ſtudere modeſtiæ.

8. Quiſque manus bene compoſitas, ſub ſcapulari, vel in manibus Cucullæ complicatas, ſi librum non tenet, tam ſtans, quam ſedens, habeat; Nullus item deferat Chirothecas, *ex ſtatut. Conc. [illegible]* ſed propter frigus utantur manica, cui ambas manus imponere poſſint, ejuſdem tamen coloris, videlicet nigri, cujus ex habitus eſt. Pedes etiam quivis bene compoſitos, & quaſi ſimul benè junctos, nec unquam unum ſuper alterum, teneat, nec etiam ſuper genuflexoria elevatos habeat.

9. Omnes modeſtè ſuis ſubſelliis innixi Officium recitent, non privatim, ſed cum aliis ſimul, attentè, & devotè laudes Divinas in conſpectu Angelorum decantent. Et ſi forte cuiquam dormitare contigerit, ſtatim à Socio excitetur. Locum mutare non debent, nec occaſione quidem flectendi genua in alio commodiori loco.

10. Omnes in ſtando, genuflectendo, aut alio quovis actu uniformitati ſtudeant, quando ſimul omnes eadem facere convenit. Nullus, quando alii ſimul abſolvant ſimul Horas, genuflexus, vel ſedens privatim recitet, licet propter immi-

nens Ministerium Altaris debeat exire de Choro; sed aut exeat citius recitaturus Horas in Sacristia, vel alio commodiori loco, vel simul cum aliis stando absolvat: ne per ejus quædam attentionis ad privatam recitationem signa, difformitati Chori, aliorumq; distractioni detur occasio. Nemo in demittendis, attollendisq; sedibus, vel per Chorum incedendo strepitum faciat, magnam enim aliis faceret distractionem.

11. Omnes promptè, & sine cunctatione surgant simul, paulo antequam finiatur aliquid, post quod standum est, aut genuflectendum, nec ante sedeant, quam id, quod sequitur, prius inchoatum fuerit, e. g. cum Lectiones dicendæ sunt, non ante sedeant, quin prius responderint: *Amen*, ante initium Lectionum.

12. Nunquam licet egredi e Choro sine necessitate, etiam expleto Officio, nisi prius facto signo exeundi a Superiore. Nec plures simul, quam duo, dum sit Officium Divinum, pro qualibet vice deserant Chorum, aliis in eodem existentibus. *Ex decis: Congr: Ep: & Reg.* 18. *Aprilis*, 1617. Nemo per Ecclesiam sine causa discurrat, nec quid sibi agendum sit clamando, aut sibilando quærat, sed per solum nutum, à socio sibi vicino, vel alio discat.

13. Unusquisq; suo muneri diligenter incumbat, cavens ne in aliquo erret, nec cunctetur, nec tempus præveniat, nihil sibi sumat, nec quidquam aliis præscribat, nisi ex Officio suo id efficiat. Aliquo autem absente, convenit, ut qui proximè illum sequitur, aut infra se alius non fuerit, qui immediatè super eum erit, suppleat vices illius tam in inchoatione, quam in aliis quibusvis Officiis.

14. Si quis in aliquo erret, leniter ipsius error, vel modesto tegatur silentio, vel prudenter, quantum fieri poterit, corrigatur. Convenientius autem videtur perturbatio erronea corrigi, hoc modo. Si quis alium Hymnum, vel Psalmum, vel Antiphonam, seu alio loco, vel erroneè inchoaverit, permittat Chorus taliter perficere, licet male, & tum alius subitò pergens, vel Cantor, vel Chori præfectus corrigat, & non simul perturbatio fiat. Lectiones vero in Vigiliis Matutinis, si alias contra Rubricam Lector legerit, Superior, vel Chori præfectus mittat alium è Choro, qui aut illi errorem

rem demonſtret, aut, quod melius eſt, in locum illius, ſubſtituatur, ne clamoroſâ correctione, vel increpatione alii perturbentur.

15. Deniq; omnes actus, qui in ipſa, & pro ipſa Divini Officii recitatione fiunt, ut ab omnibus placidè modeſtè, ac reverenter peragantur, Religioſi inſtruendi ſunt à Præfecto Chori, vel Magiſtro Cæremoniarum, quæ Officia in qualibet Communitate peritis in Rubro Monachis conferri debent, ab unoq; illorum protunc præſente in Choro ſigno ſolo, vel nutu, aut intuitu corrigi debent cæteri, tam in inclinatione, quam converſionibus.

16. Multum decet, ut ſubſellia Chori quotidie à Fratribus junioribus tempeſtivè expurgentur de pulvere, ne maculentur veſtes Religioſorum. Sed multo convenientius eſt, ut intra ſubſellia Chori ſint quædam arculæ calce, vel ferraginibus plenæ, in quas conſpuendum ſit, ne ſputo pavimentum, aut ſubſellia fædentur; nec debilioribus abominationem cauſare poſſit ſaliva oris, ſic proiecta.

Decreta S. R. Congr:

1. Non eſt relinquendum Officium Breviarii, pro Officio devotionis. *S. R. C. 29. Novembris*, 1603.

2. Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec antiquæ immutandæ abſq; expreſſa licentia, quam dare debet S. R. C. 12. *Maij* 1612. *in una Urbis.*

3. Perſolventes Divinum Officium extra Chorum, non tenentur ad Pſalmos Graduales, nec Pænitentiales, neque ad Officium parvum B. M. V. nec Defunctorum: quæ quidem Officia, & Pſalmi ſunt onera tantummodo ex præcepto implenda in Choro. *S. R. C. 2, Septemb:* 1741.

Dies ſpecificati, quibus ad Chorum Religioſi Cucullati, incedere debent.

1. Triduo Feſtorum Nativitatis D. N. J. C. incipiendo à I. Veſp. ad Matutinum primæ diei, & ad omnes Horas diurnas.

2. Secundo Triduo majoris Hebdomadæ, scilicet Fer: V. in Cœna Dni, Fer: VI. in Parasceve, & Sabbato Sancto ad omnes Horas, præter Primam, Tertiam, Sextam, & Completorium, ac ad omne Officium dictorum dierum, nec non ad decantandum Psalterium.

3. Triduo Paschatis, ad Matutinum, scilicet, primæ diei, & ad omnes reliquas Horas diurnas.

4. Triduo Pentecostes incipiendo à I. Vesp. ad omnes Horas diurnas.

5. Jn omnibus Festis Domini Solemnibus, videlicet: Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, & utroq; S. Crucis festo, pariter à I. Vesp: ad Horas diurnas.

6. Jn die, & per totam Octavam Corporis, Christi, ad omnes omnino Horas, etiam Matutinas Vigilias, & Processiones, incipiendo à I. Vesperis.

7. Jn Festis B. V. MARIÆ Celebribus, puta: Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis, ad Horas diurnas incipiendo à I. Vesp:

8. Jn reliquis Festis Celebribus, videlicet: SS: Petri & Pauli Apostolorum, Omnium Sanctorum, Patroni Diœcesis, & Dedicationis propriæ Ecclesiæ, pariter à I. Vesp: ad Horas diurnas.

9. Jn Festis Ordinis nostri Benedictini specialioribus, scilicet: SS. P. Benedicti, S. Scholasticæ V. S. Placidi Proto-Martyris. S: Mauri Abb: Omnium SS: Monachorum, atq; solemni Commemoratione SS. P. Benedicti, à I. Vesp: ad Horas diurnas.

10. Jn die Commemorationis omnium Fidel: Def: atq; in die Commemorationis defunctorum Fratrum ord. nostri, tam ad Vesperas, quam ad Matutinum Defunctorum, quamq; ad Processiones cum absolutione solemni.

Deniq; in omnibus Processionibus, principaliter autem cum SS. Sacramento, tam S. Marci, & Rogationum, nec non Candelarum, & Palmarum; & quandocunq; fit publica expositio

tio SS. Sacramenti v. g. Oratio 40. Horarum, Ad ultimum in cæteris aliis functionibus, publicum Actum denotantibus.

CAPUT II.
De Magistri, seu Præfecti Chori officio.

I. HOc Officium adeo necessarium arbitrati sunt Patres nostri, ut eum, cui hoc Officium committeretur, inter digniores Ecclesiasticos constituerint, & inter præcipuos de Choro multis honoribus ac privilegiis decoratum annumeraverint, erigentesq; nostri Benedictini Cathedrales Ecclesias, inter Canonicorum Prælaturas ei locum assignaverint, ubi usq; ad hunc diem locum, & præeminentiam talis obtinet, diciturq; Primicerius. Quod quidem & Constitutionibus Congregationis nostræ provisum est, p. 2. c. 2. dum Præfectum Chori non alium prætendunt, nisi P. Suppriorem, tenore sequenti: *P. Supprior erit ordinarius Chori Præfectus.* Et hoc conformiter ad Concilium Prov: Mediolanense IV. quod præcipit: *ut Præfectus Chori eligatur ab Episcopo, vel ille, qui maior est in Choro, hujusmodi Officio fungi debeat.*

2. Ad mentem itaq; supradicti Concilii, & Regularum Rubri, nec non S. R. C. Decretorum, Præfectus Chori ex aptioribus omnino esse debet, in Cæremonialibus actibus maximè versatus & ab omnibus aliis negotiis expeditus, ut semper Choro præsens assistat, præsertim solemnibus diebus, actionibus extraordinariis, processionibus, & absolutionibus Defunctorum. Provideat diligenter ut omnia moderate, rite, & exacte fiant, nam Chori moderatio, quæ in pausa, & convenienti sono, juxta dierum qualitatem consistit, assignatio Cantorum, seu Intonantium, & alia similia ad regimen Chori spectantia, ejus moderamini committi debent.

3. Summopere curet, ut disciplina psallendi exacte servetur ab omnibus, & maximè illud de tarditate vocis, de debita pausa in medio Versuum, de summo consensu, & concordia concinentium, ut nullius vox ante alios præcurrat, nec post alios moretur, & ut nulla sit in cantu diversitas, sed semper servetur æqualitas ab omnibus, diligentem habeat attendentiam.

4. Singulis diebus prævideat Officium, Martyrologium, & alia quæ dicuntur in Choro, & congruo tempore moneat Cantores, Inchoatores, Lectores, & alios de iis, quæ observanda duxerit, maximè circa prolationem, Syllabarum quantitatem, & verborum, connexionem; Tum, quando pulsari debent Organa moneat tempestivè Organarium, ne aut nimia protractione sit molestus Choro, aut si quando opus est pulsandi Organa, & ille desit, qui debeat pulsare, perturbeatur existentes in Choro.

5. Cum opus fuerit convocet Fratres, & Patres juniores in aliquem locum congruum, ut in praxim deducant Cantum, & Pausam, speciatim autem attendat ad ea, quæ in tota Majori Hebdomada fieri debent, videlicet ad Matutinas Tenebrarum, Lotionem pedum, Passiones, Prophetias, Benedictionem Cerei, & alia hujusmodi, insuper in Festo Corporis Christi ad ea, quæ decantari debent.

6. Ad Vesperas Sabbati, per singulas Hebdomadas, secundum consvetudinem plurium Ecclesiarum, conscribat in Tabella parata in Sacristia, vel in Choro: Hebdomadarium, Cantores, Intonantes, Lectores, aliosq; officiales, quorum absentiam, cum contingit, (: quod tamen raro fiat :) suppleant præcedentes tam Hebdomadarii, quam alii Officiales, curetq; ut prædicta Tabella ab omnibus diligenter legatur, ut quisq; studeat Officio sibi commisso satisfacere. Hoc tamen præcipue animadvertere debet, quod SS. P. Benedictus præcipit Reg: c. 38. *Fratres, non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes.*

7. Ex his constat, Præfectum Chori cum Cæremoniario sæpissimè debere inter se convenire, ut omnia meliori ordine, & modo fiant, ob conformitatem prædictorum inter se, & unius ab Altero dependentiam, quæ certè magna est, ut apparet, & necessaria, ad evitandam omnem confusionem. In quem finem habere ad manum semper debent: *Thesaurum Sacrorum Rituum Gavanti, cum observationibus, & notis P. Caietani Mariæ Merati*, ut ad omnes Cæremonias tam in Choro, quam in aliis actionibus extraordinariis perfectiorem habeant informationem.

CA-

CAPUT III.
De officio Cantorum.

I. NOn omnes Religiosos SS. P. Benedictus prætendit esse Cantores, sed tantum aptiores, de quibus in Regula sua c. 4, 7. sic loquitur: *Cantare autem non præsumat, nisi qui potest ipsum Officium implere, ut ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & gravitate, & tremore fiat, & cui jusserit Abbas.* Videant itaq; Cantores, quomodo ad ædificationem audientium, & non ad enervationem aliorum vocem suam aptare debeant, & ideo, nec nimis anticipent, priusquam, quod anterius cantatum est, finiatur; perfectè, nec nimis pausent, sed in omnibus servent moderamen.

2. Quod incipiunt, aut cantant, servent in iis Religiosam modestiam, tam in compositione partium corporis externarum, quam in ipsa cantûs consonantia, ne levitate eorum, scandalizentur audientes. Nec tamen de vocis suæ modulamine superbiant, quia, quæ habent, à Deo habent, & ejus honori cum omni subiectione consecrare debent.

3. Convenit itaq; ut in quocunq; Religiosorum cœtu, sint destinati bini Cantores, in cantu Chorali periti, quorum unus ex una sit parte Chori, & alter ex altera parte constitutus, primus ille vocatur Cantor, in cujus parte est primus Chorus, secundus, juxta Rituale Rom: appellari debet Succentor, in cujus parte, protunc est Pausa, Primi itaq; Officium erit, id, quod per unum tantum cantari solet, explere, & hoc duret tota Hebdomada, ita, ut ille Succentor, qui anteriori Hebdomada Cantoris explebat Officium, præsenti sentiat levamen, & aliquam repausationem. Quæ verò per binos decantari debeant, per utrumq; expleantur.

4. Cantores vocem sumant, quantum fieri potest, à Choro, & Hebdomadario non discordantem; si autem advertant Psalmodiam nimis depressam vel nimis elevatam, modestè provideant, ut ad Tonum convenientem reducatur, habita tamen prius à Superiore, vel Præfecto Chori per aliquod signum licentia.

5. Quoniam diversitas temporum, exigit etiam diversitatem Cantûs in Choro, ideoq; Cantorum muneris erit, retinere in sua repausatione partem Chori sui, quod omnes animadvertere debent, & iis vocem suam accommodare. In

omnibus Festis Solemnibus 1mæ & 2dæ Classis paulatim, aliquomodo elatis, & per maiorem pausam; in duplicibus tam maioribus, quam minoribus, atq; etiam 1. & 2. classis non solemniter celebratis, per mediocrem pausam, & Tonum mediocrem: in semiduplicibus verò, per brevem pausam, & depressiorem vocem, cantum conservare tenebantur. At in Feriis quibuscunq; cantus, parum à plana recitatione distinctus esse debet. Sed ut in omnibus Dominicis per annum, tanquam in duplicibus, pausa, & Tonus mediocris observetur, propter Festivos dies convenit.

6. Et dum quilibet Officialis Religiosus communiter, & secundum Reg: c. 35. à Vesperis Sabbati suum inchoat Officium, ita & Cantores. *In Vesperis* itaq; primi Cantoris munus erit: Antiphonas tam ad Psalmos, quam ad Canticum inchoare Choro reliqua prosequente, Hymnum, ac Canticum *Magnificat* incipere Commemorationum convenientium Antiphonas pariter inchoare, & ℣. *Benedicamus Domino* cum Succentore juxta qualitatem Festivitatis, concinere, Choro respondente ℣. *Deo gratias* in eodem Tono

7. Ad *Completorium*, cum nulla ad Psalmos assignetur, Antiphona, simpliciter Intonans primi Chori Psalmos inchoare debet, ordinariè in Tono I. in maiori tamen Solemnitate potest & Tonus alius assumi, juxta placitum Præfecti Chori, qui tempestivè præcavere debet. Et si imperitus sit Intonans, ne Chorum perturbet, Hymnum pro eo incipiet. Antiphonam de B. V. M. convenientem tempori, & Divini Officii conclusivam Cantor primus inchoare tenetur.

8. Ad *Matutinum*, si ob Solemnitatem cantari debeat, Cantor & Succentor Invitatorium decantant, Choro idem Invitatorium, in eodem Tono repetente; tum Psalmum *Venite exultemus Domino* integrum decantant, Choro repetente Invitatorium, vel ut aliis placet, Organo loco Invitatorii pulsante. Hymnum quoq; incipiunt. Et si ℟℟. prolixa cantari debeant Cantor primus inchoare, reliqua Chorus prosequi, ℣℣. verò in iis ℟℟. una cum Succentore tantum, sicut & ℣. *Gloria Patri* modulare, tenetur.

9. In *Laudibus* cantatis, Antiphonas ad Psalmos, Hymnum, & Canticum *Benedictus* Cantor primus inchoat, atq; ℣. *Benedicamus Domino*, juxta diversitatem Solemnitatis una cum Succentore Solemniter decantat, Choro ℣. *Deo gratias* in eodem Tono respondente.

10. Ad *Primam*, ficut & ad alias Horas, fcilicet *Tertiam*, *Sextam*, & *Nonam* fi viderit imperitum Jntonantem, pro eo expleat Officium intonationis Hymnorum, & ad Pfalmos, ficut & poft Pfalmos Antyphonas incipiat. Et fi pro conclufione temporis cantanda eft aliqua Antiphona B. M. V, eam præintonet. Jn abfentia verò Cantoris, ejus officium Succentor rite explere debet.

11. Jn *Miffa* quæ cantatur in Dominicis, cantato à Celebrante: *Afperges me*, ad afperfionem Aquæ benedictæ, duo Cantores in medio Chori ftantes, fubdunt: *Domine* & Chorus reliqua profequitur. Poftea Cantores inchoant ℣. *Miferere mei Deus*. Chorus profequitur reliqua, pariter & ℣. *Gloria*. Deinde iidem Cantores repetunt initium Antiphonæ *Afperges me*. Chorus reliqua. Eodem modo intonant Jntroitum Miffæ, cum fuo Verfu, & repetito Jntroitu, Cantor inchoat *Kyrie*, & Chorus I. profequitur *eleifon*, tum Chorus II. canit *Kyrie eleifon*, ficq; alternatim repetunt, ultimum tamen *Kyrie eleifon* ab utroq; canitur Choro.

12. Cantores inchoant *Graduale* & ℣. cantant. Sequentia fi dicatur, ab iis inchoatur, & Chorus I. profequitur primum ℣. feu ftropham, Chorus II. fecundam, ficq; alternatim decantatur. Cantato à Celebrante: *Credo in unum Deum*. Cantores fubdunt. *Patrem Omnipotentem*, Chorus alternatim reliqua. Decet tamen ut totus Chorus fimul decantet ℣. *Et homo factus eft*. Cantores inchoant etiam Offertorium *Sanctus*, & elevato SS. Sacramento *Benedictus*, Similiter *Agnus Dei*, ac deniq; Antiphonam quæ dicitur Communio.

13. Jn Officio Defunctorum, quando dicitur totum, cum IX. Lectionibus, Cantor intonat Jnvitatorium, Antiphonas, Refponforia, & Canticum: *Benedictus*. Pfalmum autem *Venite exultemus*, & ℣℣. Refponforiorum duo Cantores in medio Chori decantant, ficut & in fine Orationis ℣. *Requiefcant in pace*, qui femper ab iifdem in medio Chori dicitur.

14. Jn prædicto Officio mortuorum Miffam decantant, ut in aliis Miffis ad Offertorium tamen cantant foli duo ℣. *Hoftias & preces*. Similiter ad Communionem ℣. *Requiem æternam*, & Chorus reliqua profequitur. Jtem ex mente Rubricæ duo Cantores ftantes decantant *Benedictus qui venit*. cæteris genuflexis.

15. Jn abfolutione ad tumulum intonant Cantores ℟℟. *Libera me*. five *Subvenite* five aliud quodpiam, Verfus autem eorundem ℟℟. illi foli integros decantant. Finito Refponfo-

rio Cantor cum Choro suo decantat *Kyrie eleison*. Succentor itidem cum Choro suo respondet: *Christe eleison*, tum uterq; Chorus simul concludit *Kyrie eleison*. Atq; in fine Orationis soli duo Cantores ℣. *Requiescant in pace* concinunt.

16. Litaniæ solemnes, ut Sabbato Sancto, Sabbato Pentecostes ante Missam, in Festo S. Marci, diebus Rogationum in Processionibus, alijsq; similibus functionibus à duobus Cantoribus concinuntur. Et si in aliqua Processione canantur Hymni, Psalmi, Antiphonæ, vel ℟℟. ab iisdem inchoari debent. Locus dictorum Cantorum in Processionibus dum actu cantant, regulariter est medius, inter Sacerdotes, & Rel: Fratres, ut ab omnibus audiri possint. *Ita disponit Cærem: Episc: L. 2. c. 16.*

17. Et cum hic nomine Cantorum veniant etiam Intonantes, illi bini pro qualibet Septimana assignari debent, qui omnes Psalmos tam Vesperarum, quam & reliquarum horarum, aut ambo simul, ut mos est ad Vesperas, & Laudes Festorum duplicium, aut unus intonare debet, advertendo designatum Tonum Antiphonarum, aut ordinationem Præfecti Chori. Item omnes Versus, ac Responsoria brevia, sive cantatum sit Officium Divinum, sive plane recitatum, bini semper recitare, & cauere debent, & nunquam unus. Hymnos etiam Horarum minorum intonare tenentur, præter Hymnum ad *Tertiam* in die, & per Octavam Pentecostes, & Hymnos Matutinales, Laudum ac Vesperarum, in quibus, si canantur, vel Superior, vel Celebrans, vel Cantor inchoare tenebitur, juxta inferius dicenda, sic enim disponit *Cærem: Episc:* L. 2. c. 1. 3. & 14.

18. Lectores quoque Chori gaudent nomine Cantorum, quia & ipsi canunt in Choro speciatim, Itaq; eorum Officium est, ad *Matutinum* Lectiones legere, I. & 2. Nocturni, & si sint in ordine Diaconatus vel Sacerdotii, etiam 3. Nocturni Homiliam. Ad *Primam* verò Martyrologium, ac Lectionem brevem, nec non ad *Completorium* pariter Lectionem brevem decantare debent. Hoc tamen animadvertant, quia dum ante Lectionem sive Nocturnorum, sive brevem petunt benedictionem per ℣. *Jube Domine benedicere*, inclinent se ad sedem Superioris dantis benedictionem, sive Celebrantis, convertendo se parumper ad eum: & dum concludunt Lectionem dicendo: *Tu autem Domine miserere nobis*, ad hæc profunde se inclinare debent, redeundo autem, & accedendo ad pulpitum genuflectere tenentur. *Ita Castaldus lib. 1. Sect. 6. cap 3. num 2.*

19. Prævideant Cantores diligenter quæ cantanda ſunt, ne modo primum quærant dum tempus eſt legendi, ſeu canendi, legant Rubricas & Officium diei, ne errent; & vocem ſuam ita temperent, ut vocis æqualitas ſemper ſervetur, neq; unus altius, quam alter decantet, & ſimul pauſent, quando opus eſt, nec unus præveniat Alterum, ita ut omnes videantur eſſe unius, & ejuſdem vocis. Vitare autem debent, quantum fieri poteſt, cantum profanum, raucum, aſperum, vel diſſonantem, ſed vox Cantorum ſit canora, ſvavis, liquida, atq; acuta, habens ſonum, & melodiam Sanctæ Religioni convenientem. Audiant præterea Cantores, quid de iis dicat B. Birgitta: *Clericorum cantus non ſit preſſus, non fractus, non diſſolutus, ſed honeſtus, & gravis, uniformis, & per omnia humilis; Pſalmodia plus redoleat ſvavitatem, mentis humilitatem, & devotionem, quam aliquam oſtentationem. Non vacat culpa animus, quando cantantem plus delectat nota, quam res quæ canitur; omninoq; eſt abominabile Deo, quando vocis elevatio plus fit propter audientes, quam propter Deum.*

20. Iidem Cantores Antyphonas, Reſponſoria, Hymnos, Pſalmos, Verſiculos, cæteraq; alia ſpeciatim intonantes, ea ſemper decantant, in medio Chori, ſtantes nudo capite, accedentes verò ſimul ad intonandum, & recedentes, facta genuflexione Altari ſeu Cruci, licet etiam non ſit ibi aſſervatum SS: Sacramentum, vel expoſitum, mutuis inclinationibus ſe ſalutent; poſtea D. Abbati præſenti in Choro profundam faciant reverentiam. *Ita P. Baudry p. 1. c. 6. art: 2. num. 2.*

Decreta S. Rit: Congr:

1. An à Cantoribus in Choro incipi poſſit Introitus Miſſæ priuſquam Sacerdos eandem Miſſam celebraturus ad Altare pervenerit? Reſponſum fuit negativè, & amplius S. R. C. 14. *Aprilis 1753. in Conimbricenſi.*

2. An ſervari poſſit conſvetudo ut in Proceſſionibus Litaniarum, earundem Cantores incedant Pluvialibus induti? Reſponſum fuit affirmativè. 14. *Aprilis.* 1753. *in Conimbricen.*

3. An in Elevatione SS. Sacramenti, in Miſſis ſolemnibus, cani poſſit: *Tantum ergo.* &c: vel aliqua Antiphona tanti Sacramenti propria? Reſponſum fuit Affirmativè & amplius. S. R. C. 14. *Aprilis.* 1753. *in Conimbricenſi.*

CA-

CAPUT IV.

De Officio Hebdomadarii.

1. QUod ad Officium Hebdomadarii ſpectat, habenda eſt ratio conſvetudinis locorum, cui plurimum in hoc tribuendum eſt, ut concedit S. R. C. ſpeciatim autem ea pertinere videntur, de quibus mox agemus. Qualibet Hebdomada incipiat ſuum Officium, regulariter Sabbato ad Veſperas, quod uſq; ad Nonam incluſivè, ſequentis Sabbati, continue exequitur, niſi aliquid obſtet.

2. Ad *Veſperas* non ſolemnes dicit ſecreto inclinatus cum aliis *Pater noſter*, & *Ave Maria*, tum verſus Altare ſtans, & facto ſibi ſigno Crucis à fronte, ad pectus, incipit: *Deus in adjutorium meum intende*, habita tamen prius licentia à Superiore, quam ſigno aliquo concedit, ut liquet ex *Manuali Epiſc:* Cantat poſtea Capitulum, inchoat *Kyrie eleiſon*, relicto Superiori ad recitandum, juxta Reg: c. 13. *Pater noſter*, ſicut & in Laudibus; tum canit *Dominus vobiſcum*, Orationem, vel plures, præcedentibus verſiculis convenientibus, deinde *Dominus vobiſcum*, ad ultimum, *Et Fidelium Animæ* &c:

3. Ad *Completorium*, data ad Lectionem brevem à Superiore benedictione, & reſpondente Choro: *Deo gratias*, Hebdomadarius ſignando ſe à fronte ad pectus, dicit Alta voce: *Adjutorium noſtrum*, &c: & recitata ſub ſilentio integra Oratione Dominica, facit Confeſſionem inclinatus, donec Chorus dixerit *Miſereatur tui;* Et ipſe inchoato à Choro Confiteor erigit ſe, & ſtat verſus Altare, quo finito ſubdit *Miſereatur veſtri* Et Superior *Indulgentiam*. Cum vero dicit *Vobis Fratres*, & *vos Fratres* convertit ſe parumper ad dexteram & ſiniſtram partem Chori. Dum dicit *Converte nos* &c ſignat pectus tantum pollice dextro, dicens vero *Deus in adjutorium*. &c. Signat ſe ut in Veſperis. Dictis Pſalmis, & Hymno cantat Capitulum, *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter* tantum inchoat, & proferendo reliqua ſecretè, concludit ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*, dein *Dominus vobiſcum*, & orationem, iterum *Dominus vobiſcum* & *Benedicamus Domino*, relicta benedictione Superiori in Choro exiſtenti. In ſuper poſt decan-

decantatam Antiphonam de B. V. M. dicit etiam Orationem, & ℣. *Divinum auxilium maneat semper nobiscum.*

4. Ad *Matutinas* non Solemnes, ad signum Superioris, dicto secreto *Pater*, *Ave* & *Credo*. stans versus Altare, & facto sibi Signo Crucis dicit: *Deus in adjutorium* &c: recitat Invitatorium, quod à Choro repetitur, & postea recitat, vel inchoat Antiphonas ad Psalmos, & ad Cantica; in fine vero cujuslibet Nocturni incipit: *Pater noster*. tum ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* Deinde post Lectiones Responsoria prolixa recitat, quæ alibi ab intonantibus alternatim cum ℣. dicuntur. *Laudes*, eodem modo absolvit, quo Vesperas.

5. Ad Superiorem in Choro existentem spectat: dare signum incipiendi Officium Divinum, *Pater noster* integrum ad Vesperas & Laudes recitare, Absolutiones, & benedictiones dare ad omnes Lectiones, etiam breves. Hymnum *Te Deum laudamus* in Matutinis inchoare, atq; Evangelium cum Oratione diei decantare. Ad Confessionem dicere: *Indulgentiam* &c. In fine Completorii benedicere per ℣ *Benedicat & custodiat* &c: Ad Primam data benedictione ad Lectionem brevem dicere: *Adjutorium* &c: *Benedicite.* & *Dominus nos benedicat* &c: atq; *Requiescant in pace.* Concludendo Officium Divinum dicere *Dominus det nobis suam pacem*, ac dare signum egrediendi. *ita declaravit Congr: Episc:* 18. *Aprilis.* 1617.

6. Hæc tamen superius dicta intelligenda sunt tunc, quando Hebdomadarius non celebrat solemniter. Si enim ipse celebraret, omnia spectare debent ad eum, etiam quæ ad Superiorem ordinata annotavimus. Et nemini est licitum in aliquo derogare Celebranti absq; læsione Decretorum S. R. C. Insuper solemniter Celebrans Hebdomadarius scilicet in pluviali, etiam præsente in Choro Prælato suo, vel supremo Superiore, dum dicit in Confessione *Vobis Fratres*, & *Vos Fratres.* non debet aliter immutare.

7. Ad *Primam* dicto secreto *Pater. Ave*, & *Credo.* Hebdomadarius stans erectus ad Altare, incipit: *Deus in adjutorium* &c: cantat Capitulum, dicit preces, stans, vel genuflexus, si dicendæ sint, ut in Breviario, dicit *Adjutorium nostrum* &c: signando se, facit Confessionem ut ad Completorium, & dicit Orationem. Post cantatum Martyrologium dicit: *Pretiosa*, *Sancta Maria.* ter incipit *Deus in adjutorium* &c: non se signans; & dicto à Choro *Gloria*, dicit *Kyrieleison*, inchoat *Pater noster*, eoq; sub silentio dicto concludit: *Et ne nos indu-*

cas in tentationem, tam post dictum à Choro *Respice*, cum ℣. *Gloria*. addit Orationem *Dirigere &c*: & reliqua post Psalmum *De profundis* concludit ut in Breviario.

8. Ad *Tertiam*, *Sextam* & *Nonam*, eadem respectivè observat, incipiens: *Deus in adjutorium*, dicens: Capitulum, *Kyrieeleison*, *Pater noster*, *Et ne nos &c*: & Orationem diei. Ad Psalmos Graduales incipit absolutè Psal: *Ad Dominum* &c. in fine dicit: *Pater noster*, & Versiculos genuflexus, & ad Orationes stat. Ad Psalmos Pænitentiales genuflexus incipit Antiphonam *Ne reminiscaris*, & in fine dicit Lytanias, & inchoat Psal: *Deus in adjutorium* &c: Versus, & Orationes, ad quas tantum stat, dicendo verò ante Orationes *Oremus*, semper caput inclinare debet. Pariter dum fit Disciplina consveto tempore Hebdomadarius dato signo à Superiore incipit absolute à ℣. *Servite Domino in timore*, & reliqua absolvit ut in Breviario Veneto notatum est; ad Orationes tamen non tenetur stare.

9. Hymnum *Veni Creator Spiritus*, & alium de B. M. V. scilicet: *Ave Maris stella* Superior in Choro, aut Hebdomadarius Celebrans solemniter intonare tenetur. Stans quidem incipit, sed ut inchoaverit, statim genuflectit. Primà stropha cantata surgit, quod semper observare debet, ita, ut regulariter stando incipiat, & postea genuflectat, quando genuflectendum est.

10. Curet insuper Hebdomadarius diligenter, ut tantum spatii temporis, ad Orationem Dominicam, & alia secreto dicenda, intersit, quantum, non iis solum qui celeriores sunt in dicendo, sed aliis quoq; tardioribus, sufficere possit. Vocem capiat moderatam id est non nimis elatam, neq; etiam nimis depressam. Orationes recitet non uno spiritu, sed cum pausa convenienti una, aut etiam pluribus, pro diversitate Orationum, habita tamen ratione conjunctionis verborum, & subiectæ sententiæ. Eadem observet ad Capitula; & alia, quæ concernunt Officium ejus.

11. Quando in Officio Divino Organa pulsantur, sive in Hymno, sive Antyphona, sive Responsorio brevi, vel prolixo, invigilare tenentur Superiores, ut semper Lector Chori stans in medio ejusdem, clara & distincta voce repetat ea, quæ per Organa pulsantur, ita ut ab omnibus audiatur, ne defraudentur in Officii Divini recitatione animæ Religiosæ.

Decreta S. Rit: Congr:

1. Consvetudo ut Hebdomadarius ad Vesperas capiat Pluviale ad Capitulum, & non à principio Vesperarum servari potest. S. R. C. *1. Septembris 1607. in una Theatinorum.*

2. Prima sedes in Choro conceditur Hebdomadario parato tantum. S. R. C. 22. *Augusti 1626. in Casertana.*

3. Antiphona B. M. V. in fine Officii debet omitti in Choro, quando immediatè sequitur Missa, quæ in Ecclesiis non Cathedralibus, & non Collegiatis, sed in minoribus, etiam Regularium licet non cantetur à Choro, sed coram Clero legatur tantum à Celebrante, habenda est tanquam Conventualis, & in Festis 2. Classis debet omitti commemoratio Sancti simplicis eadem die occurentis, ut præscribitur *in Rubrica Missalis Tit. 7. num. 1.* S. R. C. 14. *Februarii* 1705. *in una Capucinorum Galliæ.*

4. Non est omittendus in fine cujusvis Horæ ℣. *Fidelium Animæ*, quando post eam immediate dicitur Missa, sed servandus adamussim textus *Rubricæ* 30. *Brev: Rom: sub num:* 3. S. R. C. 14. *Aprilis* 1742. *in Thelesina.*

5. An Hebdomadarius in Choro intonare possit initium Horæ sequentis, priusquam Sacerdos Evangelium S. Joannis terminaverit? Responsum fuit negativè, & amplius. S. R. C. 14. *Aprilis.* 1753. *in Conimbricensi.*

CAPUT V.

Quando, & quomodo standum in Choro?

I. MOnachus Benedictinus ad Hymnos, Psalmos, & Cantica in Choro semper stare tenetur, & non sedere: Liquet hoc ex S. Regulæ c. 9. & 11. quod SS. P. Benedictus ad solas Lectiones tantum concedat sedere. Patet hoc & ex cap: 43. ubi S. Patriarcha dicendo de iis, qui ad Opus Dei tarde occurrunt, sic declarat: *Si quis ad Nocturnas Vigilias post Gloria Psalmi 94. occurrerit, non stet in ordine suo in Choro, sed ultimus omnium stet.* Ex quibus testi-

moniis 5æ Regulæ eruditiſſimus P. Menardus ſatis appoſitè intimat: ut teſtatur clariſſimus P. Martene in Comment: Reg: *Inter pſallendum Monachos ſtare debere, qui enim jubentur ſedere, dum leguntur Lectiones, prius ſtetiſſe Pſallendo neceſſe eſt.* Unde & mentem SS. Patriarchæ, & morem Caſſinatum rectè exprimit Bernardus Caſſin, his verbis: *Uſq; hodie in Pſalmis canendis non ſedent Fratres in Monte Caſſinenſi, licet alibi videam ſedentes alternatim per vices, quod & ego non vitupero, iſtud tamen, utpote magis conſonum intentioni S. P. N. Benedicti, magis laudo.* Et quod Bernardus de Caſſinenſi, hoc Boërius de Monaſteriis ſublacenſi, & Specus teſtatur: *Monachos in Pſalmis omnino non ſediſſe.* Juſtum enim, & æquum eſt, ut ſtando reddamus Domino Laudes, nam ipſe S. P. Benedictus cap: 19. ſuæ Reg: animando nos ad attentam Divinæ Pſalmodiæ harmoniam, non dicit: ſedendo pſallamus, ſed: *Sic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra, concordet voci noſtræ.*

2. Quod ſtando Pſalmi debeant recitari, non novum eſt inventum, ſed mos antiquiſſimus in Eccleſia Dei, id evidentiſſimè demonſtrat *Antonius Caracciolus in 2. edit. Comment: ad Conſt: Cler: Regul:* Nec non *Franciſcus Magrius diſq; 5. & ſeq; de Div: Offi: & Choro.* Eamq; fuiſſe veterum Monachorum praxim, videre eſt apud S. Athanaſium in *Lib de Virginit:* ubi agit: *Media nocte ſurgito, & Pſalmos dicito quantum potes, ſtans.* Rurſus ex S. Joanne Chriſoſtomo, qui de vita Monachorum ſui temporis ita ſcribit *Hom: 14. in 1. Timoth. Cum ante lucem Gallus emittit vocem: omnes cum reverentia diſcuſſo ſopore conſurgunt, à ſuo excitati Prælato, adſtantq; Sacro Choro protinus expanſis manibus Sanctos concinunt Hymnos.* Unde P. Gavantus par, 2. cap. 8. num. 18. Regulam Rubri aſſerit hanc eſſe: *Standum eſſe ad Pſalmos.* Patet hoc & ex Rituali Ciſtercienſium 1721. Pariſiis impreſſo, ubi cap. 8. num: 3. ſic legitur: *Stamus adhuc in ſtallis, ſed vultibus ad invicem verſis, ſeu Chorus ad Chorum, ad Pſalmos, Hymnos, Cantica, & Antiphonas communes.* Qui autem in hac materia plura legere deſiderat, conſulat Petrum Damiani, qui integrum hac de re edidit opuſculum, ut meminit Card: Baronius ad Annum 1062.

3. Itaq; dum inchoatur Officium Divinum, poſt recitatum Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, atq; Symbolum Apoſtolorum, ſtandum eſt verſus Altare capite nudato uſq; ad ℣. *Gloria Patri. Ita Declar: Caſſin: ſuper cap. 20. Reg: num. 8.* Item ad Antiphonas, ℟℟. brevia,
verſus,

verſus, & uſq; ad finem cujusq; Horæ, excepta Oratione pariter ad Altare ſtandum.

4. Ad *Matutinum* ſtandum eſt verſus Altare ab initio ad *Deus in adjutorium*, uſq; ad *Gloria*, & dum ter dicitur *Domine labia mea aperies*, atq; Pſalmus 3. verſa facie ad invicem. Ad Jnvitatorium, & Pſalmum 94. verſus Altare ſtandum. Dum inchoatur primus Pſalmus Nocturnorum ſedere permittitur, ut patet ex *Cærem: Epiſc; Lib.* 2. *cap:* 33. his verbis: *Standum univerſo Clero tam ſæculari quam Regulari ad omnes horas, dum dicuntur coram SS: Sacramento expoſito, niſi forte ad Matutinas pro earum prolixitate ſedere permittatur.* Poſt ſextum Pſalmum Nocturni, & Antiphonam ad Verſum erigunt ſe omnes, & dicto cum humiliatione *Pater Noſter* verſa facie ad Altare ſtandum uſq; ad initium I. Lectionis quam Lector non incipit, quin prius ſedeant omnes. Quod etiam in 2. & 3. Nocturno obſervandum erit. Et dum verba Evangelii præmittuntur Lectionibus tertii Nocturni, ſtandum eſt verſus eum, qui ea cantat, vel legit, donec hæc verba: *Et reliqua* prolata fuerint. Nec etiam prius incipiat legere Homiliam priusquam ſederint omnes.

5. Jtem ſtandum eſt omni Superiori, vel Seniori præſidenti in Choro, dum dat omnes benedictiones, ante quascunq; Lectiones, niſi ſit D. Abbas, nam hic tantum ad 1. 5. & 9. ac 12, ſi erit de Homilia Feriæ, vel Dominicæ, dandas benedictiones ſtat, ad reliquas vero ſedet. Cæteri tamen de Choro ad alias benedictiones ſedent, ſcilicet ad 2. 3. 4. cujuſcunq; Nocturni, niſi ultima Lectio ſit de Homilia, quia tunc omnes ad benedictionem ſurgunt. Lectores cantantes, ſive legentes Lectiones omnino ſtare debent, licet alii de Choro ſedeant. Jntonantes incipientes Pſalmos ſtando incipere tenentur. Jtem ad Hymnum *Te Deum laudamus*, ſtare totus Chorus debet facie verſa ad invicem, & ad Evangelium facie verſa ad Altare. *Jta ſtatuunt declar: Caſſin. in cap:* 20. *Reg: num.* 13.

6. Ad *Laudes*, ad *Deus in adjutorium* &c: Standum eſt verſus Altare uſq; ad *Gloria* & per omnes Pſalmos ſtandum eſt verſa ad invicem facie; poſt *Gloria* ultimi Pſalmi vertit ſe Chorus ad Altare, & manet ſic ſtans per Capitulum, & ℟. breve, ad cujus *Gloria* vertit ſe facie ad invicem, ſtatq; per totum Hymnum, quo finito ad ℣. & Antiphonam ſtant omnes converſi ad Altare. Ad Canticum *Benedictus* ſtat uterq; Chorus facie ad invicem, uſq; ad *Gloria*, poſt quod omnes verſus Altare ſtant uſq; ad finem.

7. Ad *Primam*, dicto *Pater*, *Ave*, & *Credo* versus Altare stant omnes dum inchoatur usq; ad *Gloria*. Hymnus, & Psalmi dicuntur versa ad invicem facie, quibus finitis, post *Gloria* scilicet ultimi Psalmi, omnes convertunt faciem ad Altare, & stant usq; ad lectionem Martyrologii, nisi interim inclinatio esset facienda. Et dum legitur seu canitur Martyrologium, omnes sedent, exceptis: Vigilia Nativitatis D. N. J. C. ubi à principio stant facie ad invicem versa, ad illa vero verba: *In Bethleem Judæ* &c: omnes genuflectunt, & postea adhuc stant, donec fuerint terminata illa verba: *Nativitas D. N. J. C secundùm carnem*; quibus decantatis sedent in Stallis. Et Dominica Resurrectionis, in qua, dum in Martyrologio primo loco Lector annuntiat Paschalem Solemnitatem, dicens: *Hac die* &c: omnes in Choro stant, versa ad invicem facie, & dum Kalendæ pronuntiantur sedent more solito. Finito Martyrologio, dum dicitur: *atq; Sanctarum Virginum*, omnes simul surgunt, & conversi ad Altare respondent: *Deo gratias*, sicq; stant ad *Prætiosa*, *Deus in adjutorium*, *Kyrieeleison*, Lectionem brevem, & usq; ad *Fidelium animæ* &c: jam autem ad ℣. *Respice in Servos* &c: stant facie ad faciem.

8. Ad *Tertiam*, *Sextam*, & *Nonam* pariter servatur Rubrum ut ad *Primam*. Ad *Vesperas* autem, dicto *Pater* & *Ave*. Stant versi ad Altare, & dum ad *Gloria* se convertunt ad invicem facie, sic stant ad omnes Psalmos, sed ad Capitulum convertunt se ad Altare, sicq; ℟. breve dicunt, conversi denuo ad *Gloria*, persistunt quousq; Hymnus non fuerit finitus: sed ad ℣. & Antyphonam Cantici manent ad Altare conversi, inchoato vero *Magnificat*, facie stant ad invicem, eo vero finito, denuo vertunt se ad Altare, sicq; ad finem persistunt.

9. Ad *Completorium*, dum dicitur: *Jube Domne*, &c: omnes facie ad Altare versa stant, usq; ad *Gloria*. post ℣. *Deus in adjutorium*, non nisi ad Orationem Dominicam, & Confessionem faciendam se convertunt & inclinant. Ad Psalmos autem, & Hymnum stant facie versa ad invicem, sed ad Capitulum, Versum, *Kyrieeleison*, & reliqua ad finem stant versus Altare, tantum ad *Benedicat* &c: vertentes faciem ad invicem, inclinant se.

10. Ad elevationem SS: Sacramenti, etiam standum in Choro, quando ad Altare, ad quod Chorus conversus est, Missa privata dicitur, quæ juxta Decr: S. R. C. celebrari non debet, si tamen necessitas exigat eam celebrare, campanu-

panula ad elevationem pulſari non debet. Standum pariter eſt in Choro, dum adminiſtratur SS: Sacramentum ad Miſſam, exceptis iis, qui accepturi ſunt Communionem, ut notat *Cærem: Epiſc: L. 2. c. 29.* Ad totum Hymnum *Te Deum Laudamus* ſtandum eſt verſa facie ad invicem, excepto ℣. *Te ergo* &c: ut infra dicetur. Inſuper ſtandum ad Lectiones Officii parvi B. M. V. in Adventu, quia ſunt de Evangelio. Præterea ad Symbolum *Quicunque* &c: ex decreto S. R. C. ut infra. n. 2.

11. Standum præterea verſa facie ad invicem, ad Antyphonas B. M. V. in fine Horarum, toto tempore Paſhali, & in omnibus Dominicis, à I. Veſperis incluſive uſq; ad finem Completorii poſt II. Veſperas, etiam incluſivè, & ad ℣. verſa facie ad Altare. Inſuper ad *Pater, Ave, Credo* poſt Completorium toto illo tempore, & dictis Dominicis ſtandum, *ita P. Baulny P. II. c. 2. n.* [illegible] & Cæremon: Monaſt: Congr: Montis Serrati in Hiſpa: P. I. diſtat: I. c. 10. n. 8. Demum ad illa verba in ℣℣, & ℟℟, quæ in Evangelio lecta genuflexione requirunt, e. g. *Verbum caro factum eſt. Procidentes adoraverunt eum.* Et alia ſimilia, ſtandum videtur & non genuflectendum, ſed ad ſummum inclinatio facienda: Aſt quando in Evangelio leguntur, genuflectendum eſt, *ex mente ſupra nominati Rubriciſtæ loc: cit: n. 15.*

12. Ad Officium Defunctorum, ſtandum etiam ab omnibus verſus Altare, quando Solemniter dicitur, donec inchoatus ſit I. Pſalmus Nocturni, ſicut & ad IX. Lectionem cum ℟. Suo. Ad Laudes, & Veſperas convenit ſtare, & non ſedere ad Psalmos, verſa ad invicem facie. Ad Orationes hujuſmodi Officii Veſperarum, & Laudum, ſolus Officians ſtare debet, reliqui juxta Rubrum Breviarii genuflexi permanent. Ad Aſperſionem Aquæ benedictæ ſive Dominicâ, ſivè in aliis Feſtis, ſive demum in Feriis quibuſcunq; ſtandum eſt, tamen cum inclinatione. Ita *Cær: Mon. Mont ſer P. 1. diſt: 1. c. 9. n. 8.*

Decreta S. Rit. Congregationis.

1. Dum Horæ Canonicæ recitantur in Choro, non ſunt celebrandæ Miſſæ privatæ in Altari Majori. S. R. C. *2. Maii 1670. in Oſcen.*

2. Symbolum S. Athanaſii quod dicitur ad Primam, laudabi-

lius in Choro recitatur ſtando S. R. C. 23. *Decembris.* 1624. *in una dubiorum.*

3. Quando in Miſſa ſolemni miniſtratur S. Euchariſtia Clericis, vel Laicis, reliqui de Clero in Choro debent ſtare. S. R. C. 9. *Maii* 1711. *in Catanen.*

CAPUT VI.

Quando genufleĉtendum in Choro?

I. Cum genuflexio ſit ſpecies inclinationum, hæc fieri debet per ſolam genuum inflexionem uſq; ad terram, ſine alia humerorum, aut Capitis inclinatione, ita, ut genua ſint poſita ſuper terram, reliquo Corpore erecto, ſine tamen ulla feſtinatione. Qui itaque tranſeunt ante Tabernaculum SS. Sacramenti, & ad medium Chori accedunt, vel ab eo recedunt, licetſi ſola Crux ſit in Altari, genuflectendum eſt ab omnibus in Choro, quod ſemper obſervari debet: *Ita Cærem: Epiſc:* L. 1. c. 21. At ſi SS: Sacramentum ſit expoſitum, utroq; genufleĉtendum. Ut patebit ex Decr: S. R. C. n. 3. & 7.

2. Venientes Religioſi in Chorum, ante initium Officii Divini genuflectunt in locis ſuis, donec detur à Superiore ſignum ſurgendi, & inchoandi Horas. Quoties elevatur, oſtenditur, & circumfertur SS. Sacramentum per Eccleſiam, & alia loca, omnes genuflectunt, nec ſurgunt, donec ultra transferatur. Sed ſi aſtantes in Choro ſint in Cantu impediti non genufleĉtunt, ſed tantum profunde ſe in loco ſuo inclinant.

3. In Matutinis, in Pſalmo 94. ad illa Verba: *Et procidamus ante Deum*, & ad ℣. *Te ergo quæſumus* &c: in Hymno Ambroſiano non tamen ad trinum *Sanctus*, nullibi enim de hoc legitur, & ſequeretur etiam ad illud ipſum in Miſſa genuflectere, quod non convenit. Item in Hymnis ad hos ℣℣. *Veni Creator Spiritus. Ave maris ſtella. Veneremur cernui. O! Crux ave ſpes unica* etiam tempore Paſchali, omnes Choro adſtantes genuflectere tenentur: Excepto Celebrante, vel Superiore, aut Cantoribus, prædictos Verſus ſeparatim intonantibus, qui tunc non genufleĉtunt, niſi poſt intonationem. Inſuper ad Primam poſt *Pretioſa* dum Superior dicit, *Requieſcant in pace*, omnes genufleĉtere debent, & manere uſq; ad finem genuflexi.

4.

4. Ad omnes Horas initio precum Ferialium, quando dicuntur flexis genibus ex Rubr. Brev: ab hoc ℣. *Kyrieeleiſon.* uſq; ad *Benedicamus Domino*, incluſivè, & quandocunq; in tali Officio Feriali dicitur Oratio Dominica, Salutatio Angelica & Symbolum Apoſtolorum, ſive initio, ſive in medio Officii, genuflectere debent. Ad Confeſſionem tamen faciendam, quæ non venit nomine precum, erecti eſſe tenentur, ſed finito *Indulgentiam* &c: ad ℣. *Dignare* &c: genuflexi permanent. Quòd pariter obſervandum eſt in Officio parvo B. M. V. quando dicitur in Choro.

5. Jn Veſperis, & Matutinis Officii Defunctorum idem pariter ſervari debet, ita, ut ſtatim repetita Antiphona poſt Cantica *Magnificat*, & *Benedictus*, genuflectatur. Jn Pſalmis Gradualibus ad preces, & non ad Pſalmos, qui dici debent ſtando, etiam genuflectitur. Ad Pſalmos verò Pœnitentiales, unà cum Lytaniis, ac precibus annexis, uſq; ad finem Orationum incluſivè genuflectendum. Hebdomadarius tamen in his & aliis omnibus ſurgit tunc, quando dicit *Dominus vobiscum*, ante Orationes, & ſic uſq; ad finem ſtat. Excipitur autem triduum ante Paſcha, in quo Oratio: *Reſpice quæſumus* &c: etiam à Celebrante, ſive Superiore dicitur genibus flexis, pariter ad gratiarum actionem in fine refectionis dictis diebus,

6. Genuflectendum quoq; eſt etiam tempore Paſchali, ad omnes Litaniarum Majorum, & Minorum preces, & Suffragia, à toto Choro, excepto ſolo tantum Celebrante, ſive Hebdomadario parato, qui Verſus quidem cum omnibus recitat genuflexus, ad ſolas tantum Orationes ſtat. Pariter eodem tempore Paſchali genuflectendum ab omnibus ad precationes, quæ fiunt pro Defunctis, ſive ad Miſſam, ſive ad Caſtrum doloris, ſive ad Officium Defunctorum.

7. Jnſuper genuflectendum eſt ad Antiphonas B. V. M. quando dicendæ ſunt in fine Officii, pro ratione temporis, & ad Salutationem Angelicam, excepto tempore Paſchali, & Dominicis omnibus à I. Veſperis. Jn Martyrologio, quod dicitur pridie Nativitatis D. ad illa verba: *Jn Bethlehem Judæ* &c: uſq; ad ea: *Nativitas D. N. J. C.* &c: incluſivè exceptis tantum Ceroferariis (ſi adſint) hi enim ſemper ſtant; Cæteri omnes, etiam Celebrans cantant, genuflectunt.

8. Venientes Religioſi ad Chorum ſive tempeſtivè, ſive ſerò, in plano genuflectant aliquantulum orantes, antequam ad locum ſuum accedant, quod ad mentem *Cærem: Epiſc: L.* 1. *c.* 18. non tantum à ſimplicibus Religioſis, verum à Superioribus,

bus atq; ipsis Prælatis observandum est. Ad Benedictionem Solemnem DD. Abbatum Pontificaliter dandam, sive post Missam, sive post Vesperas ex dispositione S. R. C. genuflectendum est ab omnibus.

9. Notandum verò est, ut in ipsis genuflexionibus quæ fiunt cum aliqua mora, omnes utrumq; genuflectant, non verò unicum tantum, quia omnis genuflexio debet fieri graviter, & modestè. Cum omnes in Choro genuflectunt, id ita efficiant, ut quasi unicus actus genuflexionis videatur, simul scilicet procumbant in genua, & simul consurgant, indecens enim esset; si unus alio vel posterius genuflecteret. Cum verò bini sive in Processionibus, sive in ministerio Altaris, ante illud pertranseunt, ubi vel est expositum SS. Sacramentum, vel reconditum in Tabernaculo, vel etiam in Missa fit elevatio ejusdem, ambo simul genuflectant, usq; ad terram, strenuè, & alacriter, sine strepitu, & cunctatione, & cum æquali distantia *e.g.* duorum, vel trium passuum, ab iis, qui eos sequuntur, ita ut ipsi sequentes non sistant se expectantes, sed in eodem loco genuflectant post eos.

10. Conveniens est, ut Religiosi F. F. una eademq; die confiteantur, & uno, eodemq; tempore simul communicent, ex hac enim uniformitate accedendi ad tantum Sacramentum, populus astans ædificatur, & in majori fervore laudis Dei roboratur: Jdeoq; sive in Missa Conventuali, sive extra eam, ex concessione Superiorum, omnes tamen simul, in pari indumento, accedere debent ad Sacram Synaxim, & quod magis conveniens est Thogati, seu Cucullati in medio Chori bini & bini genuflectant, & si unus habebit defectum Socii, in ultimo numero binorum tertius adjungatur.

11. Adveniente Presbytero ad dandam Communionem, sive in Missa post sumptionem SS. Sangvinis, inclinantes se, omnes uno ore devotè dicant Confessionem, & tam ad *Misereatur*, quam ad *Indulgentiam* respondentes *Amen* percutiant in humilitate pectus suum ter dicendo: *Domine non sum dignus* &c: Et converso Presbytero cum Sacramento ad Communicaturos Fratres, è senioribus primi bini accedant, in ipso tamen accessu post unum vel binos passus genuflexionem simul faciant. ita, ut à loco, ubi genuflexi permanebant, antequam accesserint ad gradus Altaris, tres genuflexiones faciant. Jlliq; primi bini, postquam iam sumpserint Communionem, eandem Tobaleam, quam sibi datam, tenebant ad invicem tantum, extendant eam, & teneant extensam, quousq; omnes

omnes

omnes de FF. Rel: non communicaverint. Redeuntes autem à Communione ſemel tantum genuflectant, & ſtatim ad latera tranſeant, relinquentes aliis medium accedendi ad Communionem. Quod ab omnibus, omni tempore, & præſertim in die Cænæ Domini obſervari debet. Et dum de manu D. Abbatis recipitur Communio, antequam ſumatur Corpus Domini, annulum Pontificalem eius prius unuſquiſq; oſculare tenetur. *Ita habet Cærem. Epiſc: L. 2. c. 29.*

Decreta S. R. Congr.

1. Genuflectendum eſt ſemper ab omnibus tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt Proceſſiones per Eccleſiam, & contraria conſvetudo declaratur abuſus, S. R. C. 14. *Decembris.* 1602. *in Placentina.*

2. Genuflectendum non eſt ad Orationes in Miſſa Solemni, in qua dicitur *Gloria*, & *Credo*. S. R. C. 19. *Maii.* 1607. *in Placentina.*

3. Quando SS. Euchariſtiæ Sacramentum publicè diſcoopertum exponitur, omnes ante illud tranſeuntes, cuiuſcunq; conditionis, & Ordinis ſint, ſeu ad illud accedentes, ſeu ab eodem recedentes, ſemper utroq; genuflectere debent. S. R. C. 19. *Auguſti.* 1651. *in una Urbis.*

4. Dum elevatur Euchariſtia Sanctiſſima, Canonici, & Clerus, ſive in Choro exiſtant, ſive Proceſſionaliter incedant, ſemper debent genuflectere. S. R. C. 1620. 2. *Maii*, *in Oſcen.*

5. Jn proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium quæ fiunt per Eccleſias ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda campanula ad elevationem Hoſtiæ in Miſſa privata. Quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt utroq; genu à tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito SS. Sacramento progrediendum eſt. Similiter, ſi alii tranſeant in elevatione Calicis. S. R. C. 1. *Martii.* 1681. *in una Canon. Regul. Lateran.*

6. Serventur Rubricæ Miſſalis, Breviarii, & Cæremonialis Epoſcoporum, ad verba Jnvitatorii: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, ad verba Symboli: *Et incarnatus eſt*, & ad alia ſimilia genuflexionem requirentia, etiam à Cantoribus ad Ambonem, aut Chorum degentibus, dum ea proferuntur actualiter; ſic tamen, ut quando mora genuflexionis

est brevis, hæc fiat, quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflectendum erit sub fine verborum. S. R. C. 8. *Martii.* 1738. *in Ulixibonen. Occid. Regii Nosocomii.*

7. Genuflexio utroq; genu est facienda à transeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam si fuerit in Pixide patenter expositum. S. R. C. 7. *Maii* 1746. *in Varsavien.*

8. Si loco principe Reliquia SSæ Crucis super Altare fuerit exposita, tum transeuntes ante illam unico genu usq; ad terram flexo venerare debent. Diversimode vero, sola Capitis inclinatione, si prælata Reliquia recondita erit intra custodiam. S. R. C. 7. *Maii* 1746. *in Varsav.*

9. In Missa Feriali, quæ subtituitur Missæ de Octava, est genuflectendum in Choro S. R. C. 23 *Junii* 1736. *in Einsidlen.*

CAPUT VII.

De inclinationibus in Choro.

I. RElictâ genuflexione, quæ est species inclinationis, & de qua Cap: præcedenti egimus, adhuc triplex adhiberi solet inclinatio in Choro, scilicet: Medii Corporis, humerorum, & solius Capitis inflexio. 1. dicitur profunda, 2. Mediocris, 3. Minima. *Prima* ita fieri debet, ut inclinando medietatem Corporis, demissæ manus digitis genua tangant. *Secunda* peragitur, dum caput cum humeris simul inclinatur, reliquum tamen Corpus nihilquidquam incurvatur. *Tertia* expletur per solam Capitis inflexionem, non tamen velocem, non frivolam, sed modestam, morosam, & humilem.

2. Quoties itaq; profertur Nomen JESUS, omnes detecto capite mediocrem debent facere inclinationem, non autem ad Nomen *Christi. ita Cærem: Episc: L.* 2. *c.* 8. Ad MARIÆ verò Nomen, & Sanctorum de quibus fit Officium, aut Commemoratio, & ad Nomen Papæ viventis toties caput inclinandum est; ad Nomen tamen MARIÆ profundius quàm ad alia.

3. Quandocunq; dicitur iste ℣. *Gloria Patri* &c: in Choro sive à principio post ℣. *Deus in adjutorium,* &c: sive

ad Psalmos, sive ad RR. brevia, sive ad RR. prolixa Nocturnorum, semper fieri debet inclinatio profunda, quia in 4. 8. & 12. Responsorio, SS: P. Benedictus *Reg: cap:* 9. & *cap.* 11. præcipit ad *Gloria* de sedibus suis surgere, ob promptiorem actum inclinationis, propter honorem, & reverentiam SSS. Trinitatis exercendum. Et quia ad Psalmos Nocturnales Matutinorum permittitur sedere, post quemlibet tamen Psalmum ad *Gloria* facienda est inclinatio, unde satis est, si detecto Capite se inclinent Religiosi prout sunt sedentes.

4. Quoties SSS. Trinitatis expressa fit mentio, præsertim per enumerationem Personarum Divinarum, tam in fine Hymnorum, quam in conclusionibus Orationum, atq; in Antiphonis quæ dicuntur in Festo SSS. Trinitatis, aut aliis diebus, fieri debet profunda reverentia aperto capite: quo tempore incedentes per Chorum, consistant in loco ubi audierint, atq; versus Altare debitam faciant reverentiam cum cæteris. Jn Choro permanentes inclinationem hanc facere tenentur facie ad invicem, sive sint in medio Chori ad Legile, sive in Stallis.

5. Jn Hymno Ambrosiano ad ea verba: *Te Deum laudamus.* & ad illa: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Nec non in Psalmis ad hos Versus: Psal: 112. v. 2. *Sit Nomen Domini benedictum.* Psal: 110. ℣. 9. *Sanctum & terribile Nomen eius.* Psal: 67. 21. *Benedictus Dominus die quotidie.* Ps: 71. 17. *Sit Nomen eius benedictum in sæcula.* Ps: 71. 20. *Benedictum Nomen maiestatis eius.* Psal: 66. v: 6. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Ps: 50. *Miserere mei Deus.* ac ad alias similes invocationes, collaudationes profunda facienda est inclinatio. Pariter in Cantico Trium Puerorum ad penultimum ℣. *Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu,* & ad Cantici Zachariæ primum ℣. *Benedictus Dominus Deus Jsrael.* in Cantico Mariano ad illa verba: *& Sanctum Nomen eius,* atq; in Symbolo S. Athanasii ad verba tertii ℣. *ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur,* & ad ℣. 25. *Jta ut per omnia &c:* profunda reverentia fieri debet.

6. Jnsuper ad ea verba, ubi fit mysterii Jncarnationis mentio scilicet in Hymno Ambrosiano: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.* Sicut & Symbolo S: Athanasii ad illum ℣. 27 *Sed necessarium* &c: facienda est reverentia saltem mediocris. Præterea ad invocationem Divinam in Hymnis, & ad petitionem, ut ad *Nunc Sancte nobis*

Spiritus. Rerum creator poscimus. Deum precamur Supplices. Deus tuorum Militum. Rex gloriose Martyrum. Jesu Redemptor omnium. Jesu Corona Celsior. Jesu Corona Virginum. Christe Redemptor omnium. Conditor alme Syderum. O lux beata Trinitas! & in cæteris similibus, inclinandum est saltem inclinatione minima, ast ubi Nomen JESU invenitur, mediocri inclinatione reverentia erit facienda.

7. Ante D. Abbatem, vel Episcopos extraneos transeundo mediocri tantum uti debent Religiosi inclinatione, quod & Principibus, ac aliis Potentibus pro dignitate Personarum præstandum. Cum vero plures adsunt Prælati ejusdem gradûs, & Ordinis, vel uni tantum eorum qui prior est in ordine reverentia fiat, vel omnibus simul unica inclinatione, *prout docet Castaldus L. 2. sect. 1. c. 5. n. 9.* Si autem inter DD. Abbates sit simul præsens Ill: D. Præsidens, ut contigit in Capitulo Generali, tunc supremo capiti profunda, cæteris autem mediocris semel ad hanc, & semel ad illam partem debetur reverentia. Hæc tamen tantum præstari debet præsentibus in Choro, non autem dispersis per Ecclesiam.

8. Dum fit Confessio ad Primam, & Completorium, Hebdomadarius dicto secretè *Pater noster*, solus inclinatus profunde versus Chorum dicit *Confiteor*, in eodem situ permanet, donec à Choro recitetur integrum *Misereatur*, qui respondendo *Amen*, erigit se, & stat versus Altare. Tum Chorus dicto *Misereatur* adhuc facie versa ad Altare, convertit se facie ad invicem, & inclinatus dicit *Confiteor*, nec se prius erigit, donec Hebdomadarius recitaverit *Misereatur*, relicto Superiori ad dicendum: *Indulgentiam.* Si autem Celebrans celebret Solemniter Completorium, & tunc adesset D. Abbas in Choro, dictus Celebrans antequam recitet ea quæ Superiori conveniunt, videlicet. *Noctem quietam* &c: *Indulgentiam* &c: *Benedicat, & custodiat &c*: prius erga eundem D. Abbatem in Choro præsentem tenetur inclinationem facere mediocrem. *Ita Cærem: Episc: L. 2. c. 2. & 4.*

9. Dictæ inclinationes, seu reverentiæ non fiant ita profundè, ut cantui Religiosorum noceant. Quando enim inclinatio debeat esse brevissima, sufficit si sit mediocris, & quando debet esse cum mora, videtur facienda profundiùs. Notandum hic obiter, quod quando præcipitur inclinatio capitis, non ita stricte id intelligendum est, ut tantum solius

capi-

capitis fiat inclinatio, sed adhuc requiritur saltem aliqua humerorum etiam inclinatio, ut patet in Missali, & Cærem: Episc:, multis in locis.

10. Altefactæ inclinationes regulariter debent fieri capite nudo, & Corpore inclinato, dum sunt profundæ, quantum fieri potest; sed in his gravis modestia observari debet, ita, ut gestus exterior, ea, quæ ore proferuntur comitetur, & cultu exteriori, pietas, & interior cultus augeatur. Hoc insuper in specificatis inclinationibus advertant omnes, ut simul, & æquali modo eas peragant, ne unus profundiùs, quam alius.

CAPUT VIII.

Quando Caput denudandum? aut tegendum?

1. AD tegendum in Choro Caput, nihil Caputio Monastico potest esse commodiùs, tum quia cito denudare quisq; Caput potest, tum quia ad tegendum Caput in promptu commoditatem habet, tum quia in Psalmodia aliquomodo curiosæ obviatur inspectioni, & consequenter distractioni. Tale Caputium antiquis Sanctis Anachoretis fuit charum, & dulce, quia dum Caputio obtexerunt oculos suos, etiam stantes cum aliis in Choro, tamen arbitrabantur se in Solitudine esse, & sic majori fervore in Divinis Laudibus exardescebant. O! utinam unanimes in domo Dei essemus!

2. Denudandum ordinarie Caput ab omnibus de Choro quoties ipsis genuflectendum, aut inclinandum est. Ad Meditationem tamen licet genuflectamus, regulariter tamen toto Caputio, Caput, & oculos contegimus, ad evitandas occasiones distractionum. Jn Matutinis licet ad Psalmos sedeamus, tamen ubi dicitur *Gloria Patri* &c: vel aliqua reverentia Maiestati Divinæ exhiberi debet, statim Caput denudandum est; dum ad Officium Divinum est expositum in Altari SS: Sacramentum, pariter caput denudatum, semper debet esse, sicut in pari casu, tunc, quando fidelibus ministratur, vel ad infirmum defertur.

3.

3. A principio cujuscunq; Horæ Canonicæ omnes nudo Capite stare debent, & nemo tegere potest, nisi tunc, dum primus inchoatur Psalmus. Ad Hymnos, Capitula, ℟℟ brevia, ℣℣, & Orationes, ad preces quoq; & Suffragia, ac reliqua quæ sequuntur, usq; ad finem Officii, pariter non debent esse tecto capite.

4. Similiter ad Hymnum *Te Deum laudamus*, ad Lectiones Officii parvi B. M. V. in Adventu, ad Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini, quando etiam genuflectendum est, & in die Paschæ primo priusquam Kalendæ pronuntientur. Item ad Officium Defunctorum, donec inchoatus sit primus Psalmus, ad ℣℣. ante Lectiones, una cum Oratione Dominica subsequente, standum est capite aperto, eodem modo in Vesperis, & Laudibus dicti Officii mortuorum ad Cantica: *Magnificat*, & *Benedictus*, standum est; ad preces vero subsequentes, capite aperto omnes permanere debent genuflexi.

5. Tegendum Caput est ad Psalmos Matutini dum sedent, ad Lectiones cum suis ℟℟ prolixis, ad Psalmos Laudum, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperarum, & Completorii, exceptis iis, quæ à principio cujusq; Horæ Psalmi primi inchoationem præcesserunt, & quæ Capitulum usq; ad finem subsequuntur, ut notavimus supra.

6. Quando unus, aut duo, vel plures in medio, aut in loco specialiter quid concinunt, v. g. quando Hebdomadarius incipit Officium, dicit Capitulum, orationes, aut alia hujusmodi solus, aut unus, vel duo intonant Psalmos, ℣℣. ℟℟ brevia, & alia horum similia; quando plures consistunt ad Pulpitum canentes Antiphonas, ℟℟ prolixa, &c: aperto capite dicta debent peragere, licet alii sub id temporis spatium stent in Choro tecto Capite. Specialiter autem advertant omnes, ut uniformitatem exactè servent, in tegendo aut detegendo Capite, quia actus Religiosorum in Choro existentium debent esse simultanei. Tamen non tegatur Caput simplici Pileo in Choro, propter indecentiam, statui Religioso repugnantem.

7. Ad exequias, cum per Ecclesiam proceditur, & in absolutione ad Tumulum, solus Celebrans Pluviali indutus caput tegit, sed transiens ante tabernaculum SS: Sacramenti capite discooperto genuflectit, & accedens ad Tumulum, Birretum ministro tradit, quod accipit tunc, quando facienda

da est Tumbæ aspersio, & incensatio, seu Castri dolorum, reversurus etiam in Sacristiam pariter caput cooperit.

8. Cum proceditur ad exportandum Corpus è loco habitationis, omnes tecto Capite in silentio incedunt, usq; ad locum, ubi jacet defuncti Corpus, ibiq; nudant capita, & dum effertur, Cadaver, tecto Capite psallentes incedunt, donec ad Ecclesiam pervenerint, ubi Caput discooperiunt; & cum extra Ecclesiam ad sepeliendum Corpus procedunt, omnes per viam caput tegunt, donec ad locum pervenerint. Ad ungendum Infirmum tecto Capite proceditur. De tegendo, vel denudando Capite Sacerdotis exeuntis ad Celebrationem Missæ suo loco dicetur: de Missa.

CAPUT IX.

De signo S. Crucis, Quomodo, & Quando formandum?

1. QUando aliquis se signo Crucis signat, sinistram manum extensam, cum pollice, & cæteris digitis simul junctis infra pectus teneat, vel sub Scapulari, vel si sit Cucullatus, supra Thogam, ita, ut hæc manus sit extra limites Crucis, quæ exprimitur dexterâ. Eadem autem dexterâ erectâ, & extensa, eius digitis, simul cum pollice junctis à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum signum Crucis format: non inflectendo digitos, nec Caput inclinando, sed erectum tenendo, & post signum formatum, manum dextram, nec pectori, nec ori admoveat, ut quidam; sed statim ipsa dextera cum sinistra jungatur, si fieri potest commodè. Et hæc est Regula Rubri ex parte Crucis formandæ.

2. Formandum autem est signum Crucis initio omnium Horarum ad hæc verba: *Deus in adjutorium meum intende*, non autem quando repetuntur in Psalmo, vel dum dicitur ter post *Prætiosa.* Item cum dicitur ℣. *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*, scilicet ad Primam ante Confessionem, & post Martyrologium, & ad Completorium, non verò in Psalmo. Insuper ad Primam cum dicitur: *Dominus nos benedicat*, & in fine Completorii dum dicitur *Benedicat & custodiat:* &c. Præterea ad Confessionem quando dicitur: *Indulgentiam* &c.

Nec

Nec non ad Antiphonam de Cruce in Suffragiis SS. *Per ſignum Crucis* &c: *ita notat Gavantus.*

3. Jn principio Matutini ſignamus Os pollice dextro ad hæc Verba, *Domine labia mea aperies*, ſiniſtra infra pectus poſita. Et congruenter ſignandum eſt pectus ſolum eodem pollice dextro, reliqua manu extenſa, initio Completorii ad illa verba: *Converte nos Deus ſalutaris noſter.* Jta praxis Communis ab Eccleſia approbata. Dicto quoq; pollice dextro ſignandum eſt Os, quotieſcunq; à Superiore dicitur ſive ad Primam, ſive finito Completorio, ſive ad Menſam *Benedicite*, ex praxi Regularium, præſertim Ord: Noſtri.

4. Celebrans, & Miniſtri, ac in Choro exiſtentes ſignant ſe initio Canticorum *Magnificat.* & *Benedictus*, non tantum, quia proceſſuri ſunt ad Altare incenſationis cauſa, ſed quia verba verè ſunt de textu Evangelico, & eadem ratione ad Canticum: *Nunc dimittis* quando dicitur. *Jta Gavantus Tom. 2. ſect: 10. c. 2. n. 10.* Quoties autem Celebrans paratus Pluviali ſe, aut aliquid aliud ſignat Signo Crucis, miniſter à dextris ejus, debet elevare fimbriam dextram pluvialis illius.

5. Cum Celebrans incipit: *Deus in adjutorium*, dicendo: *Deus* oculos aliquantulum elevat & tangens dextera frontem, dicit: *in*, & poſtea pectus dicitq; *adjutorium.* Tum tangens humerum ſiniſtrum, ac poſtea dextrum, dicit *meum*, in fine verò jungens ante pectus manus dicit: *intende*, ita ut pro unoquoque verbo, tangat primo frontem, tum pectus, deinde humerum ſiniſtrum, poſtea dextrum, & in fine jungat manus.

6. Hoc autem ſignum Crucis non tantum ab Hebdomadario, vel Celebrante, aut Superiore, ſed etiam ab omnibus aliis non impeditis formandum eſt, ad ea quæ notavimus. Unde Ceroferarii impediti Cereis cum Candelabris quæ tenent, ac Miniſtri ad inſignia Pontificalia, impediti iiſdem, Cæteriq; alii in ſimili caſu, non tenentur ad ſupradicta.

CAPUT X.
De Veſperis Solemnibus.

I. ADornato per Sacriſtiam, pro qualitate Feſti, Altari Majori, ac aliis Altaribus, tempeſtivè in Sacriſtia præparantur, pro Celebrante: Superpelliceum, Stola, & Pluviale, & pro Aſſiſtentibus duobus, duo ſuperpelli-

cea,

cea, & duo Pluvialia. Si autem SS: Sacramentum exponendum est, pro Celebrante præparetur: Humerale, Alba, Cingulus, Stola, & Pluviale, pro Assistentibus verò, utpote Diacono, & Subdiacono parentur bini Amictus, duæ Albæ, una Stola, Dalmatica, & Tunicella, sine manipulis, Coloris convenientis Festivitati. Tum pro Acolythis, Thuriferario, & Cæremoniario parari debent Cottæ, seu Superpellicea 4.

2. In Choro Sacrista, vel alii Ministri præparant sedem Celebrantis in ea parte Chori, quæ est opposita sedi Abbatiali, panno, vel aliquo Tapete tectam, cum pulvino uno; & super genuflexorio ante se posito, si fieri potest alterum Pulvinum cum Tapete, super quod, vel super legile, si tale genuflexorium apponi non possit, etiam tapete tectum, apponi debet Breviarium majoris formæ, tectum velo Sericeo coloris paramentorum, cum signaculis in eo aptatis, ubi sunt ea, quæ ipse cantare, aut dicere debet. Illud autem Legile ita aptari debet, ut facile inde amoveri possit, quando opus erit, præsertim ad incensationem Celebrantis.

3. Parant insuper iidem Ministri circa sedem Celebrantis in plano sedes binas, panno viridi contectas, pro Assistentibus, & eo casu quo sit legile, & non genuflexorium ante Celebrantem, sternitur Tapete ante eum. Thuriferarius in Sacristia præparat ignem in vase aliquo, Thuribulum, & Naviculam cum cochleari, & incenso. Ceroferarii duo Candelabra, cum duobus Cereis, Paulo itaq; ante ultimum signum Vesperarum, tempestivè accenduntur per Sacristam Lampades Ecclesiæ, omniaq; sint parata in promptu,

4. Dato ultimo signo accedunt omnes ad Sacristiam, & qui Choro adesse debent Cucullis induti bini, & bini procedant cum debitis inclinationibus, ut supra cap. 1, dictum est. Qui autem ad Assistentiam à Superiore, vel Præfecto Chori sunt dispositi, ornent se sacris vestibus, expectantes parati Celebrantem. Acolythi verò (ubi mos est, vel in defectu Sacristæ) cottis induti cum Cereis needum accensis procedant ad Altare majus, & facta in plano genuflèxione, accendunt Altaris Cereos, quilibet à parte sua modo præscribendo infra par. 3. c. 5. ac simul suos accendunt. Si autem per Sacristam accendantur Cerei Altaris, ipsi Ceroferarii facta in medio plani genuflexione, à lampade propius ardente accendunt simul suos Cereos, & statim facta iterum Altari debita reverentia, redeunt in Sacristiam

 cum

cum dictis Cereis accensis. Interim autem Thuriferarius, & Cæremoniarius adiuvant Celebrantem ornantem se Sacris Vestibus.

5. Paratis itaq; omnibus, procedunt processione Sacra in Chorum, facta tamen prius nudo Capite debita Cruci, & Celebranti reverentia, & sibi ipsis mediocri, quibus aliquali reverentia Celebrans correspondet, pro eorum qualitate nudo adhuc Capite: *ex praxi Eccles: Urbis, & Cærem: Episc: L. 1. c. 15. & ex S. R. C. decr: 12. Junii 1628.* Incedunt autem hoc modo: Præcedunt duo Ceroferarii cum Cereis accensis, tum Cæremoniarius cum Thuriferario, post quos Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum, fimbrias anteriores ejus Pluvialis una manu elevantes, alterâ supra pectus posita. Tam Celebrans, quam bini illi Assistentes procedunt capite cooperto Birretis, non tamen Ceroferarii, Cæremoniarius, & Thuriferarius, omnes tamen Oculis demissis, modesto incessu & gravi. Celebrans & Ministri nemini protunc Caput detegunt, nisi Episcopo, D. Abbati, aliisq; Principibus, aut Prælatis specialioribus.

6. Cum pervenerint ante Altare, Ceroferarii omnium postremi hinc, inde è lateribus stabunt, & in eorum medio Diaconus, cum Subdiacono, & inter ipsos medius Celebrans, post quem Cæremoniarius, & Thuriferarius simul stabunt, & detecto capite omnes genuflectunt in plano, tum surgunt, & iterum genuflectunt super infimo gradu Ministri cum Celebrante, præter Ceroferarios, Thuriferarium, & Cæremoniarium, sicq; genuflexi parumper orant. Post Orationem surgunt, & profunde Altari caput, & humeros inclinant, si verò SS: Sacramentum in eodem Altari asservatur denuò genuflectunt, & præeunte Thuriferario, cum Cæremoniario, remanentibus autem Ceroferariis in loco suo, procedunt tecto Capite ad Chorum, in cuius medio consistentes, nudo Capite salutant D. Abbatem, & utramq; Chori partem, à quo etiam Celebrans consalutari debet. Quo facto, iterum, tecto capite accedunt ad sedem sibi paratam, ubi detecto capite dicunt omnes inclinati *Pater* & *Ave.*

7. Tum Celebrans facit D. Abbati reverentiam, quasi licentiam ab eo petens incipiendi, cui D. Abbas nutu quodam Capitis licentiam concedit. Et ipse Celebrans signans se signo Crucis à fronte ad pectus cantat Clara, & competenti voce *Deus in adjutorium.* ut supra c. 9. n. 5. & interim omnes alii se signant cum eo. Cum dicitur ℣. *Gloria Patri* &c:

omnes

omnes se inclinant, & cum dicitur: *Sicut erat* Ceroferarii in locis suis extingvant Cereos, & collocantes illos in lateribus Superiori gradûs, vel credentia, facta debita reverentia Altari, D. Abbati, & Choro, accedunt ad Celebrantem, ubi à lateribus assistentium per omnes Psalmos stant, cum Cæremoniario, & Thuriferario, formantes rectam lineam.

8. Dicto per Chorum *Alleluia* vel *Laus tibi Domine* &c: Cantor, vel primus Assistens intonat Antiphonam, quæ per Chorum decantatur, & intonantes, aut etiam Ceroferarii inchoant Psalmum, qui dum hæc peragunt non ad Celebrantem stare debent, sed ad pulpitum cum cæteris canentibus Antyphonam, inchoatoq; Psalmo redeunt ad Celebrantem. Tum Celebrans ut Psalmus inchoatus fuerit, cum Assistentibus suis sedet tecto capite, remanetq; sedens usq; ad Capitulum, cæteris autem ministris stantibus. Cum dicitur à Choro ℣. *Gloria Patri* &c: post Psalmos, Celebrans cum Assistentibus sedens capite detecto faciunt inclinationem. Exposito tamen SS. Sacramento Celebrans & Assistentes capite aperto stare debent, & non sedere, cum & Episcopus stare tunc teneatur absq; mitra ob reverentiam SS: Sacramenti: *Ita Cærem: Episcop: L. 2. c. 33.*

9. Dum cantatur ultimus Psalmus Vesperarum, circa finem ejus, Thuriferarius, ac Ceroferarii, factis Celebranti, D. Abbati, & Choro debitis reverentiis, accedunt ad Altare, ubi simul in plano genuflectunt in recta linea; Thuriferarius recedit in Sacristiam, ignem ad Thuribulum paraturus, Ceroferarii verò Cereos suos, à proxima lampade igne assumpto, pariformiter accendunt, expectantes ad latera Altaris donec dicatur ℣. *Gloria*, ad quem inclinant se, & dum canitur: *Sicut erat*, iidem Acolythi cum suis Cereis accensis simul procedunt ad sedem Celebrantis modestè, & factis debitis prius Altari, tum D. Abbati postea Choro, ac deniq; Celebranti reverentiis, accedunt ad eum; ibiq; hinc inde à lateribus Celebrantis in plano ita se collocant, ut nec D. Abbati, nec Celebranti terga vertant, sed facie vel erga Celebrantem versa, vel invicem se respiciente stabunt, prout loci situs requirere potest.

10. Finita ultima Antiphona, seu sono Organi, Celebrans surgens, Biretum tradit Cæremoniario, junctisq; manibus stans, Capitulum cantat ex Libro super pulpitum, seu genuflexorium posito, vel à Cæremoniario sustentato. Re-

 spon-

ſponſo per Chorum: *Deo gratias*, canitur alternatim cum Organo ℟. breve, & omnes ſtantes ad ℣. *Gloria Patri*, inclinant ſe; Ceroferarii autem cum ſuis Cereis non recedunt de loco, donec inchoatus fuerit Hymnus.

11. Decantato ℟. brevi, Cantor Hymnum intonat; ſed ſi dicantur Hymni: *Veni Creator Spiritus*, vel *Ave Maris ſtella*, ipſe Celebrans inchoare debet, & poſt genuflectere, aſſiſtentes etiam flectunt verſus Altare, prius tamen quam Celebrans. Ceroferarii ibidem remanent ſtantes prout erant. Finita prima Stropha iidem Acolythi cum Cereis, factis debitis, ut ſupra, reverentiis, accedunt ad gradus Altaris, candelabra ſua in ſupremi gradûs extremitate deponunt, ibiq; uſq; ad Canticum *Magnificat* perſeverant. Et Hymno finito, convenientius eſt, ut à Ceroferariis in loco ſuo exiſtentibus, manibus junctis, ſine Candelabris. ℣. decantetur.

12. Finito Verſu, primus Aſſiſtens, vel Cantor præintonat Celebranti Antyphonam, ut eam ipse incipiat, eaq; per Chorum decantata, duo Cantores Tono Solemni incipiunt Canticum: *Magnificat*, & tunc Aſſiſtentes cum Celebrante, facto ſibi Signo Crucis à fronte, uſq; ad pectus, propter reverentiam Sacri Textûs Evangelii, *Sic enim habet Cærem: Epiſc: L. 2. c. 3. & P. Bauldry p. 2. c. 11. a. 5. n. 31.* (quod etiam omnes alii de Choro facere poſſunt) Nudo Capite accedunt ad Altare, levantes fimbrias Pluvialis Celebrantis, & tunc Ceroferarii accipientes Candelabra sua, vertunt ſe aliquomodo ad Celebrantem, quaſi eum expectantes, non tamen terga vertentes Altari, vertentes cum Celebrante ad Altare. Thuriferarius verò non prius de Sacriſtia egrediatur cum Thuribulo, donec Celebrans ad Altare proceſſerit, ut quaſi obviaret Celebranti procedenti ad Thurificandum. Et ſtantes ante gradus Altaris lineâ rectâ, omnes ſimul Cruci faciunt debitam reverentiam.

13. Mox Celebrans cum duobus Aſſiſtentibus aſcendit ad Altare, illudq; in medio oſculatur, & impoſito, ac Benedicto Thure in Thuribulo, miniſtrante primo Aſſiſtente naviculam, & Thuriferario thuribulum, incenſat Altare. Miniſtris Sacris hinc, inde ſublevantibus fimbrias anteriores Pluvialis, & Thuriferarius deſcendens in planum ſtat ad cornu Epiſtolæ, verſa facie ad Altare.

14. Incenſato Altari, Celebrans reddit Thuribulum primo Aſſiſtenti, qui illud recipit cum ſolitis oſculis, & tradit Thuriferario ſtanti in cornu Epiſtolæ. Tum Celebrans rediens

diens ad medium Altaris, simul cum Assistentibus, facta debita reverentia, in planum descendit, & factis iterum Altari reverentiis, eo ordine quo venerant redeunt in Chorum, præcedente Thuriferario.

15. Celebrans itaq; ut ascendit ad locum suum, à primo Assistente cum profunda inclinatione ante, & post incensatur triplici ductu, si tamen aderit in Choro D. Abbas dupici tantum ductu; cui Celebrans in salutatione aliquantulum correspondet. Tum idem primus Assistens D. Abbatem trino ductu, cæterosq; de Choro Patres, quemlibet unico ductu, P. tamen Priorem bino, atq; Fratres sine mora, ut patebit infra p. IV. c. 6. Rediens ad locum suum, reddit thuribulum Thuriferario, qui utrumq; Assistentem, uno quemlibet ductu thurificat, factâ prius congruâ Celebranti, & iis reverentiâ, & vicissim ab iisdem Ministris redhibitâ. Præsentem D. Abbatem in Choro nunquam Celebrans incensare debet, sed primus Assistens, *ut patet ex Cærem: Episc: L. 2. c. 2.* unde abusus ille contrarius per omnia Rubricæ generali abrogandus est, & nunquam permittendus.

16. Finito Cantico *Magnificat*, dum repetitur Antiphona, Ceroferarii resumunt Candelabra sua, accedunt pariformiter ad Celebrantem, cum debitis Altari, D. Abbati, Choro, & Celebranti reverentiis, eiq; assistunt ad Orationem, ut ad Capitulum, & permanent tamdiu immobiles, donec ultimâ terminatâ commemoratione celebrans dicat *Dominus vobiscum*, & tunc facta Celebranti & aliis debita reverentia, redeunt ad Altare.

17. Thuriferarius, finita incensatione, redeat in Sacristiam, ubi deposito suo Thuribulo, accedit ad Celebrantem, & ut prius consistit cum Cæremoniario. Sed advertat ne sit in via dum dicitur *Pater noster*, vel Oratio, sed anticipet tempus illius, vel adsummum tunc accedat, quando Celebrans dicit: *Dominus vobiscum.*

18. Celebrans repetita Antiphona Cantici *Magnificat*, & cessante Organo, junctis ante pectus manibus cantat *Kyrie eleison*, tum integram Orationem Dominicam, usq; ad ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*, inclusivè, postea *Dominus vobiscum*, & Orationem unam, vel plures pro qualitate temporis, juxta Rubricas Breviarij. Et dum pro Commemoratione facienda decantari debeant ℣℣. convenientius esset, ut hoc Officium ab Assistentibus expleatur, & non à Celebrante, imo sic debet fieri, & non aliter.

19.

19. Dicto post Commemorationes à Celebrante *Dominus vobiscum*, (si non adsint in Choro bini cantores) Assistentes ascendunt ad medium Chori, & factis debitis Celebranti, ac postea Altari reverentiis, stantes facie ad Altare cantant in Tono convenienti Solemnitati *Benedicamus Domino*, tum facta Altari reverentia accedunt ad Celebrantem, qui depressiori voce dicit. ℣. *Fidelium Animæ* &c: Si autem Assistentes in decantatione *Benedicamus Domino* non sint periti, bini de Choro, habitu Monachali induti hoc officium explere debent, quod pariter sentiendum est in similibus casibus.

20. Si Completorium immediatè dicitur post Vesperas, dicto à Celebrante *Fidelium animæ* &c: Assistentes sumptis Biretis de manu Cæremoniarii cum Ceroferariis, (qui in tali casu non prius recedunt à Celebrante, quam simul) Thuriferario, ac Cæremoniario; facta reverentia D. Abbati, & Choro nudo Capite, postea tectis Capitibus eo ordine, quo venerant redeunt in Sacristiam. Transeuntes ante, vel prope maius Altare, genuflectunt ad gradus illius, ut initio Vesperarum, & demum recedunt in Sacristiam. Non enim decet (*ut ait P. Bauldry par. 2. cap. 11. art. 2. Num: 2.*) Celebrantem inchoare Completorium cum Pluviali, & finire sine eo; præsertim quia Hora Canonica cum qua Solemnitate incipit, cum eadem terminari debet. *Reg: Rubri.*

21. Si verò non sequatur Completorium, post Orationem Dominicam in silentio dictam, Celebrans in eodem loco dicit graviori voce: *Dominus det nobis suam pacem*, tum à Cantore inchoatur Antiphona B. M. V. quam Celebrans cum ministris, stans, vel genuflexus pro temporis ratione prosequitur cum Choro, qua finita, si canitur Antiphona, Ceroferarii ℣. decantant, si autem planè dicitur, Celebrans & ℣. & Orationem solus recitat, sed stans, in cujus Orationis fine dicit: *Divinum auxilium* &c: Tum Ceroferarii Candelabra sua reassumunt, erga Celebrantem procedunt, eumq; quasi in via expectant, & cum eo, alijsq; ministris, non prætermissi, debitis (cui competit) reverentiis, in Sacristiam redeunt, ubi factis Celebranti, & Cruci reverentiis, Sacra paramenta deponunt, & recedunt in pace.

De-

Decreta S. R. Gongr:

1. REgulares, etiam S. J. in Miſſis ſolemnibus adhibere debent Diaconum, & Subdiaconum; & in Veſperis Sacerdotem Pluviali indutum, ac in reliquis omnibus tenentur exacte obſervare Rituale, Cæremoniale, & Rubricas Miſſalis Romani S. R. C. 5. *Octobris*, 1652. *confirmante Jnnocentio* X. 16. *Decembris ejusdem Anni.*

2. Celebrans, & Aſſiſtentes in Veſperis, & Miſſa Solemni, etiam in Solemnitatibus debent ſedere in ſcanno, & non in ſede Camerali. S. R. C. 31. *Julii* 1665. *in Reginat n. in Calabria.*

3. Jn Veſperis & Laudibus ferialibus, non ſunt canendæ feriales preces alta voce, & per depreſſionem vocis, in fine uniuſcuiusq; verſiculi, à *Fa*, ad *Re*, ſed utendum tono ac voce uniformi per ſimplicem *Fa*, non obſtante contraria conſvetudine. S. R. C. 9. *Maii.* 1739. *in una Montis Politiani.*

C A P U T XI.

De Completorio Solemni.

I. DUm Completorium diviſim à Veſperis celebratur, prout contigit in Quadrageſima, omnia præparantur, ut ad Veſperas, & Celebrans cum Miniſtris induti Paramentis Sacris eo ordine procedunt, (*ut diximus cap: præc:*) ad ſedem paratam, ſervatis debitis Altari, D. Abbati, & Choro reverentiis.

2. Si autem poſt Veſperas, ſtatim Solemniter decantetur, Ceroferarii, dicto à Celebrante *Fidelium Animæ* &c: extingvunt aliquos Cereos ſuper Altare, ita ut ad Completorium ſemper ſit minor luminum Numerus, quam ad Veſperas (*Jta decidit Clar: P. Merati Tom. 2. Sect: 10. c. 3. n. 17*
& ſuis etiam prointerim extinctis.

3. Stante itaq; Celebrante ad ſedem ſuam, Lector aliquis

quis de Choro, vel ad summum secundus Assistens, & non primus, egrediens ad medium Chori prope Celebrantem, versus quem profundè inclinatus cantat: *Jube Domne benedicere*, & Celebrans sine ullo signo Crucis respondet: *Noctem quietam* &c: deinde, dicto à Choro *Amen*, Lector, vel secundus Assistens cantat Lectionem, in fine cujus addit: *Tu autem Domine Miserere nobis.* ad quæ verba genuflectit & recedit ad locum suum. Tum Celebrans signando se à fronte usq; ad pectus subdit: *Adjutorium nostrum* &c: & dicto in silentio *Pater noster &c*: inclinatus dicit *Confiteor* &c: & dicens *Vobis Fratres*, & *Vos Fratres*, convertit se ad utramq; Chori partem, manetq; inclinatus, donec Chorus recitaverit totum *Misereatur*, & dicto: *Amen* erigit se, Chorus autem repetit *Confiteor* &c: quo à Choro finito Celebrans parum conversus ad Chorum dicit: *Misereatur Vestri* &c: ac postea signando se à fronte ad pectus dicit: *Indulgentiam* &c:

4. Deinde pollice dextro signando pectus dicit: *Converte nos Deus salutaris noster.* Praterea signando se à fronte usq; ad pectus, Canit: *Deus in adjutorium* &c: & à Choro canuntur Psalmi simpliciter, ad quos Celebrans cum Ministris Capite Cooperto sedet. Ceroferarii extinctis ad finem Vesperarum Cereis, accedunt ad Celebrantem, & stant sicut ad Psalmos Vesperarum. Hymnus intonatur à Cantore, quo finito Celebrans canit Capitulum, & Ceroferarii factis debitis reverentiis, ut supra, accedunt ad gradus Altaris ubi facta genuflexione consistunt, Cantant ℣. *Custodi nos* &c: quo decantato accendunt Cereos in Candelabris suis, expectantq; finem Orationis Dominicæ, & dum Celebrans dicit: *Et ne nos inducas.* &c: ipsi procedunt ad sedem Celebrantis, eiq; ad Orationem ut in Vesperis, assistunt; Finita oratione revertuntur ad Altare, ibiq; depositis, sed non extinctis suis Cereis, expectant finem, interim Celebrans benedicit dicendo: *Benedicat & custodiat &c*: atq; Antiphona B. V. M. peragitur, ut supra dictum est, & revertuntur in Sacristiam.

5. Præsente D. Abbate in Choro dum Completorium Solemniter alius Sacerdos celebrat, omnia peragit, ut modo dictum est, nisi, quod antequam dicat: *Noctem quietam*, &c: priusquam recitet: *Indulgentiam* &c: & antequam in fine benedicat per verba: *Benedicat & custodiat* &c: prius inclinare se debet profunde versus D. Abbatem, ac si licentiam benedicendi ab eo peteret. *Ita Cærem: Episc: L. 2. c. 4. & P. Bauldry p. 2. c. 12. n. 3.*

6.

6. Si in Choro absq; Solemnitate Completorium canatur, ad Superiorem spectat dicere: *Noctem quietam* &c: *Indulgentiam* &c: & *Benedicat & Custodiat* &c: sic enim præcipit, & Rubrica Brev: & S. R. C. Reliqua Hebdomadarius perager more congruo. Chorus universus ad Primam, & Completorium debet replicare *Misereatur*, & *Confiteor*. S. R. C. 19. *Maii* 1607. *in Placentina.*

CAPUT XII.

De Matutinis, & Laudibus Solemnibus.

I. TEr in Anno Communiter, solent tantum Vigiliæ Matutinæ Solemniter Celebrari, cum Laudibus, scilicet: Nocte Nativitatis D. N. J. C: Nocte Resurrectionis eiusdem D. N. J. C. & in Festo Corporis Christi, quo casu iidem requiruntur Assistentes, qui & ad Vesperas, omniaq; necessaria hora competenti parentur, ut supra cap. 10. de Vesperis dictum est.

2. Dato signo secundo, Celebrans, & Assistentes ornant se adiuvante Cæremoniario, Ceroferariis interim accendentibus Cereos suos, & (si mos est) Altaris. Paratis itaq; omnibus procedunt eodem ordine ut ad Vesperas, & genuflexi omnes ante majus Altare parumper orant, tum facta debita Altari, D. Abbati (si aderit) & Choro reverentia, accedunt ad sedem paratam, comitantibus Ceroferariis, & ad sedem collucentibus, ut in Vesperis ad Orationem, Cæremoniario Breviarium præparante, ac folia vertente.

3. Postquam omnes venerint ad loca sua, Celebrans inclinatus versus Altare, dicit cum omnibus secreto *Pater*, *Ave*, & *Credo*; deinde signans se à fronte usq; ad pectus intonat: *Deus in adjutorium* &c: Choro reliqua prosequente, ad *Gloria*, omnes se profundè inclinant. Tum duo Cantores in medio Chori intonant ℣. *Domine labia mea aperies*, quem Chorus terminat, & sic alternatim utraq; pars Chori usq, ad tertiam vicem decantando, adjungunt Psalmum 3. *Domine quid multiplicati* cum *Gloria*, in eodem Tono.

4. Ad finem prædicti Psalmi, duo Cantores accedunt ad Legile in medium Chori, ubi facta genuflexione cantant ex

Libro ibi posito Invitatorium, quod à Choro repetitur, postea decantant Psalmum 94. *Venite exultemus* &c: & Chorus post quemlibet versum repetit Invitatorium. Dum cantatur *Venite adoremus* Chorus genuflectit usq; ad illa verba: *Ploremus coram Domino* &c: exclusive, & Cantores ad illa tantum genuflectunt verba: *Et procidamus ante Deum*, statimq; surgunt ne impediantur in cantu. Decantato Psalmo unà cum *Gloria Patri*, Chorus repetit Ultimam partem Invitatorii, & Cantores resumunt Invitatorium à principio usq; ad signum, à quo Chorus reliquum prosequitur. Illi quoq; bini Cantores inchoant Hymnum in eodem loco, & factis debitis reverentiis revertuntur ad loca sua, sicut & Ceroferarii inchoato Hymno, & factis congruis reverentiis, extingvunt Cereos & accedunt ad Chorum; Ubi autem integræ Vigiliæ Matutinæ decantari solent; dicti Cantores non recedunt à pulpito de medio Chori, sed ibi permanent, & congruentius est, ut habeant scamnum paratum, panno viridi coopertum. *Ita Cærim: Episc. L, 2, c, 6,*

5. Expleto Hymno Cantor inchoat Antiphonam quam Chorus prosequitur, & Intonantes incipiunt Psalmum; post cujus intonationem Celebrans & omnes alii sedent, & dum ad quemcunq; Psalmum dicitur *Gloria Patri*, ii, qui cum Cantoribus simul cantant, surgunt, & inclinant se, postea ascendunt ad Legile, quod pariformiter ad omnes 6. Psalmos observari convenit. Ad finem vero sexti Psalmi dum dicitur *Gloria* omnes surgunt, & iam ad Legile non accedunt, sed versa facie ad Altare stant, quia Antiphona cum Organo repeti debet, & Lector in medio Chori clara, & distincta voce, ea, quæ per Organa pulsantur, recitare tenetur, ita, ut ab omnibus audiatur. Quod in omni Officio Divino si cum Organorum modulamine peragatur, observari debet.

6. Dum autem repetitur Antiphona, Ceroferarii, aut Intonantes accedentes ad medium Chori, debitam Altari faciunt reverentiam, & cantant ℣. quo decantato Chorus respondet, & illi redeunt ad loca sua. Tum Celebrans erigens se dicit: *Pater noster*, & inclinatus versus Altare, recitat reliqua sub silentio, terminat verò claré per ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* Datur præterea in cantu à Celebrante Absolutio, & Lector profundè inclinatus erga Celebrantem petit ab eo benedictionem dicens: *Jube Domne benedicere.* & non *Domine*, licet ille Celebrans sit ipse D. Abbas, ac etiam Episcopus, cui ille stans & sine signo Crucis benedicit, *ut notat Brev: Monast:*

7. DD. Abbates ad 1. 5. 9. & aliquoties 12. Lectionem stando benedicunt, ad alias sedendo, quemadmodum Episcopus; cæteri verò Superiores omnes benedictiones dant stantes, capite aperto. *ut notat P. Bauldry p. 2. c. 13. n. 11.* Et dum datur benedictio Lector manet inclinatus, donec Chorus responderit *Amen.* Tum erigit se, & postquam omnes sederint, incipit & non prius suam Lectionem, in cujus fine dicens *Tu autem Domine* &c: profunde se inclinat versus Altare. Si autem distinctas Lectiones alius, & alius lecturus est, tunc dicendo: *Tu autem Domine.* genuflectere debet, quisquis ille sit *Ita Cærem: Episc: L. 2. c. 5.* quod semper observari debet. At si unus idemq; Lector omnes legerit Lectiones ad ea verba tantum profundam facit inclinationem, & in fine discessurus ad locum suum genuflectit. *Ita Castaldus. L. 1. sect: 6. c. 3. n. 2.*

8. Post Lectiones cantantur ℟℟, quæ à duobus Cantoribus in medio Chori inchoantur, & ab iisdem ℣℣. dictorum Responsoriorum in eodem loco canuntur. Si verò propter alleviationem Religiosorum, Organa tunc pulsari contingat, substituatur ex Intonantibus unus, qui dicta ℟℟ clara voce in Choro recitet, & alter Intonantium pariter clara voce ℣℣. legat ad satisfaciendum in Officio Divino. Qui modus pariformiter per omnes Lectiones servetur, nisi quod ad ℣. *Gloria Patri* in 4. 8. & 12. ℟℟ non sedendo se inclinare, sed surgentes de sedili suo, omnes, profundam inclinationem facere tenentur, ex præcepto SS. P. Benedicti suæ *Reg: c. 9.* hæc dicentis: *Post quartam verò Lectionem, dum incipit Cantor dicere:* Gloria Patri, *mox omnes de sedilibus suis surgant, ob honorem, & reverentiam Sanctissimæ Trinitatis.* & cap: 11. idem statuit.

9. Alii duo Nocturni dicuntur eodem modo, quo primus, sicut & reliquæ Lectiones eodem modo & ordine leguntur, nisi quod in tertio Nocturno, cum Lector textum Evangelii legit, omnes stent nudo capite versus Lectorem, donec dicatur: *Et reliqua* quo dicto omnes sedent, & Lector ad textum Evangelii non signat librum, nec se ipsum, nec manus junctas tenet, sed extensas super libro, ex quo legit; pariter ut in aliis Lectionibus. Dicto Lector *Et reliqua* faciat aliquam pausam donec omnes sederint, & tunc prosequetur: *Homilia* &c:

10. Dum cantatur ℟ 12. Celebrans si post Hymnum deposuit Pluviale (quod non conveniret) tunc allato sibi

ex Sacristia eodem Pluviali induitur ut ab initio, sed in loco suo. Interim etiam Ceroferarii cum debitis Altari reverentiis accendunt Cereos suos, & ad extremitatem gradûs Superioris Altaris constituunt, ipsi prope illos toto Hymno Ambrosiano consistentes.

11. Finito ℞. ultimo, Celebrans priùs ad ℣. *Gloria Patri* erectus junctis manibus inchoat Hymnum *Te Deum laudamus*, quem Chorus stando prosequitur, etiam cum Organis. Ad ℣. autem *Te ergo quæsumus* &c: omnes de Choro genuflectunt, etiam Celebrans, & Ministri. Circa finem hujus Hymni Ceroferarii accipientes Cereos suos facta debita Altari, Celebranti, & Choro reverentia accedunt ad Celebrantem, & tunc Cæremoniarius parat Missale vel Breviarium in legili operto Tobalea munda, ad cantandum Evangelium in medio Chori: ad quod Ceroferarii cum Celebrante processionaliter procedunt; Tum Celebrans junctis manibus sonora voce intonat *Dominus vobiscum*, & cum dicit *Initium*, vel *Sequentia S. Evangelii*, pollice dextro signat initium Evangelii, deinde seipsum, in fronte, ore, & pectore. Ac decantat textum Evangelii totum, quo finito, & à Choro responso *Amen*, inchoat Hymnum: *Te decet laus.* &c: & illo finito decantat Orationem convenientem.

12: Completa Oratione Celebrans incipit Laudes in eodem loco per ℣. *Deus in adjutorium* &c: à quo loco non recedunt omnes, donec dicatur ℣. *Gloria Patri* &c: & dum dicitur à Choro *Sicut erat* facta Altari reverentia Celebrans, cum iis omnibus, cum quibus venerat revertitur ad sedem suam, Ceroferarii verò reducentes Celebrantem ad sedem suam, facta postea eidem, & Choro reverentia, ascendunt ad Altare, ubi solitis peractis reverentiis, extingvunt suos Cereos, & accedunt ad loca sua, ubi prius ad Matutinum fuerant, decantantq; cum aliis Laudes, Celebrante interim sedente in sede sua usque ad Capitulum, ut in Vesperis.

13. In Laudibus omnia respectivè servantur circa intonationem Antiphonarum, Psalmorum, Hymni Cantici *Benedictus*, eorumq; decantationem. Thurificationem, (quæ eodem modo fieri debet ut ad *Magnificat*) & alia hujusmodi, sicut ad Vesperas, Dicto autem ℣. *Fidelium Animæ* &c: in silentio omnes recitant Orationem Dominicam integram, tum Celebrans dicit: *Dominus det nobis suam pacem*, & incipit Antiphonam B. M. V. tempori convenientem, stans vel genuflexus, pro temporis ratione, qua finita Versum, & Ora-

tio-

tionem recitat, adjungendo ℣. *Divinum Auxilium.* &c, & pariformiter ut in Vesperis recedunt in Sacristiam præstitis, & non intermissis debitis Choro, atq; Altari reverentiis, & Sacras deponunt Vestes.

14. Chorus autem dicit in Silentio, Leonis X. Papæ Orationem: *Sacrosanctæ* &c: addito *Pater*, & *Ave*, non tamen Clara voce: hæc enim Oratio cum non sit pars Officii Divini, non debet eodem Tono à Choro recitari, quo Horæ Canonicæ, sed est tantum conclusio devotionis gratia, ideoq; secreto recitari debet. Præsertim cum ante inchoationem Officii Divini eodem loco ponatur Oratio *Aperi Domine os meum &c:* gratia faciendæ Intentionis, & tamen nullibi in Choro dicatur clara & distincta voce, sed tantum submissa, ita pariter Oratio *Sacrosanctæ* &c: cum sit tantum propter defectus supplendos, seu verius indulgendos à Leone X. P. M. concessa, utpote privata, non debet clara, sed submissa recitari voce; quod pariformiter observandum est, quandocunque Horæ Canonicæ concluduntur, quia semper secreto dicenda est præfata Oratio. Ita declarat *Cær: Monast: Congr: Mon. Serr. P. 1. dist. 1. c. 2. n. 7.*

Decreta S. R. Congregationis.

1. Tempore Passionis in Quadragesima in fine Psalmi: *Venite exultemus*, omissis *Gloria Patri*, & *nolite obdurare corda vestra*, debet repeti integrè Invitatorium *Hodie si vocem Domini audieritis &c*: *S. R. C. 24. Julii 1683. in Ruremund.*

2. Quando in mense Novembri sunt eadem die ponenda tria, (*vel quatuor secundum ritum Monast*) initia Prophetarum, dicenda est tantum unica Lectio, ex quolibet libro Prophetarum. S. R. C. 5. *Julii 1698. in Collen.*

3. Quando Antiphonæ, & Versus in Vesperis variandi sunt pro Commemoratione alicuius simplicis facienda, tunc ad *Vesperas* primo accipienda est Antiphona cum versu Laudum; si vero plures sint commemorationes, tunc pro secunda commemoratione sumetur Antiphona ex secundis Vesperis, cum Versu secundi Nocturni; tertia verò commemoratio fiet, desumendo Antiphonam primam ex tertio Nocturno, cum Versu ejusdem Nocturni. *Ad Laudes* verò prima Commemoratio cum Versu erit propria, ex primis Vesperis; secunda

da Commemoratio fiet cum Antiphona prima tertii Nocturni, & Versu ejusdem Nocturni; Tertia autem Commemoratio fiet desumendo Antiphonam ex secundis Vesperis, & Versum secundi Nocturni S. R. C. 5. *Maii 1736. in Einsidlen.*

CAPUT XIII.

De Vesperis, Completorio, & Matutino cum Laudibus Pontificaliter celebratis.

I. SI ex justa, & rationabili causa D. Abbas Vesperas, vel Completorium, aut Matutinum celebrare voluerit Pontificaliter, ornato debitè pro tali actu Altari Maiori, præparantur Pontificalia, videlicet *Mitra, Baculus Pastoralis, Amictus, Alba, Cingulus, Stola, Pluviale,* non tamen Dalmatica, vel Tunicella, aut Sandalia, quia his tantum in Missa uti debet, & pro Vesperis nulla mentio fit in Cærem: Episc: Præparetur etiam Sedes non pluribus, quam duobus gradibus eminens, tapetibus vel panno rubeo obtecta, habens supra Baldachinum, non tamen puro auro obductum, colori Festivitatis consonum, hæcq; Sedes ex Decreto S. R. C. fixa nullomodo esse potest, sed amovibilis.

2. Assistentibus vero parentur sequentia: *Pro Archidiacono* Pluviale cum Stola, & superpelliceo. *Pro Diacono* Amictus, Alba, Cingulus, Stola, & Dalmatica; *Pro Subdiacono* Amictus, Alba, Cingulus, & Tunicella. *Pro ministris ad Mitram, & Baculum,* duo Pluvialia, cum totidem superpelliceis, nec non velum oblongum quo mediante sustineat Mitram, & non nuda manu. *Pro Ceroferariis, Cæremoniario, & Thuriferario,* quatuor Superpelliceæ. Insuper *pro Capellano de Libro.* Superpelliceum sine Stola, hujus enim Stolæ usus, versus est in abusum, quem prohibuit pluries S. R. C. & non nisi Archidiacono dictæ Stolæ usus, in fundamento *Cærem: Congr: Bavar: par.* 1. §. 1. *pag.* 2. concedi potest.

3. Dato igitur signo Campanarum pro supraspecificatis Horis Canonicis, P. Sacrista Rochetum ad Residentiam D. Abbatis defert, eoq; D. Abbatem, uti & Cruce Pectorali, ac Mozzetto induit, & indutum ad Sacristiam comitatur.

Ubi

Ubi D. Abbas poſt brevem coram Altari Majori Orationem, depoſito Mozzetto, & Cruce Pectorali, ac lotis manibus, à ſuis Miniſtris, Diacono ſcilicet & Subdiacono, jam prius Sacris Veſtibus indutis, & expectantibus, accipit paramenta; Et primo quidem Amictum ſupra Rochetum, deinde Albam, tum Cingulum, poſtea Crucem Pectoralem, in ſuper Stolam à Collo pendentem, cum oſculis quidem conſvetis, ſine tamen Orationibus convenientibus. Mox Pluviale accipit & Mitram, quam uti imponit, ita ſemper etiam removet Diaconus. Inſuper Annulum ab Archidiacono, & Pedum Paſtorale à Subdiacono, quod D. Abbas tenebit manu ſiniſtra, parte Curvâ Converſa ad populum.

4. Sic paratus D. Abbas facta Cruci reverentia, cum Miniſtris, pariter ſe coram Cruce, & D. Abbate inclinantibus procedit ad Altare ſequenti Ordine: Præcedit Thuriferarius ſine thuribulo (niſi facienda eſſet expoſitio) cum Cæremoniario, hos ſequuntur duo Ceroferarii; cum Cereis ardentibus, tum miniſter de Candela, ſeu de Bugia, (ſi habetur in uſu) Deinde Archidiaconus ſolus manibus ante pectus junctis; ad ultimum D. Abbas inter Diaconum, & Subdiaconum elevantes fimbrias anteriores Pluvialis. Si poterunt eſſe alii duo Diaconi Aſſiſtentes, inter illos procedet, & tunc Diaconus, & Subdiaconus antecedent Archidiaconum. Poſt D. Abbatem Capellanus de Libro, & Miniſtri ad Mitrám, & Baculum.

5. Egrediente D. Abbate in Pontificalibus omnes in Choro conſtituti erigunt ſe, & inclinant tranſeunti profundè, nec jam ſedent, aut flectunt ante inchoationem Veſperarum, Completorii, vel Matutini. Perveniendo itaq; ad Altare efficiunt omnes quaſi lineam rectam, juxta figuram infrà expreſſam de Miſſa ſolemni in Pontificalibus, ſicq; ante infimum gradum conſtituti genuflectunt omnes in plano, & erecti denuo genuflectunt in Gradu primo Altaris paululum Orantes, exceptis Ceroferariis, & Miniſtris de Mitra, & Pedo, quia ſunt impediti, prius tamen etiam ii genuflectere in plano debuerant. Et D. Abbas facta prius inclinatione Altari, deponit Mitram, & Pedum, ac genuflexus paululum orat. Tum erigens ſe, àccepta Mitra & Baculo Paſtorali, procedit ad ſedem ſuam, comitantibus eum Miniſtris.

6. Aſcendens D. Abbas ad ſedem ſibi paratam, Miniſtri ita ſe locare debent: Archidiaconus à dextris D. Abbatis, Capellanus de Libro à ſiniſtris, poſt quos Diaconus

nus dextram, & Subdiaconus finiftram præoccupabunt partem, in fuper Minifter de Mitra, affociabitur Diacono, & Minifter de Baculo Subdiacono, ficq; confiftent, ut rectam efficiant lineam. Si erunt Diaconi Affiftentes, habebunt locum poft Diaconum & Subdiaconum, Minifter vero de Candela ftabit penes Capellanum de Libro extra lineam. Ceroferarii ad latera infimi gradûs Altaris remanebunt; ac deniq; Cæremoniarius cum Thuriferario, ex oppofito fedis Abbatialis confiftent.

7. Ita omnibus conftitutis, depofitâ per Diaconum Mitrâ, reddito in manus Subdiaconi Paftorali, D. Abbas junctis ante pectus manibus, ftans verfus Altare, dicit fecreto: *Pater*, & *Ave*. Quibus recitatis, finiftram manum admovens pectori, dextera facit fibi crucem à fronte ad pectus, incipiendo Solemniter canere *Deus in adjutorium* &c: jungit iterum manus, & dum Chorus canit ℣. *Gloria Patri* cum omnibus caput inclinat verfus Crucem in Altari pofitam, usq; ad ℣. *Sicut erat* &c:

8. Inchoatâ vel per fe, vel per Cantorem primâ Antiphonâ D. Abbas fedet, accipit Mitram, non tamen Gremiale, quia hoc tantum utitur Ecclefia ad Miffam, extremitates tamen Pluvialis fuper genua aptari debent, manetq; fedens per omnes Pfalmos. Archidiaconus à dextris D. Abbatis, ad fedem, in plano conftitutus, in eodem loco fedebit in fede fimplici, reliqui poterunt ftare in locis fuperius notatis, fed Diaconus & Subdiaconus poterunt federe in fcamno aliquo panno viridi cooperto ex oppofito fedis Abbatialis. Ceroferarii vero inchoato primo Pfalmo extingvunt fuos Cereos, eosq; collocant in extremitatibus fummi gradus, & ipfi, fi Choraliter canantur Vefperæ, accedunt ad Chorum, fi autem figuraliter, perfiftunt in loco fuo, ubi prius. Thuriferarius cum Cæremoniario, fi Miniftri Sacri fedent, prope illos in eadem perfiftunt linea.

9. Ad finem Pfalmi quarti, Thuriferarius afcendit in Sacriftiam, ut paret ignem in Thuribulo. Ceroferarii accendunt Cereos fuos cum debitis reverentiis, & ftant in loco fuo. Dum dicitur: *Sicut erat* &c: Cæremoniarius accedit ad Subdiaconum, ei inclinatione capitis notificando functionem, qui facta debita fimul cum Diacono D. Abbati reverentia, comite Cæremoniario accedit ad cornu Epiftolæ, ubi Lectionem in Miffa cantare conſveverat, ibiq; cantat Capitulum. Diaconus vero redit ad fedem Abbatialem ad locum, ubi

ubi à principio constiterat. D. Abbas etiam surgit cum mitra, & stat sine Pedo, donec terminetur Capitulum, quo finito Diaconus D. Abbati aufert Mitram, & Subdiaconus factis debitis Altari & D. Abbati reverentiis revertitur ad sinistram sedis. Tum Chorus canit ℟. breve, & dum in eo dicitur ℣. *Gloria Patri* &c: omnes se inclinant.

10. Finito ℟ brevi D. Abbas si poterit intonabit Hymnum, quem Chorus prosequitur, maximè vero Hymnos *Veni Creator* &c: & *Ave Maris Stella* inchoare tenetur, ad quorum Hymnorum initium omnes genuflectere debent, etiam D. Abbas postquam intonaverit: statq; per totum Hymnum sine Mitra. Decantato ergo per Ceroferarios, aut Intonantes ℣. D. Abbas accepta mitra sedet, & accedente Thuriferario, simul cum Cæremoniario, factisq; debitis reverentiis, Archidiaconus progreditur ante sedem, & acceptâ Naviculâ, extrahit cochlear, cum debitis osculis porrigit illud D. Abbati dicendo: *Benedicite Reverendissime Pater*, qui forma, & verbis præscriptis imponit Thus in thuribulum, & tunc Ceroferarii ascendentes ad mensam Altaris, elevantesq; hinc inde anteriorem partem Superioris Tobaleæ, illam conduplicant ad Candelabra per medium.

11. Inchoato Cantico *Magnificat* D. Abbas surgit, & facto sibi cum ministris signo Crucis à fronte, ad pectus, medius inter Diaconum & Subdiaconum, vel Diaconos Assistentes, præeuntibus aliis Ministris ascendit ad Altare, & tunc Ceroferarii accipientes tempestivè Candelabra sua, vertunt se, & aliquomodo obviam gradiuntur, ut quasi in media via jungant se aliis. D. Abbas ante infimum gradum subsistit, & depositis Mitra, ac Pedo adhuc in plano, factaq; Altari reverentia, ascendit ad medium Altaris, osculatur illud, & oblato sibi per Archidiaconum cum debitis osculis Thuribulo incensat consveto modo Altare, secundum figuram I. infra positam, nihil dicens sub actuali thurificatione, sine tamen mitra, licet sit sola Crux & non tabernaculum.

12. Thurificato Altari, & reddito in cornu Epistolæ Thuribulo Presbytero Assistenti, ibiq; ad dictum latus Epistolæ impositâ per Diaconum Mitra, D. Abbas descendit, & in infimo gradu recepto Baculo Pastorali, redit ad sedem suam, ubi stans cum Mitra, & Pedo, ab Archidiacono, medio inter Cæremoniarium, & Thuriferarium, fimbrias Pluvialis ejus sublevantes, incensatur triplici ductu. Interim duo Ceroferarii collocantes Candelabra sua, ascendunt ad Altare,

Tobaleam paulo ante plicatam reducunt, prout erat antea super Altari. Jpse vero D. Abbas deposita Mitra, & retento Pastorali inter manus junctas, statusq; ad finem Cantici, tanquam ad Evangelium. Et Diaconus accepto Thuribulo, incensat Archidiaconum bino ductu, descendit dein ad Chorum, ubi præsentes juxta Regulas & Normam infra *p. IV. c. 6. de Thurificatione Personarum* expressam Thurificat, & reddit thuribulum Thuriferario comiti suo, rediensq; ad dexteram D. Abbatis ibi thurificatur à Thuriferario bino ductu, sicut & Subdiaconus. Jncensantur insuper à Thuriferario reliqui Ministri, quilibet unico ductu; & defert statim Thuribulum in Sacristiam Thuriferarius, postquam finierit dictam incensationem.

13. Finito per Chorum Cantico *Magnificat* statim Ceroferarii factis debitis reverentiis Altari & D. Abbati, accedunt cum Cereis proportionaliter elevatis ad sedem Pontificalem pariformiter, assistentes D. Abbati ad Orationem, seq; hinc inde ante eum collocantes in plano, prout situs loci postulat, faciebus vel ad invicem, vel ad D. Abbatem conversis. Et D. Abbas reddito prius baculo Pastorali, junctis ante pectus manibus, Archidiacono Librum tenente, cantat *Kyrie eleison.* & Choro respondente: *Christe eleison*, *Kyrie eleison*, subjungit alta voce cantando totam Dominicam Orationem, usq; ad ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* subdit dein *Dominus vobiscum*, & Orationem competentem, sive plures, prout Rubrica Brev: Monast: exigit! denuo dicit *Dominus vobiscum.* Et dum à Choro respondetur: *Et cum Spiritu tuo*, Ceroferarii cum solitis reverentiis redeunt ad Altare. Et reponunt, vel extingvunt Cereos suos, prout supra c. 11. n. 2. diximus.

14. Cantato per Cantores ℣. *Benedicamus Domino*, & responso à Choro *Deo gratias* D. Abbas si nolit Completorium Celebrare, accepta Mitra, accedit ad Altare, ubi ante infimum gradum stans deposita Mitra, & reddito Pedo facit Cruci reverentiam, ascendit, & osculatur Altare, rursumq; imposita Mitra, & facta Cruci reverentia stans ad medium Altaris, omnibus genuflexis dat Benedictionem Pontificalem Solemnem, juxta formam, infra p. IV. c. 10. præscriptam; incipiens absolutè à ℣. *Sit nomen Domini benedictum*, &c: Descendit dein ab Altari, factaq; ante infimum gradum reverentia cum Mitra, profundiori voce dicit ℣. *Fidelium Animæ* &c; Postea vel omnino recedit cum Ministris, & reliqua

com-

complenda relinquit Archidiacono, vel manens ad infimum gradum sine Mitra subjungit secreto *Pater noster* &c: quo integre recitato intelligibili voce dicit *Dominus det nobis suam pacem*, tum pro qualitate temporis inchoat Antiphonam de B. V. M. cui ipse solus surgens, licet omnes fuerint genuflexi, post recitatum ℣. dicit Orationem, Capellano Librum tenente, & postquam Chorus responderit *Amen.* eadem voce dicit. *Divinum auxilium* &c: Et jam D. Abbas cum Ministris, eodem ordine quo venerat redit in Sacristiam, Organo interim modulante, ibiq; Sacris exuitur Paramentis.

15. Si vero simul, post Vesperas, & Completorium dignabitur D. Abbas celebrare, ad ℣. *Benedicamus Domino* responso à Choro *Deo gratias*, in eadem sede subjungit ℣. *Fidelium Animæ* &c: Tum Subdiaconus factis reverentiis debitis stans ante infimum gradum Altaris in medio, conversus ad D. Abbatem, & inclinatus petit benedictionem dicendo: *Jube Domne benedicere* & non *Domine.* D. Abbas stans junctis manibus sine Mitra respondet *Noctem quietam* &c: & post Lectionem brevem ab eodem Subdiacono decantatam, signando se à fronte ad pectus dicit *Adjutorium nostrum* &c: subjungendo secreto totum *Pater noster.* Tum Confessionem & Absolutionem aliaq; ut supra dictum est peragit in sede, stans, & sine Mitra, quæ non imponitur nisi incepto primo Psalmo Completorii. Facientes Ministri una cum Choro Confessionem, non aliter dicant, quam *Tibi Pater*, *Te Pater*, ideoq; abusus immutans hæc Verba, aut superaddens omnino tollendus est, quia de talibus nulla fit mentio in Rubrica, nisi quod petendo benedictionem ad incensum, ac alia tantum dicitur: *Benedicite Reverendissime Pater*, & de hoc solo expressa est mentio in Rubrica, non tamen in alio casu. Præsertim quia Decretum S. R. C. infra n. 1. positum prohibet omnem immutationem, in simili casu.

16. Decantatis in Choro Psalmis Completorii dum Hymnus terminatur Ceroferarii accendunt Cereos suos, & Cæremoniarius per inclinationem Capitis invitat Subdiaconum ad Capitulum cantandum, quod, ut in Vesperis, cantat in cornu Epistolæ, & ℣. Ceroferarii vel Intonantes pariter decantant, dum Chorus ℟. ad ℣. Ceroferarii ascendunt ad sedem D. Abbatis, præstitis debitis Altari & D. Abbati reverentiis, ibiq; ut in Vesperis stant ad Orationem cum suis Cereis, & non discedunt prius, donec dicatur ℣. *Benedicamus Domino.* D. vero Abbas intonato post Capitulum Versu, stans sine Mitra

canit clara voce *Kyrie eleison*, & reliqua in loco suo stando sine Mitra peragit, usq; ad *Benedicat* &c: inclusivè. Addita itaq; Antiphona de B. V. M. & decantato ℣. D. Abbas stans in sede sine Mitra adjunget Orationem, qua finita, & dicto *Divinum auxilium* &c: assumpta Mitra accedet ad Altare, & dabit Benedictionem Solemnem, ut supra innuimus, ac eo ordine quo venerat, revertetur in Sacristiam, ibiq; sacras deponet Vestes.

17. Jn Matutinis quando D. Abbati placuerit Officium facere, hora competenti veniet indutus Rocheta, Cruce pectorali, & Mozzeto, & factis Orationibus ante Tabernaculum SS: Sacramenti, & Altare Maius, accedet ad Sacristiam, ibiq; sacra paramenta sumet, ut in Vesp: cum Ministris processionaliter ascendet ad Altare, ubi in infimo gradu, deposita Mitra, & Baculo Pastorali, aliquantulum orabit, tum reassumpta Mitra, & Pedo, accedet ad sedem sibi paratam, & deposita Mitra, ac reddito Pedo, junctis ante pectus manibus versus Altare dicit: *Pater*, *Ave*, & *Credo*. Deinde signans se à fronte ad Pectus, cantat Solemniter *Deus in adjutorium* sicq; stat sine Mitra, & Pedo usq; ad primum Psalmum Nocturnorum. Et dum à Cantoribus in Psal: 94. canitur: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, cum omnibus genuflectit etiam D. Abbas in loco sedis suæ.

18. Incepto primo Psalmo sedet D. Abbas cooperto Capite, sive Mitra simplici, sive Birreto, non tamen cooperit exposito Sacramento, omnesq; alii Ministri prope sedem eius sedent, præsertim autem Ministri de Mitra, & Baculo, reposita in Credentia Mitra, si ea non velit uti, & collocato ad parietem credentiæ Baculo Pastorali, ipsi deponunt Pluvialia, & superpelliceis solis induti possunt in Choro sedere, ut sint parati, quando opus erit sumere Pluviale; omnes ad ℣. *Gloria* inclinant se, post ultimum Psalmum ad ℣. Surgunt omnes, etiam D. Abbas. qui dicto secreto *Pater noster*, adjungit ℣. *Et ne nos* &c: dicit Absolutionem, dat benedictionem, primam stando, reliquas tres sedendo. Jtaq; eodem modo omnes tres Nocturni absolvuntur.

19. Dum autem legitur 12. Lectio, Ministri qui deposuerunt Paramenta sua, accipiunt ea, & accedunt ad sedem Celebrantis D. Abbatis, qui finito in Cantu Responsorio ultimo, capite aperto intonat Hymnum *Te DEUM laudamus*, quem Chorus cum Organis prosequitur; sed ad ℣. *Te ergo quæsumus &c.* D. Abbas cum Choro, & Ministri genuflectit, & dum ultimus ℣. di-

cti

cti Hymni decantatur, D. Abbas accepta Mitra procedit de sede sua ad Pulpitum in medio Chori constitutum, & Tobalea munda coopertum, ibiq; deposita Mitra canit Evangelium manibus ante pectus junctis, deinde Hymnum *Te decet laus*, &c. ac deniq; Orationem.

20. Respondente Choro ad Orationem *Amen*, in eodem loco, scilicet ante Pulpitum D. Abbas inchoat Laudes, signans se à fronte, ad pectus, & dicens: *DEUS in adjutorium* &c. dictoq; *Gloria Patri* &c. facient omnes inclinationem, & dum dicitur *Sicut erat* &c. D. Abbas accepta Mitra revertitur ad sedem suam, & inchoato Psalmo: *DEUS misereatur* &c. sedet cum Mitra, Ministri verò ita se disponunt, prout supra dictum est in Vesperis, eademq; omnia observantur, quæ ibidem dicta sunt, præsertim ex parte Ceroferariorum, qui ad finem Hymni Ambrosiani accedunt ad D. Abbatem, cum eo properant ad pulpitum, ibiq; cum Cereis accensis assistunt ad Evangelium, & Orationem, tum reducentes D. Abbatem ad sedem, ipsi factis debitis reverentiis ad loca sua recedunt, cereosq; extingvunt, permanentq; ut in Vesperis.

21. Ad finem ultimi Psalmi Laudum, Cæremoniarius invitat Subdiaconum ad Cantandum Capitulum, aut eo deficiente Archidiaconum, vel Capellanum de Libro, eoq; decantato D. Abbas erigit se, deponit Mitram, statq; donec ℟. breve, & Hymnus decantetur, quo finito, sedet in sede sua, & accepta Mitra, imponit, & benedicit incensum in Thuribulo, surgit postea, ascendit ad Altare, illudq; sine Mitra thurificat, ut dictum est in Vesp: deinde reversus ad sedem incensatur à digniori Ministro, (quia ad Matutinum non est necessarius Archidiaconus,) statq; postea ad reliquum Cantici tanquam ad Evangelium cum Baculo Pastorali, incensatur à Diacono Chorus, & à Thuriferario incensantur Ministri.

22. Finito Cantico *Benedictus*. Ceroferarii accedunt ad D. Abbatem cum Cereis accensis, qui cantabit *Kyrie eleison*, Orationem Dominicam, & aliam Festo convenientem. Ac post decantatam ℣. *Benedicamus Domino*, ascendendo ad Altare dabit solemnem benedictionem, simpliciter incheando à ℣. *Sit Nomen Domini benedictum*, & descendens postea ad infimum Altaris gradum, depressiori voce dicit ℣. *Fidelium animæ* &c. & eo ordine quo accessit, revertitur in Sacristiam, ad Sacra Paramenta deponenda.

Decre-

Decreta S. Ritt: Congregationis.

1. Non licet aliquid ex devotione, seu Auctoritate privata miscere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant Officia cujusvis diei: quia in officiis Sanctorum nihil est addendum, vel immutandum, nisi a S. Sede Apostolica concessum fuerit. S. R. C. 10. *Junii* 1690. *in una Ordinis S. Benedicti.*

2. An impedito Diacono munus auferendi Mitram Celebranti Pontificaliter spectet ad Diaconum, vel potius ad Cæremoniarum Magistros? S. R. C. respondit: *Dilata*, & ad Eminent: Ponentem, *ad mentem*, & onus fuit, quod Eminent: Ponens curaret, ut Magistri Cæremoniarum abstineant in futurum, ab imponendo, & auferendo Mitram, in casu &c. nisi impeditis Diacono, & Subdiacono. S. R. C. 26. *Aprilis*, 1704. *&* *iterum servari hoc Decretum statuit eadem* S. R. C. 7. *Junii* 1704. *in Romana.*

C A P U T XIV.

De iisdem Horis Canonicis, Solemniter peragendis, exposito Sanctissimo Sacramento.

1. Servatis servandis, quæ supra de Solemnioribus Vesperis, Completorio, & Matutino cum Laudibus dicta fuerunt, sequentia quoque erunt attendenda: Postquam D. Abbas Pontificali ornatu indutus precedentibus, & subsequentibus Ministris accedit ad Altare, ubi SS. Sacramentum asservatur, facta ibi reverentia, & depositis Mitra, & baculo cum omnibus genuflectit. Interim Diaconus aperit Ostiolum Tabernaculi, extrahit Pyxidem, de qua eximit Majorem Hostiam, eam imponit Lunulæ, & includit in Ostensorio. D. vero Abbas surgens, porrecto sibi ab Archidiacono sine osculis cochleari de Navicula, nulla facta benedictione, immittit Thus in thuribulum, & iterum genuflexus triplici ductu incensat SS. Sacramentum, ante, & post profundam faciens inclinationem.

2. Incensato Sacramento, Subdiaconus imponit super humeros D. Abbatis Velum oblongum, & Diaconus debitis cum reverentiis capiens SS. sine osculo manus, aut alia reverentia of-

offert illud D. Abbati, qui genuflectens surgit, & accipit ambabus manibus desuper velo contectis, Diaconus statim, ac in manibus D. Abbatis Sacramentum reliquerit, in eodem loco genuflectit, D. vero Abbas vertit se a latere Epistolæ ad populum, incipiens vel ipse, vel Cantor Hymnum: *O! Salutaris Hostia.* Si SS. Sacramentum non in majori Altari, sed in alia Capella asservatur, absq; ulla benedictione procedit cum Ministris, ferens in manibus ostensorium cum S. Hostia, ad majus Altare, ibiq; finita prima stropha inchoabit alteram per ℣. *Uni trinoq; Domino,* & statim data benedictione cum eodem Sacramento, faciet circulum, vertendo se ad latus Evangelii, & collocat ostensorium in Altari cum adjutorio Diaconi. Et D. Abbas genuflectens, recedit, advertendo ne terga vertat SS. & descendens ad 2. gradum genuflectit in suppedanei ora, accipit Thuribulum, ter incensat Sacramentum. Quo facto Diaconus cum debitis Adorationibus collocat ostensorium in loco præparato, & Subdiaconus amovet Velum oblongum ab humeris D. Abb: tradens illud Cæremoniario, ut deponat in Credentia.

3. Dum fit talis expositio aut asservatio, omnes qui sunt in Choro cum accensis Cereis genuflectere debent. Et postquam fuerit ostensorium collocatum in eminentiori loco, D. Abbas accepto Pastorali baculo, & sine Mitra, (quâ coram SS. Sacramento exposito publicæ adorationi, etiam in Pixide nunquam utitur) accedit ad sedem cum Ministris, & modo supra descripto inchoat & perficit tam Vesperas, quam Completorium, quamq; & Matutinum.

4. Ad Vesperas intonata Antiphona ad *Magnificat*, accipit Pedum sine Mitra, pergit ad Altare, ubi ante infimum gradum consistens utroq; genu flectit, tum ascendens ad Altare genuflectens, & postea se erigens, parumper retrocedit ad Cornu Evangelii, ubi benedicit & imponit incensum in Thuribulum, tum descendens ad 2. Altaris gradum genuflectit, & accepto Thuribulo, incensat genuflexus ter SS. ac postea surgens ascendit atq; cum debitis genuflexionibus more solito incensat Altare, observans in quolibet transitu debitas genuflexiones; quod pariter observandum est ad Canticum *Benedictus*, in Laudibus.

5. In fine autem Vesperarum, sive Completorii, aut Matutini si fiat asservatio SS. Sacramenti, pariformiter D. Abbas ante infimum gradum imponit Thus in thuribulum, ascendit ad 2. Altaris gradum, & genuflexus in suppedaneo, triplici ductu incensat Sacramentum, cui Subdiaconus imponit Velum oblongum, & Diaconus cum debitis accedens adorationibus, capit Ostensorium, ac genuflectenti prius, & statim surgenti, stans offert

fert ostensorium, qui mox versa ad populum facie tenens ante pectus Ostensorium, canit hunc ℣. *Tantum ergo Sacramentum.* Choro reliqua prosequente.

6. Finita prima stropha Hymni, occinit D. Abbas alterius strophæ ℣. *Genitori Genitoque*, & statim nihil quidquam expectando benedicit populo cum eodem SS. Sacramento. Si in eodem Altari est Tabernaculum, convertens se ad cornu Evangelii, cum ostensorio perficit Circulum, collocatq; in Altari foras dictum Ostensorium, ut à Diacono asservetur. Si autem in Capella aliqua est Ciborium, iisdem Cæremoniis quibus allatum fuerat SS. Sacramentum, reportatur ad dictam Capellam, & à Diacono reponitur in Tabernaculo, & postquam D. Abbas incensaverit Sacramentum, Subdiaconus aufert Velum oblongum ab humeris ejus. Clauso itaq; Tabernaculi ostiolo acceptisq; Mitra, & baculo Pastorali, redit in Sacristiam cum suis Ministris.

7. Si danda est Benedictio Solemnis in fine Vesperarum, vel Completorii, aut Matutini, detur antequam fiat asservatio SS. Sacramenti, quod tamen ad dictam benedictionem Velari non debet, quia tunc datur sine Mitra cum Baculo tantum, sicut & in Missis Solemnibus, aut in Feria V, Cænæ Domini, quando patet publicæ adorationi SS. Sacramentum. Neque circulus in ea perficitur, sed sicut ad *Orate Fratres*, sub tempus Expositionis, ita & ad dictam Benedictionem Solemnem D. Abbas facit semiconversionem.

8. In dictis Horis solemniter Celebratis insuper D. Abbas animadvertat, quod tam egrediens de Sacristia quam rediens ad eam, si conspexerit SS. Sacramentum expositum, mox in via consistere debet, & deponere Mitram, non autem in ea accedere ad Altare, exigit enim reverentia SS. ut dum sacra Hostia oculis conspici possit, statim adoretur, quod clare patet ex Cærem: Episc: L. 2. c. 33. quod etiam omnes Rubricistæ unanimiter decidunt: ut debita Sacramento fiat reverentia, ideoq; exposito eo, potius suadent abstinere a dicta in Pontificalibus Celebratione.

9. Ea quæ diximus de D. Abbate, non tantum de eo solum sunt intelligenda, sed etiam de quolibet Sacerdote Celebrante, exceptis Pontificalibus insignibus, (quæ soli D. Abbati tantum competunt) observari debent: ideoq; omni qua par est reverentia. & veneratione SS. Sacramentum tractandum est ab omnibus. In dictis Horis Canonicis Celebrans non debet stare, vel genuflectere ad Altare, quemadmodum nunc fit Communiter per abusum, est enim contra omnes Rubricistas, ipsamq; Rubricam;

cam; sed debet in sede sua permanere, stans, aperto Capite; ob debilitatem tamen Corporis potest concedi soli Celebranti sessio, sed discooperto Capite, cæteri autem infallibiliter stare tenentur. Plura, & planiora de Expositione, ac de Asservatione SS. Sacramenti videantur infra par: IV. Cap: 8.

Decreta S. Rit: Congregationis.

1. Commemoratio S. MARIÆ in Suffragiis Sanctorum debet fieri in Ecclesiis eidem dicatis, etiamsi Officium parvum ejus in Choro recitatum fuerit. S. R. C. 10. *Januarii* 1604. *in Bononien.* & 13. *Junii* 1682. *in una Ord: S. Francisci*, ac 10. *Junii* 1690. *in una Ord. S. Francisci Observ: scilicet Cursus Marianus.*

2. Servanda est antiqua, & laudabilis consuetudo, ubi recitatur in Choro Officium parvum B. M. V. etiam in semiduplicibus, & Dominicis, non obstante Rubrica Breviarii S. R. C. 1. *Septemb:* 1607. *in Troiana. Hoc Decretum conforme est Constitutioni S. Pii V. quod etiam confirmavit Urbanus VIII. de Consilio S. R. C.* 16. *Januarii* 1627. *atq;* 2. *Januarii* 1628. *in una Ord: S. Benedicti.*

3. Episcopus ad Matutinum in nocte Nativitatis D. (*quod idem sentiendum, & alio tempore*) potest sedere vel in sede Chorali, vel in sede Episcopali prout melius sibi videbitur, & magis populo satisfaci... S. R. C. 15. *Martii* 1608. *in Alexandrina.*

4. Officia non approbata damnantur. S. R. C. 8. *Aprilis.* 1628.

5. Dum dicenda sunt Suffragia Sanctorum in locis gaudentibus duobus, vel tribus Patronis principalibus, facienda est commemoratio tantum de Patrono principaliori, S. R. C. 20. *Novemb:* 1683. *in Laudensi. Si de Patronis Ecclesiæ propriæ non est facienda Commemoratio, multo magis de Patronis Regni, utpote SS. Adalberto & Stanislao, cum hujus rei nullum habeatur fundamentum, imo ipsa Rubrica contrarium sentiat, ac doceat.*

6. Decretum in Visitatione factum contra regulas Libri Cæremonialis, non est servandum S. R. C. 7. *August.* 1610. *in Vercellen.*

7. Cæremoniale Episcoporum non tollit immemorabiles, & laudabiles Ecclesiarum consvetudines, S. R. C. 11, *Junii* 1605. *in una Hispaniarum.* Et hoc Decretum habet locum in omnibus Regnis & locis Christianitatis; ita declaravit eadem S. R. C. 17. *Junii* 1606. *in Eboren.*

8. S. R. Congregatio mandavit, & præcepit servari ad unguem Cæremoniale Episcoporum, 4. *Septembris* 1628. *in Calaritana, annuente Urbano VIII. in Constitutione quæ incipit:* Exponi nobis fecerunt &c.

9. Qui habent Privilegium Celebrandi Octavam, in Quadragesima, occurrente die infra Octavam in Feria IV. Cinerum, nullam debent facere commemorationem de Octava, neque in Laudibus, neque in Missa, & debent dicere preces, Psalmos Graduales &c. & servare omnino Rubricas dictæ Feriæ IV. Cinerum. S. R. C. 24. *Januarii* 1682. *in Marsicana.* Occurrente autem in eadem Feria IV. Cinerum die Octava, Officium Octavæ cessat omnino ad Vesperas Feriæ III. præcedentis. S. R. C. 23. *Junii* 1736. *in Einsidensi.* Pariter occurrente die infra Octavam in Dominica Passionis debent hujusmodi Privilegiati omittere commemorationem Octavæ in Laudibus ac Missis Dominicæ tantum, & dicere preces ad Primam, si autem in eadem Dominica occurrat dies Octava, officium Octavæ cessat ad Nonam præcedentis Sabbati, propter Dominicam Privilegiatam. S. R. C. 23. *Junii* 1736. *in Einsiden.*

10. In Orationibus expungantur omnino Cognomina & Patriæ Sanctorum. S. R. C. 23. *Junii* 1736. *in Einsidlen: quod & antea decisum est à* S. R. C. 1624. 23. *Decembris, in una Urbis pro PP. Minimis.*

11. Parochus duarum Ecclesiarum unitarum, debet de ambarum Titulari recitare Officium juxta Rubricas, maximè si Ecclesiæ sint peræque unitæ. S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

12. Psalmi Pœnitentiales, & Graduales dicuntur licitè, ubi est consvetudo eos dicendi pridie Vesperi Feriæ IV. & VI. post Completorium. S. R. C. 2. *Augusti* 1603. *in Lauden.*

13. Officium pro die III. VII. & XXX. post obitum defuncti, si cadat in die Dominico, vel Festivo, transfertur in diem sequentem, cum eadem Solemnitate. S. R. C. 23. *Maii* 1603. *in Egitanien.*

14. Matutinum Defunctorum pro generali eorum commemoratione non debet cantari pridie Vesperi, in Festo Omnium SS. sed recitandum est mane die 2. Novembris post Laudes diei: S. R. C. 23. *Maii* 1603. *in Egitanien:* atq; 1. *Septembris* 1607. & quidem albescente die. 21. *Julii* 1607. *in Oscen.*

15. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum potest fieri Officium de festo duplici minori, sed Missæ sunt Celebrandæ *de Requiem* S. R. C. 5. *Octobris* 1686. *in una Urbis* & 27. *Septembris.* 1698. *in una S. Germani Montis Cassini.* atq; 19. *Junii* 1706 *in Curien.*

16.

16. Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum Officium Defunctorum, non debet illud dici, ut 11. die Novembris omittendo Psalmos post Vesperas, & Matutinum positos in Officio Defunctorum. S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

17. In omnibus Congregationibus Ordinis Benedictini, post Festum Omnium SS. Monachorum, 13. Novembris, celebratur solemnis commemoratio omnium Defunctorum Confratrum dicti Ordinis, unde si die illa 14. Novembris alicubi adsit Festum duplex translatum, sive occurrens, fiet quidem Officium de tali Festo duplici, cum Missa solemni post Tertiam, Officium verò Defunctorum recitandum erit post Laudes, & omnes Missæ privatæ dicendæ erunt pro Defunctis Confratribus in paramentis nigris; Quapropter commemoratio Defunctorum Confratrum non est transferenda in tali casu, S. R. C. 5. *Maii* 1736. *in Einsidlen.*

18. In Officio Defunctorum in Vesperis & Laudibus dicendi semper sunt Psalmi appositi: *De profundis*, & *Lauda anima mea Dominum.* Et post Vesperas, & Laudes omittantur iidem Psalmi tantum in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & in die depositionis Defuncti. S. R. C. 23. *Junii* 1736. *in Einsidlen.* & 5. *Augusti* 1737. *in Nolana*, ac 8. *Martii* 1738. *in una Erem: Ord: Camald.*

19. An Officia pro animabus Confratrum extra diem obitus, seu depositionis, Tertium, Septimum, & Trigesimum cum Castro doloris, & concursu Sacerdotum officiata, habere debeant ritum duplex, vel semiduplex, cum Psalmo, ac tribus Orationibus? Responsum fuit: Serventur Rubricæ Ritualis Romani, una cum Novissimo Decreto 1737. *in Nolana* edito: Nempe duplicatio Antiphonarum præter diem Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & diem depositionis Defuncti, fiat in diebus: III, VII, & XXX, ac Anniversario tantum. S. R. C. 8. *Martii* 1738. *in Ulixbonæ Occidentali.*

20. An in dictis casibus omittendum sit Invitatorium, cum Rubrica Breviarii innuat, quod hoc dicatur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum? Responsum fuit Negative, nempe: quod in Officio Defunctorum quando recitatur integrum, nunquam omittendum sit Invitatorium. S. R. C. 9. *Maii* 1739. *in una Ord: Camald: Mont: Cor:*

21. In secundo triduo majoris Hebdomadæ non possunt Celebrari Exequiæ Defunctorum, & Officium, & preces recitentur privatim. S. R. C. 11. *Augusti*, 1736. *in Placentina.*

22. Ad Horas omnes, quæ recitantur in Choro, ardeant in Altari duæ, saltem candelæ. S. R. C. 7. *Augusti* 1595.

23. Accensis suo tempore candelis, non differatur Officium, licet absit Hebdomadarius, sed jussu majoris suppleat alius. S. R. C. 18. *Aprilis* 1617.

24. Nemo exeat de Choro, etiam expleto Officio, nisi dato à majore signo finis. S. R. C. 18. *Aprilis* 1617.

25. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod inter Vesperarum Divina peculiari custoditur Sacello, thurificari debet. S. R. C. 5. *Septembris* 1648. *in Beneventana.*

CAPUT XV.

De munere Superioris quo ad Chorum.

I. QUid quid de Superiorum Officio in Choro dicturi sumus, non intendimus intelligere semper D. Abbatem, vel P. Priorem, quia hi propter varia Monasterii sui negotia, coguntur aliquando abesse, sed eorum munia exprimere tantum satagimus, qui præsident in Choro, id est, qui aut Officio superiorali insignitus, aut gradu alicuius dignitatis elevato, aut Senior Professione computato dignoscitur, inter reliquos Religiosos, illum nomine Superioris venire in Choro supponimus.

2. Itaq; Superior in Choro, præmisso sono Campanæ, dum viderit Religiosos congregatos, signum dabit manu, aut aliquo instrumento inchoandi Divinum Officium: quo audito mox omnes surgere, & facto signo Crucis à fronte ad pectus, inclinati, *Pater*, & *Ave*, aliquoties & *Credo*, recitare in silentio tenentur, & non prius, quia sic dispofuit S. R. C. sicut pariter finito Officio Divino in Choro nullus surgere & exire de Choro audeat, nisi dato signo ab eodem Superiore Chori, juxta decisionem Sacræ Regulæ. c. 20.

3. Superioris Chori est: Absolutiones Nocturnorum recitare, benedictiones ante omnes Lectiones, tam in Matutinis, quam ad Primam, & Completorium dare, inchoare Hymnum *Te Deum laudamus.* Evangelium canere, Hymnum *Te decet laus* incipere; ac Orationem Diei recitare. Jam autem ad inchoandas Laudes, *Deus in adjutorium* &c: intonare, spe-

ctat

ctat ad Hebdomadarium, nisi ipse tunc officium ejusdem expleverit. *Ex Regulæ cap.* 11. Insuper post Canticum *Benedictus*. & repetitam Antiphonam, præmissumq; per Hebdomadarium *Kyrie eleison*, ad eundem Superiorem Chori spectat clara voce dicere integram Orationem Dominicam, quemadmodum præcepit SS. P. N. Benedictus *s. Reg. c.* 13. Quod pariter in Vesperis post Canticum *Magnificat.* observari debet.

4. Præterea ad Superiorem Chori spectat in Prima Canonica post *Pretiosa*, ad Lectionem brevem Lectori dare benedictionem, dicere: *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*. eiq; subjungere *Benedicit*. atq; superaddere: *Dominus nos benedicat* &c: Tum dicto à Lectore *Commemoratio Fratrum* &c: adjicere: *Requiescant in pace*. Et quando ad Primam dicuntur preces, tunc dicto per Hebdomadarium *Misereatur* &c: Superioris est, dicere clara voce: *Indulgentiam* &c:

5. Quandocunq; Officium Divinum terminatur in Choro, dicto ab omnibus in silentio *Pater noster*. Superioris est dicere *Dominus det nobis suam pacem*, non vero Hebdomadarii: Orationem verò post Antiphonam de B. V. M. & ℣. Hebdomadarius ipse tenetur recitare, etiam cum ℣. subsequenti, scilicet: *Divinum auxilium maneat semper nobiscum*, non autem Superior Chori.

6. In Completorio ad Lectionem brevem Lectori benedictionem dare, factaq; Confessione, & dicto per Hebdomadarium *Misereatur* &c: dicere *Indulgentiam* &c: ac in fine benedicere per illa verba: *Benedicat, & custodiat nos* &c: Superiorem Chori concernit. Insuper post Completorium, seu (ut in aliis Monasteriis) post Orationem, omnes in Choro præsentes Aqua lustrali aspergere, inchoando Antiphonam *Asperges me*, Superior Chori tenetur. Prædicta itaq; munia Superiorum Chori, non nostra declaratione sunt exarata, sed ex *Declarationibus Casin. supra Reg: c.* 17. *n.* 2. *&* 4. *& supra cap.* 63. ac *Cærem; Monast. Bened: Rom. P.* 1. *Lib:* 2. *c.* 12. atq; *Cerem Monast: Congr: Mont. Serr. Ben. P.* 11. *dist.* 1. *c.* 1. *n.* 12. *& c.* 2. *n.* 5. sunt excerpta.

7. In benedictione Mensæ ad Superiorem spectat dicere: *Benedicite*, inchoare ℣. *Oculi omnium*, vel *Edent pauperes*, aut alium convenientem tempori, & Lectorem benedicere dicendo: vel *Mensæ Cœlestis* &c: vel *Ad Cœnam* &c: Tum sedentibus omnibus, & perlecta aliqua brevi particula à Lectore mensæ, faciendum est à Superiore signum, post quod, & non


non prius incipiant Comedere Religiosi, ut anima prius, quam corpus reficiatur. *Ex declar: Cassin: supra Reg: cap. 38. n. 8.*

8. Jn fine Mensæ dato etiam à Superiore signo, non est statim surgendum, nisi prius in loco responsum ab omnibus fuerit: *Deo gratias.* Tum ad gratiarum actionem Superior inchoabit ℣. *Confiteantur* &c: vel ℣. *Memoriam fecit &c*: aut alium, ut notatur in Rubro. Postea inchoabit Psalmum convenientem, & in fine dicta Oratione Dominica superaddet: *Deus det nobis suam pacem,* & non *Dominus*. Cætera vero, uti & ipsa Benedictio cibi cum signo Crucis, scilicet Oratio *Bene ✠ dic nos &c*: pertinent ad Hebdomadarium, non ad Superiorem, uti patet ex signis literarum personas designantium, in Libello *Vade mecum piorum Sacerdotum. ad finem pag:* 167.

Decreta S. R. Congr:

1. Ad maiorem in Choro spectat intonare initium Officii per *Pater noster*, & Jdem eo finito dabit signum ut incipiatur hora. S. R. C. 18. *Aprilis* 1617.

2. Ad maiorem in Choro spectat dicere: *Dies & actus nostros. Adjutorium nostrum. Dominus nos benedicat. Noctem quietam. Benedicat & Custodiat. Dominus det nobis suam pacem.* S. R. C. 18. *Aprilis.* 1617.

3. Accensis suo tempore Candelis, non differatur Officium, licet absit Hebdomadarius, sed iussu maioris suppleat alius. *S. R. C.* 18 *Aprilis* 1617.

4. Nemo exeat de Choro etiam expleto officio, nisi dato à Majore signo finis. S. R. C. 18. *Aprilis* 1617.

F I N I S
PARTIS PRIMÆ.



PARS

PARS II.

DE CELEBRATIONE MISSÆ.

CAPUT I.

De Celebratione Missæ Solemnis in Pontificalibus.

§. I.

De iis quæ præparari debent ad Celebrandum Pontificaliter, & de Processione ad Altare.

I. UT non excedamus limites Regularum Rubri, Cæremonialis Episcoporum, ac Decretorum S. Rit. Congregationis, imò in fundamento dictæ S. R. C. decisionis, & Decreti confirmativi Alexandri VII. Pontif. Max. infra expressi, numerum Ministrorum ad Missam in Pontificalibus Celebrandam declarandum suscipimus. Et quia non omnia Monasteria in Congregatione nostra Benedictino - - - Polona tanta numerositate sunt impleta, ut sufficientes habere ad talem actum Ministros possint; præsertim quia & in Choro debent adhuc nonnulli remanere, & veneranda Senectus plures non permittit talia suscipere ministeria, ideoq; satisfaciendo, & Numerositati Monachorum, & paucitati nonnullorum locorum, duplici modo Altesatum numerum ministrorum exarare intendimus.

2. Ubi pauca numerantur subiecta, sufficere censeo Ministros hos: I. Archidiaconum, 2. Diaconum Evangelii, 3. Subdiaconum Epistolæ, 4. Ministrum de Mitra, 5. Ministrum de Baculo Pastorali, 6. Ceroferarios binos, 7. Thuriferarium & 8. Ministrum de Gremiali, alias in defectu hujus, minister de Baculo poterit sustentare & Gremiale. Ubi vero numerosa conspicitur Communitas, Ministri erunt sequentes: 1. Archidiaconus, 2. Diaconus Evangelii, 3. Subdiaconus Epistolæ, 4. Diaconus assistens. 5. Diaconus alter assistens, 6: Minister de Mitra, 7. Minister de Baculo Pastorali,. 8. Capellanus de Libro, 9. Ceroferarius, 10. & alter Cero.

fera-

ferarius. 11. Thuriferarius, 12. Cæremoniarius. 13. Minister de Gremiali 14. Minister de Bugia, seu de Candela parva. Plures autem Ministri licet sint concessi per Decretum Alexandri VII. quia tamen in nostra Congregatione nunquam practicabantur, ideoq; abstinendum ab iis censeo. Si enim intenderemus eos innovare, non effugeremus eam novitatis notam, quæ inureretur ab ignorantibus dictam concessionem.

3. Pro prædictis Ministris, Sacra Paramenta in Sacristia, ea parari debent, videlicet: *pro Archidiacono* Superpelliceum, Stola, & Pluviale. *Pro Diacono Ep:* Amictus, Alba, Cingulus, Stola, Dalmatica, & Manipulus. *Pro Subdiacono Ep.* Amictus, Alba, Cingulus, Tunicella, & Manipulus. *Pro duobus Diaconis Assistentibus* duo Amictus, binæ Albæ, duo Cinguli & binæ Dalmaticæ, sine Stolis, sine Manipulis. *Pro Ministris de Mitra, de Baculo Pastorali* duo Superpellicea, & duo Pluvialia. *Pro reliquis Ministris* parentur tantum superpellicea, seu Cottæ; & nullus utatur Stolâ, licet sit Presbyter, neq; Capellanus de Libro, pluries enim prohibitum est per S. R. C. Et nec plures Pluvialibus ornari debent, quam Archidiaconus, & illi duo Ministri de Mitra videlicet, & de Baculo: licet & eos Cærem: Episc: L. 1. c. 11. exigat indutos solâ Cottâ, & vel soli Ministro de Baculo iuxta Consvetudinem Ecclesiarum permittit uti Pluviali, hic autem juxta morem Ecclesiarum Regni Poloniæ non denegamus Ministrum de Mitra posse uti Pluviali, sed Minister de Gremiali nullomodo potest dicto ornari Pluviali, hoc enim ab omnibus pro summo abusu agnoscitur.

4. Celebraturus itaq; D. Abbas Missam Conventualem, dum in Choro Tertia decantatur, allata sibi ad residentiam Abbatialem per P. Sacristam Rocheto, induitur ea, ac Mozzeto, nec non Cruce Pectorali, sicq; ornatus, absq; Mantelletto, comitante eodem P. Sacrista, una cum P. Capellano procedit ad Ecclesiam, ubi ante maius Altare super genuflexorio ibidem præparato, panno violaceo cooperto paululum orat, in eodemq; loco inchoata Antiph: *Ne reminiscaris.* dicit Psalmos consvetos, recitante alternatim, & respondente P. Capellano, ad sinistram D. Abbatis genuflexo. Interim Ministri omnes sacris se ornant Vestibus; Diaconus, & Subdiaconus needum Manipulos capiunt: Acolythi accensis Cereis, eos locant in ea mensa, vel Altari, ubi pro D. Abbate Sacra Paramenta sunt disposita. Omnesque in ordine suo stantes adventum D. Abbatis expectant.

5.

5. Finitis Psalmis & precibus D. Abbas surgit procedit ad Sacristiam, & genuflexorium statim amovetur. D. Abbatem advenientem Ministri parati profunda inclinatione salutant, & ipse in Faldistorio parato sedet, ab inservientibus suis famulis exuitur ordinariis Calceis, ac per Subdiaconum, adiuvantibus iisdem famulis induitur Sandaliis, primo quidem in dextro pede deinde in sinistro. Quibus absolutis Subdiaconus elevat se, facit D. Abbati reverentiam, & recedit ad Diaconum stantem penes Apparatum Pontificalem, famuli verò recedunt longius. Interim D. Abbas deponit Crucem Pectoralem, quam recipit Diaconus Evangelii, & reponit super Tervicula argentea: exuitur Mozzeto, & extracto per Assistentem Presbyterum Annulo, inservientibus Ministris sæcularibus lavat manus sedens; & tunc allatum per Cæremoniarium Mantile plicatum dictus Archidiaconus accipit, illudq; extendit super manus D. Abbatis, ut eas extergat. Hæc forma lotionis manuum servari debet semper, quando in sacris actionibus D. Abbas publice lavat manus.

6. Lotis manibus Ministri omnes Cottis induti afferunt statim modestè, & decenter ambabus manibus ex Altari, seu Mensa Paramenta Pontificalia suo ordine, per Cæremoniarium ita disposita, ut omnes efficiant quasi unam rectam lineam, stando unus post alium. Diaconus verò & Subdiaconus capientes à Ministris singula Paramenta ille à dextris, hic à sinistris, vestiendo adiuvant D. Abbatem, principaliter tamen Diaconus omnia operatur, Subdiaconus verò solum modo coadiuvat quando opus est.

7. Amictum ergo primo offerunt D. Abbati osculandum in medio ubi est acu depicta parva Crux, penes quam prius in parte osculatur Diaconus; mox Amictum diligenter aptant circa Collum, ita, ut vestium summitates omnino tegat, deinde chordulas ex eo pendentes post tergum ductas, & ante pectus (si sufficiant) reductas colligant. Albam deinde humeris D. Abbatis superimponunt, eamq; circa Collum, humeros, & brachia distendunt, & aptant. Cingulum postea porrigunt, quo Albam constringunt, & tunc Albæ extremitates circum circa Acolithi sublevant, & aptant, ut æqualiter defluat, & vestes contegat; His peractis D. Abbas à Diacono accipit Crucem Pectoralem, eamq; osculatur in medio, Diaconus verò porrigendo dictam Crucem, eam a latere osculatur prius, & à D. Abbate deosculatam imponit Collo eius. Stolam insuper etiam in parte prope Crucem deoscu-

latam, offert D. Abbati osculandam, quam super humeros eius applicat, ita, ut nec ejus collum tegat, nec sit transversa in modum Crucis, sed æqualiter ante pectus pendeat.

8. Induitur præterea D. Abbas à Diacono & Subdiacono Tunicella, cuius Chordulæ hinc inde pendentes constringuntur, & eodem modo superinduitur Dalmatica, adhuc stans nudo Capite. Ornatus sic sedet, & imponuntur ei Chirothecæ, per Diaconum in dextera, & Subdiaconum in Sinistra, manibus illius prius & mox Chirothecis per eosdem deosculatis surgit dein D. Abbas & induitur Planeta, quæ religatur chordulis post tergum. Sedenti denuo D. Abbati imponitur per Diaconum Mitra, Subdiacono vittas elevante. Tum per Archidiaconum imponitur Annulus Pontificalis digito annulari dextræ manus D. Abbatis, annulo, & manu prius deosculatis. Ad ultimum per Subdiaconum porrigitur Baculus Pastoralis.

9. Sic induto omnibus Sacris Paramentis Pontificalibus D. Abbate, Diaconus & Subdiaconus accipiunt suos Manipulos, & accedente Thuriferario cum thuribulo, & navicula, atq; Presbytero Assistente ministrante naviculam; & dicente: *Benedicite Reverendissime Pater.* D. Abbas imponit trina vice Thus in thuribulo, & benedicit dicens: *Ab illo benedicaris, in cuius honorem cremaberis. Amen;* hisq; dictis, & reddito Cohleari, facit Signum Crucis dextera manu nihil amplius dicens. Si autem fuerit Dies Dominicus, Archidiaconus postquam digito D. Abbatis imposuerit Annulum, præcedente Thuriferario cum vase Aquæ benedictæ accedit ad Altare. genuflectit, facit Aspersionem, ut suo loco dicetur, tam Chori, quam populi astantis, reversus ad Altare decantat ℣. & Orationem competentem, ac eodem modo quo venerat redit in Sacristiam.


10. Revertente Archidiacono, & omnibus debito ordine ad procedendum dispositis, porrigitur per dictum Archidiaconum D. Abbati aspersorium, quod accipiens seipsum, & omnes Ministros profunde inclinatos aspergit. Et statim omnes facta debita Cruci una cum D. Abbate reverentia; eidemq; pariter facta inclinatione procedunt ad Altare Processionaliter hoc ordine: Præcedit Thuriferarius cum Navicula, & thuribulo fumigante, cui adiungitur Cæremoniarius, post eos Ceroferarii cum Candelabris, & Cereis accensis, post hos Ministri de Candela, & de Gremiali; deinde Subdiaconus solus portans ambabus manibus Librum clausum Evangeliorum,

feu Miffale ante pectus, in quo includitur Manipulus D. Abbatis cujus partes extremæ, & latiores fint extra Librum, & poft hunc Diaconus Evangelii ad finiftram Prefbyteri Affiftentis feu Archidiaconi. Deniq; D. Abbas cum Baculo Paftorali in manu finiftra, cujus pars curva populum refpiciat, dextera fupra pectus pofita, medius inter binos Diaconos Affiftentes procedit, quem confequuntur; Capellanus de Libro, & Miniftri ad Mitram, & Baculum Paftoralem.

§. 2.

De initio Miffæ Solemnis in Pontificalibus ufque ad Symbolum.

1. PErvenientes ad Altare fic fe collocant: D. Abbas in plano ante infimum gradum, in medio confiftit, cui à dextris affiftet Archidiaconus, à finiftris Diaconus Evangelii, ad cujus finiftram Subdiaconus, relinquens pro interim Librum Evangeliorum in manibus Cæremoniarii ibidem genuflexi. Diaconi affiftentes retro poft Archidiaconum, & Diaconum Evangelii ftare debent, & à lateribus horum miniftri de Mitra, & de Baculo, Capellanus de Libro adjungatur Archidiacono à latere ejus, Minifter de Gremiali ad latus Epiftolæ, Minifter de Candela ad latus Evangelii in tranfverfa linea confiftent. Ceroferarii ad Credentiam confiftere tenentur, à lateribus ejus, at fi non adeft locus, conftituantur ad extremitates graduum in plano, & retineant accenfos Cereos. Thuriferarius vero ad latus Epiftolæ in tranfverfa linea fumigando Thuribulum confiftere tenetur. Et hujus ordinis fchema exprimitur fequenti figura:



2. Ut autem expreffa figura clarius omnibus pateat, fequens advertenda eft literarum explicatio, ✠ denotat D. Abbatem Celebrantem Pontificaliter. A Archidiaconum. D Diaconum Evangelii, S Subdiaconum, L Capellanum de Libro, Dd

Diaconos Assistentes, M Ministrum de Mitra, B Ministrum de Baculo Pastorali, C C Ceroferarios. F Cæremoniarium, T Thuriferarium, G Ministrum de Gremiali, & I Ministrum designat de Candela parva seu Bugia. Quilibet ergo Minister pensæt signum suum, & conspiciendo prædictam figuram facillime locum suum inveniet.

3. Consistentes omnes in dictis locis, si in eodem Altari non asservatur SS. Sacramentum præter Celebrantem, qui tantum profundam facit reverentiam, reliqui genuflectunt, ita Rubrica Missalis. Si vero asservatur in Ciborio, etiam D. Abbas deposita prius Mitra, & reddito Pedo, genuflectit. Tum incipit Missam, facit Confessionem in eodem loco, ut in Ordinario Missæ, & dum dicit: *Vobis Fratres*, & *Vos Fratres*, atq; *Misereatur Vestri*, convertens se ad Ministros caput eis inclinat. Ministri vero pariter ei respondent in singulari *Et Tibi Pater*, & *Te Pater*, & *Misereatur Tui*, non autem aliter, scilicet *Reverendissime Pater*, (quia esset contra Regulas Rubri, & contra Decreta S. R. C.) præsertim, quia nec Episcopo, nec Cardinali celebranti mutatur. Illa dum dicunt, caput versus D. Abbatem profundius inclinant, & cum D. Abbas inchoat *Indulgentiam &c.* Subdiaconus à Cæremoniario capit Manipulum de Libro Evangeliorum, illudq; imponit sinistro D. Abbatis brachio, non tamen extra cubitum, cum osculis Manus, & Manipuli.

4. Finita Confessione, & dicto *Oremus*, Celebrans D. Abbas ascendit ad Altare, dicens: *Aufer à nobis &c.* quem ascendentem adjuvant Archidiaconus, & Diaconus, elevantes anteriorem vestis illius partem, & statim mutant loca sua, ascendente scilicet Archidiacono ad latus Evangelii, & Diacono per gradum inferiorem ad partem Epistolæ. Tunc Subdiaconus sumpto Missali de manibus Cæremoniarii, ascendit ad partem Evangelii, & osculato Altari à D. Abbate, ipse præbet Librum apertum demonstrans Evangelium diei, adjuvante Archidiacono. D. Abbas capiens ambabus manibus dictum Librum osculatur in fronte demonstratum Evangelium, & Subdiaconus recepto Missali, claudit illud, descendit in planum per gradus laterales ad cornu Evangelii, consignatq; dictum Librum in manus Cæremoniarii.

5. Post Osculum Libri Evangeliorum accedit Thuriferarius cum Thuribulo, & navicula, quam Diacono tradit, & ipse Ministrat ignem in thuribulo. Diaconus sumpta navicula cum debitis osculis porrigit cochlear D. Abbati, petitq; benedictionem ut supra. Et D. Abbas stans sine Mitra ad Altare imponit,

 ponit,

ponit, & benedicit incensum more solito, Thuriferario semigenuflexo, & Diacono inclinato. Tum Diaconus tradens Thuriferario naviculam, & sumens ab eo thuribulum, cum debitis osculis tradit illud D. Abbati, qui sumpto thuribulo de manu Diaconi sine Mitra incensat Crucem, & Altare eodem modo quo apparet per ordinatos Numeros infra in Figura I.


6. Incensato Altari D. Abbas reddit Thuribulum Diacono in cornu Epistolæ, & sumpta Mitra à Diacono assistente, stans ibidem manibus junctis à Diacono Evangelii stante in plano ipsius cornu Epistolæ triplici ductu incensatur, & statim nihil dicens facit super eo signum Crucis dextera. Quo facto recta descendit ad medium plani Presbyterii, ita, ut non vertat terga Cruci in medio Altaris existenti, & facta in plano Cruci reverentia, adhuc in Mitra, acceptoq; Pedo, medius inter Diaconos assistentes vadit ad sedem sibi paratam, quem sequitur Archidiaconus; alii etiam D. Abbatem sequuntur, qui ei ibidem inservire debent. Diaconus verò Evangelii & Subdiaconus remanent ad gradus Altaris, sicut & Ceroferarii donec D. Abbas introitum dixerit.

7. Stans ergo D. Abbas in sede sua, deposita Mitra, & facto sibi signo Crucis versus Altare legit Introitum ex Libro, quem tenet Capellanus supra caput suum, ministro candelam parvam vulgo *Bugiam* à dextris Capellani tenente. Archidiaconus ostendit quæ sunt legenda, & vertit folia. Deinde D. Abbas cum suis Ministris alternatim dicit: *Kyrie eleison*, idemq; dicunt Diaconus, & Subdiaconus inter se ad gradus Altaris stantes.

8. Repetito novies *Kyrie eleison*, si adhuc Chorus non terminaverit Cantum suum, D. Abbas accepta Mitra sedet, quam ei imponit Diaconus assistens, Minister verò de Gremiali defert illud plicatum ante pectus, & tradit alteri Diacono assistenti, qui illud super genua D. Abbatis sedentis cum debitis reverentiis ante, & post extendit, pariterq; omnes sedent, scilicet Presbyter Assistens ad dexteram D. Abbatis, prope sedem. Diaconi assistentes, unus ad dexteram, & alter ad sinistram in scamnis, quasi a tergo sedis. Diaconus Evangelii in altera parte ex opposito Archidiaconi sedet, habens ad sinistram suam Subdiaconum pariter sedentem, non tamen directe contra sedem D. Abbatis. Aut si non sint sedilia parata, Diaconis assistentibus in locis supra expressis stantibus, Diaconus ante medium Altaris ascendit ad 2. gradum, Subdiaconus in medio plani post Diaconum, ibique stant, Archidiaconus tamen sedere debet. Reliqui

etiam

etiam Miniſtri inferiores ſemper ſtant, videlicet Ceroferarii vel à lateribus Credentiæ, vel ad extremitates graduum Altaris. Capellanus de Libro à ſiniſtris ſedis Abbatialis. Miniſter de Mitra ad dexteram partem ſedis, ut habeat commoditatem porrigendi, aut recipiendi Mitram. Miniſter de Baculo ad ſiniſtram ſedis partem, in linea recta Diaconorum aſſiſtentium. Miniſtri de Gremiali, & de Candela, prope Capellanum facie ad Altare converſa. Thuriferarius, cum Cæremoniario ex oppoſito ſedis Abbatialis ſtabunt, reportato prius thuribulo in Sacriſtiam. Hujus ordinatæ locorum ſituationis. Schema ſit hoc vel illud.



9. Dum à Choro cantatur ultimum *Kyrie eleiſon*, ſurgunt, omnes, auſertur D. Abbati adhuc ſedenti per Diaconum aſſiſtentem ſecundum gremiale, quod traditur Miniſtro de eo, & dictus Mini. er illud oſculatur, plicat, & retinendo ante pectus recedit. Tum auſertur Mitra per Diaconum aſſiſtentem primum, & traditur Miniſtro de ea. Subbiretum ver , ſeu amulla, à Presbytero Aſſiſtente auſertur, complanatis benè capillis. Finito ergo à Choro *Kyrie*, D. Abbas ſurgit, adjuvantibus Miniſtris, & verſa facie ad Altare ex allato ante eum Libro, qui ordinarie vocatur *Canon*, cantat de more: *Gloria in excelſis DEO*, extendens, elevans, & iterum jungens manus, & ad Verbum *DEO* caput inclinans. Librum vero tunc ſuſtinet ſupra Caput Archidiaconus, quem regulariter ſuſtinere eo modo debet. Quoties D. Abbas aliquid alta voce cantat in ſede, ſecus quando D. Abbas ſubmiſſa voce legit, tunc enim cantato à D. Abbate e. g. *Gloria in excelſis DEO*, vel *Credo in unum DEUM*, ſtatim Capellanus de Libro recipit illum de manibus Archidiaconi, ipſeq; eodem

modo ſuſtinet. Diaconi vero aſſiſtentes hinc inde indicant manu legenda, & folia vertunt ſi neceſſitas exigit.

10. Poſtquam D. Abbas incæpit cantando præfatum Hymnum, proſequitur illum ſubmiſſa voce cum ſuis Miniſtris ſimul; Diaconus vero & Subdiaconus aſcendentes ad Altare, eundem recitant hymnum, vel ſi ſedent ex oppoſito, in locis ſuis conſiſtentes recitant. Hymno ſubmiſſa voce finito D. Abbas ſedet, Mitram, & Gremiale ſumit, ab iiſdem ut ante, Archidiaconus pariter ſedet, reliqui Miniſtri ut ad *Kyrie* vel ſedent, vel ſtant, in locis ſuis ſuperiori figura expreſſis, uſquequo perficiatur Hymnus Angelicus per Chorum cum Organo. Finito à Choro Hymno, D. Abbas ſurgit depoſitis prius Gremiali, & Mitra, ſurgentibus prius cæteris, Diacono & Subdiacono ad latera D. Abbatis advenientibus, ita ut Diaconus à dextris Archidiaconi, & Subdiaconus à ſiniſtris Capellani de Libro, ſe collocent. Et D. Abbas vertens ſe ad populum elevatis, & ſtatim junctis manibus, cantat *Pax vobis*. Dein converſus ad Altare extenſis, & junctis manibus cantat *Oremus*, & Orationem currentis diei unam, vel plures, prout docet Rubrica Miſſalis, ad has verò Orationes Archidiaconus librum tenet ſupra Caput. Decantatis Orationibus D. Abbas ſedet cum Mitra, & Gremiali, & Lectionem legit ad quam Capellanus de Libro tenet Miſſale genuflexus. Notandum hic eſt ſpecialiter quod D. Abbas in Miſſa Pontificali tantum dicere debet *Pax vobis* tunc, quando dicitur *Gloria in excelſis DEO*, aliàs tantum dicere deberet *Dominus vobiſcum*, & non *Pax vobis*. In Miſſis privatis nunquam debet dicere *Pax vobis*, ſed *Dominus vobiſcum*, quia ſic expreſſe præcipiunt Decr: S. R. C. & p. m. Benedictus XIV. P. M. *Lib: de Sacrifico Miſſæ* id omnino prohibitum affirmat.

11. Circa finem Orationis unicæ, ſeu ultimæ Subdiaconus factis debitis reverentiis, D. Abbati, & Altari, accipiens Miſſale à Cæremoniario, eodemq; comite, accedit ad infimum gradum in latere Epiſtolæ, tenens ipſe ſibi Librum, & cantat Epiſtolam tono conſveto. Qua finita, & factis debitis reverentiis, portat eodem modo, quo ſupra, Librum clauſum ad D. Abbatem, quem, genuflexus, porrigit ſupra genua tenens, & manum dexteram illius ſuper Libro poſitam reverenter oſculatur, & accepta benedictione redit ad Altare, una cum Diacono, Cæremoniario Librum reddit, & conſiſtit in eo loco, ubi ad Pſalm: *Judica me*, Diaconus ſtabat, pariter Diaconus in eodem loco conſiſtit, ubi tunc Archidiaconus ſtabat, expectantq; in dictis locis, donec fuerit tempus procedendi ad Evangelium. D. Abbas interim,

terim lecta Lectione cum Mitra sedens, recitat *Graduale*, sive *Tractum*, vel *Alleluia*, & adveniente Subdiacono post decantatam Epistolam, præbet ei manum extensam supra Missale ad osculum, & eo completo, nihil dicens, facit super eo signum Crucis. Thuriferarius autem finita Epistola, asportat de Sacristia thuribulum cum igne, & in loco, supra notato consistit.

12. Dicto Graduali, vel Tractu, D. Abbas depositis Gremiali, Mitra, & Subbireto, surgit, & aliquomodo versus Altare inclinatus, manibus ante pectus junctis, dicit: *Munda cor meum. Jube Domine*, & *Dominus sit in Corde meo &c.* tum erectus dicit: *Dominus vobiscum*, cui Diaconi assistentes respondent stantes, & legens titulum Evangelii signat pollice dextro textum Evangelii, postea seipsum in fronte, ore, & pectore, mox junctis ante pectus manibus prosequitur Evangelium, quo finito Ministri respondent *Laus tibi Christe.* Capellano tenente Librum supra caput ad Evangelium.

13. Perfecto Evangelio D. Abbas capit Mitram & Gremiale a Diaconis assistentibus, Diaconus vero Evangelii, accepto prius à Cæremoniario Missali, defert, & collocat illud in medio Altaris, & genuflexus in suppedaneo, inclinatusq; dicit secreto: *Munda Cor meum.* Interim Thuriferarius, comite Cæremoniario, cum solitis reverentiis, accedit ad D. Abbatem, ibiq; tradita Archidiacono navicula, offert thuribulum semigenuflexus ad incensum ponendum: Archidiaconus vero accepta Navicula, extrahit cochlear, cum debitis osculis porrigit illud D. Abbati, petitq; benedictionem more solito, ut supra innuimus. D. Abbas imponens thus in thuribulo, dicensq; *Ab illo benedicaris &c.* facit signum Crucis manu dextera, & Thuriferarius recepta navicula, & factis debitis reverentiis, recedit ad Altare ad Cornu Epistolæ, ibiq; expectat, donec tempus sit Cantandi Evangelii.

14. Benedicto Incenso, Diaconus accipit Librum Evangeliorum clausum de Altari, portatq; illum ante pectus ambobus manibus, & comite, à sinistris Subdiacono, præcedentibus Ceroferariis cum Cereis accensis, procedit ad D. Abbatem, coram quo genuflexus petit benedictionem dicendo voce intelligibili: *Jube Domne benedicere*, cui D. Abbas benedicit: dicens: *Dominus sit in corde tuo* &c. & facit super eo signum Crucis, ac postea ponit manum supra librum, & Diaconus eam reverenter osculatur; Subdiaconus vero & Ceroferarii interim stant inclinati. His peractis Diaconus, Subdiaconus, & Ceroferarii factis debitis reverentiis recedunt ad Altare eo ordine, quo venerant ad sedem, consistuntq; ut prius in locis suis, nisi statim cantandum esset

Evan-

Evangelium, quia tunc recta ad locum cantandi Evangelii procedere deberent.

15. Cessante Organo, veniunt prædicti ad locum Evangelii ibiq; Diaconus intonat illud, & D. Abbas, depositis Gremiali, Mitra, & Subbireto, surgit, & cum decantatur *Sequentia* vel *Initium Sancti Evangelii* &c. sumpto in manu sinistra Baculo Pastorali, signat se pollice dextro in fronte, ore, & pectore, quod & cæteri Ministri, non habentes impeditas manus faciunt. Retinet D. Abbas Pedum inter ambas manus suas junctas, toto tempore cantati Evangelii, stando versus Diaconum, & partem curvam Baculi Pastoralis versus illum convertendo. Ad nomina tamen *JESU* & MARIÆ inclinatur ab omnibus caput. Diaconus in decantatione Evangelii ita se locat, ut non vertat terga D. Abbati, nec Subdiaconus, & Ceroferarii Altari. Finito Evangelio Ceroferarii factis debitis reverentiis revertuntur ad loca sua, pariter & Diaconus, Subdiaconus vero nulla prorsus facta reverentia, etiamsi esset expositum Sacramentum, defert librum osculandum D. Abbati, qui dimisso Baculo Pastorali illum in principio Evangelii osculatur, dicens: *Per Evangelica dicta* &c. Et ab Archidiacono triplici ductu incensatur, cui, nihil dicens, benedicit, manu dextra signum Crucis super eo faciens.

§. 3.

De Progressu Missæ Solemnis in Pontificalibus, à Symbolo, usq; ad elevationem.

1. INcensato D. Abbate, Archidiaconus statim, facta reverentia ei, reddit Thuriferario thuribulum, & mox sumit à Capellano Librum, eumq; tenet supra Caput suum donec inchoatum fuerit Symbolum. D. Abbas autem conversus ad Altare, elevatis, & statim junctis manibus intonat: *Credo in unum DEUM*, quod, cum Ministris submissa voce prosequitur, & Capellanus, postquam Symbolum intonatum fuerit capit Librum, & in loco Archidiaconi eundem sustentat, & nec ad ℣. *Et Incarnatus est*, genuflectit, licet omnes alii Ministri una cum D. Abbate genu flectant. Thuriferarius ad initium Symboli præmissis consvetis reverentiis redit in Sacristiam, reversurus mox ad locum suum pristinum. Diaconus, & Subdiaconus ascendunt ad Altare, ibiq; dictum Symbolum recitant, reversuri ad loca sua.

2. Recitato Symbolo D. Abbas accipiens Mitram, & Gremiale, sedet, reliqui autem Ministri ita se collocant, sicut ad Hymnum Angelicum. Dum autem Chorus incipit canere ℣. *Et incarnatus est.* D. Abbas cum Mitra inclinat se tantum, sedens in sede sua, donec perficiatur dictus Versiculus, exceptis: Festo Annuntiationis B. V. M. & tribus Missis in die Nativitatis Domini, nam in his juxta disp: Pontif: Rom: apud sedem suam cum Mitra genuflectere debet.

3. Completo dicto ℣. *Et incarnatus*, usq; ad verba *& Homo factus est*, non expectando ℣. *Et Resurrexit*, Diaconus accedit ad Credentiam, & capit de manu Cæremoniarii bursam cum Corporali, quam ambabus manibus ferè ad oculos elevans, decenti mora, ac gressu, solitis, cui competit, non prætermissis reverentiis, portat ad Altare, ad quod solus accedens, in medio extrahit Corporale, explicat super Altare, bursam seorsim in eodem Altari ad cornu Evangelii collocat, & sine mora redit ad locum suum, ubi à principio Symboli consistebat.

4. Finito jam & per Chorum Symbolo, D. Abbas surgit, depositis Gremiali, & Mitra, & conversus aliquantulum ad Populum, cantat *Dominus vobiscum*, tum vertens faciem ad Altare, manusq; elevans ac jungens, ac caput modice inclinans canit *Oremus*. Mox voce submissa legit Offertorium adhuc stans ex Libro, quem tenet Capellanus de eodem serviens. Perlecto Offertorio D. Abbas sedet, accipit Gremiale & Mitram; extrahit Annulum Archidiaconus, & Diaconi assistentes extrahunt Chirothecas, quas tradunt Ministro de Gremiali, ut eas statim deferat ad Credentiam. Accedentibus Ministris sæcularibus, aut etiam Ceroferariis, quod magis conveniret ad Altare, lavat, & tergit manus D. Abbas, ut supra, resumitq; Annulum. Interim Archidiaconus præmittit Capellanum de Libro, qui Librum portet ad Altare, eumq; ad Cornu Evangelii reponat super pulvino apertum in folio, ubi sunt ea quæ D. Abbas lecturus est, ibiq; extra cornu Evangelii, ipse in gradibus expectet. Præmittit pariter ministrum de Candela, seu de Bugia, ut eam in Altari penes Librum collocet.

5. D. Abbas extersis manibus, & deposito Gremiali surgit cum Mitra, & accipiens sinistra Baculum Pastoralem, præcedente Archidiacono, medius inter Diaconos assistentes, subsequentibus vero cæteris Ministris, procedit per planum ad Altare, ubi ante infimum gradum Altaris depositis Pedo, & Mitra, una cum Subbireto, factaq; debita Cruci, vel Tabernaculo reverentia, adjuvantibus à sinistris Archidiacono, & à dextris Dia-

Diacono Evang: eum in plano expectante, ascendit ad Altare, quod in medio osculatur, manibus hinc inde extra Corporale extensis.

6. Subdiaconus tunc, quando D. Abbas extergit manus, comite Cæremoniario accedit ad Credentiam, ubi velum oblongum imponit humeris suis, adjuvante eodem Cæremoniario, & ita aptat, & firmat, ut pars à dextris pendens sit longior, quam altera, velum parvum, si est supra calicem deponit, & plicat, ac longiori parte vel sui cooperit Calicem, cum Patena, sinistra nodum Calicis sustentans, & dexteram suam supra velum, & Patenam apponens, ne aliquid decidat, procedit ad Altare cum Cæremoniario, ubi remota parte Veli longiore per Diaconum, Calicem cum Patena collocat super Altare in cornu Epistolæ. Subdiaconum subsequitur Acolythus Urceolos vini, & aquæ portans in aliqua pelvicula, sumptos ex eadem Credentia. Et Diaconi assistentes, cæteriq; Ministri collocant se in locis suis, ut à principio Missæ notatum est, ibiq; perseverant usq; ad finem.

7. Diaconus de manu Subdiaconi mox capit Patenam cum Hostia, quam D. Abbati sub debitis osculis porrigit, qui illam ambabus manibus ante pectus elevatam tenens, & oculos sursum dirigens, dicit: *Suscipe Sancte Pater* &c. & in fine cum ea signum Crucis faciens, collocat Hostiam super Corporale, Patenam verò ponit super Altare ad cornu Epistolæ, & non sub corporali. Interim Diaconus exterso Calice, accipit de manu Subdiaconi ampullam Vini, quam illi Acolythus ministrat, & infundit proportionatè Vinum in Calicem; Subdiaconus vero ampullam aquæ parumper versùs D. Abbatem elevans, dicit: *Benedicite Pater Reverendissime.* Et D. Abbas dicens junctis manibus orationem: *DEUS qui humanæ substantiæ &c.* versus ampullam aquæ format signum Crucis, & statim Subdiaconus infundit parculum aquæ in eundem Calicem. Quem porrigens Diaconus in manus D. Abbatis, non intermittit osculum ejus, & manus.

8. D. Abbas sumens ambabus manibus Calicem, dextera scilicet nodum, & sinistra pedem, offert illum simul cum Diacono, tangente una manu pedem calicis, videlicet dexterà, & altera alias sinistra sua, sustentante brachium D. Abbatis dextrum, cum quo etiam dicit submissa voce Orationem: *Offerimus Tibi Domine* &c. qua dicta, eundem Calicem, facto prius cum eo signo Crucis, ponit super Corporale, Diacono palla cooperiente, & statim Diaconus sumens Patenam ex Altari, ponit eam in manu dextera Subdiaconi, sine Purificatorio, ac extremitate Veli ab ea pen-

pendentis parte, contegit, quam Subdiaconus descendens in planum, in medio ante gradus stans, ut notatum est superius, in secundo schemate, sustinet elevatam ante pectus, usq; ad *Pater noster &c*, nec movet se, nisi cum ad elevationem SS. Sacramenti genuflexit: Celebrans vero D. Abbas Missam prosequitur usq; ad verba: *Et benedic hoc Sacrificium &c.* juxta Rubricas Missalis Romani.

9. His dictis, accedit Thuriferarius ad Altare per gradus laterales, & tradita Diacono Navicula, ministrat ignem in Thuribulo semigenuflexus, Diaconus accepto cochleari porrigit illud D. Abbati, cum debitis osculis cochlearis, ac manus, petitq; benedictionem dicendo: *Benedicite Pater Reverendissime.* D. Abbas stans sine Mitra imponit, & benedicit incensum inter verba: *Per intercessionem &c.* Tum accipiens Thuribulum de manu Diaconi, inter verba: *Incensum istud &c.* thurificat oblata ad normam figuræ II. postea dicendo: *Dirigatur Domine &c* incensat Altare ad Normam figuræ I. Reddit dein thuribulum Diacono in cornu Epistolæ dicens: *Accendat in nobis &c.* Et tunc accepta Mitra a Diacono assistans junctis manibus in eodem loco, triplici ductu incensatur a Diacono Evangelii.

10. Lavat postea manus D. Abbas more solito, cum Mitra stans in eodem loco, ubi incensabatur, dicens Psal: *Lavabo inter innocentes &c.* ministrante tunc Manutergium Cæremoniario, aut alio Acolytho, Librumq; tenente Capellano. Diaconus postquam incensaverit D. Abbatem, parum recedens de loco, ut ut non impediat Ministros ad lotionem manuum, thurificat Archidiaconum, aliquomodo post D. Abbatem, sed magis ad dexteram ejus stantem; deinde descendit ad Chorum, habens à sinistris Cæremoniarium, aut Thuriferarium, ibiq; incensat Religiosos in Choro præsentes, unde reversus redit ad gradus Altaris, ibiq: Subdiaconum ad cornu Evangelii aliquomodo remotum duplici incensat ductu; Reddit jam thuribulum Thuriferario, & ascendens 2. gradum Altaris, recedensq; parum ad Cornu Evangelii, thurificatur ab eodem Thuriferario duplici pariter ductu, & postea convertit se ad Altare, ibiq; permanet, ut in altero schemate apparet locus illius.

11. Postquam D. Abbas laverit, & absterserit manus, aufertur ei Mitra & Subbiretum per Diaconum assist: & traditur Ministro de ea servienti. D. Abbas rediens ad medium Altaris dicit de more: *Suscipe Sancta Trinitas &c.* inclinatus, & junctis super Altare manibus, ut in Missali. Convertit se postea ad populum dicendo: *Orate Fratres*, & circulum perficiendo, non tamen

men porrigitur ei Baculus Paſtoralis, quia de tali actione nihil quidquam innuit *Cærem. Epiſc:* & nullum hujus rei apparet fundamentum; dicit deinde orationem, ſeu orationes ſecretas prout Rubrica exigit.

12. Cum pervenerit D. Abbas ad finem ultimæ Secretæ, poſitis hinc inde ſuper Altare manibus clara voce cantando profert: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, deinde *Dominus vobiſcum*, & dicens: *Surſum corda*, manus aliquantulum elevat, ac dicens: *Gratias agamus &c.* manus elevatas jungit, atq; in verbo: *DEO noſtro*, oculos elevans, ac ſtatim caput inclinans. Mox disjungit manus, eaſq; extenſas tenet ante pectus ad finem præfationis. Et cum dicit: *Sanctus* eas iterum jungit, ac inclinatus proſequitur cætera cum Archidiacono à ſiniſtris, & Diacono à dextris, qui paulo ante *Sanctus* cum debitis reverentiis ad dexteram D. Abbatis accedit: Cum vero dicit: *Benedictus qui venit &c.* erectus ſignat ſe a fronte ad pectus, ſiniſtra infra pectus poſita, quod pariformiter ſervant Archidiaconus & Diaconus.

13. Canonem D. Abbas incipit, & proſequitur ut in Miſſali, cui Presbyter aſſiſtens attendit, aſtando ad ſiniſtram ejus. Interim 4. aut 6. Miniſtri cottis induti afferunt totidem funalia ceræ albæ accenſa, & factis debitis reverentiis ſimul genuflectunt, hinc inde à lateribus Subdiaconi tenentis Patenam; Thuriferarius quoq; tempeſtivè ſumpto Thuribulo cum igne expectat elevationem in loco ſuo ad Cornu Epiſtolæ. ut 1. Schema demonſtrat.

§. 4
De continuatione Miſſæ in Pontificalibus Solemnis, ab elevatione.

1. Quando pervenerit D. Abbas ad illa Canonis verba: *Quam oblationem &c.* Diaconus accedit ad ejus dexteram, attendens ad diſcooperiendum, & cooperiendum Calicem quando opus eſt: cum vero SS. Sacramentum elevatur, genuflexus ſublevat ſiniſtra extremitatem Planetæ D. Abbatis. Thuriferarius autem poſito à Cæremoniario thure in thuribulo ſine benedictione, incenſat Sacramentum ter ad quamlibet elevationem, genuflexus in ultimo gradu, à latere Epiſtolæ. Elevato SS. Sacramento Miniſtri habentes faces ardentes, ſurgunt, & facta iterum genuflexione recedunt in Sacriſtiam, & extingvunt eas, (niſi facienda ſit Communio Fratrum, quia tunc remanent

uſque

usque ad finem Communionis) D. Abbas prosequitur Canonem cum debitis Cæremoniis, ut in Missali, Diaconus vero attendit Officio suo.

2. Ad orationem Dominicam dum cantat D. Abbas: *Et dimitte nobis &c.* Diaconus & Subdiaconus facta genuflexione ascendunt ad cornu Epistolæ, ad Altare, ubi Diaconus detecta Patena, eam de manibus Subdiaconi accipit, quam osculatam, & postea Purificatorio detersam porrigit D. Abbati, cujus manum etiam Osculatur, reliqua ut in Missali. Subdiaconus tamen tradita Patena Diacono, statim deponit velum, & consignat in manus Cæremoniarii, qui illud reportat ad credentiam; ipse autem Subdiaconus redit ad suum locum, ac prout toto Canone manebat, etiam nunc consistit.

3. *Agnus DEI* dicit D. Abbas cum Archidiacono à sinistris, & Diacono Evang: à dextris, quo ter repetito, Presbyter assistens accedit ad dexteram D. Abbatis, cedente locum Diacono, ibiq; genuflexus expectat, donec fuerit recitata tota Oratio: *Domine JESU Christe qui dixisti &c.* tum surgit, simul cum D. Abbate osculatur Altare, & extra Corporale, manibus ante pectus junctis. Deinde sinistram suam genam, sinistræ pariter genæ D. Abbatis appropinquans, ita ut se leviter tangant, recipit pacem à D. Abbate dicente: *Pax tecum*, respondendo: *Et cum Spiritu tuo*, factaq; genuflexione recedit ad sinistram. Eodem modo accedunt Diaconus, & Subdiaconus unus post alium, genuflectentes prius, & post, non tamen osculantes Altare. Pacem tamen recipientes, ut supra, ab eodem D. Abbate. Diaconus à dextris permanet, Subdiaconus vero accepta Pace, eam tribuit reliquis Ministris sive per osculum, sive per Instrumentum juxta consvetudinem Ecclesiæ. Si danda sit Pax vel aliis Prælatis, vel cæteris Religiosis in Choro existentibus, tunc Archidiaconus sumpta à D. Abbate Pace, procedit ad Chorum, ut eam tribuat, eo modo, & Ordine ut dicemus infra suo loco: par: IV. cap: VII.

4. Peracta Communione S. Hostiæ, Diaconus transit ad sinistram, cui Archidiaconus cedit locum, recedendo remotius. Tum ad Cornu Epistolæ ascendit Subdiaconus, genuflectens prius in recessu, & in accessu, ubi sumpto SS. Sanguine, capiens Subdiaconus ampullam Vini, allatam de Credentia per Acolythum, infundit in Calicem pro Purificatione, & habens paratum in sinistra Purificatorium, infundit etiam vinum pro ablutione digitorum, sicut & aquam statimq; Purificatorium porrigit ad abstergendos digitos.

5. Sum-

5. Sumpta ablutione, Diaconus Assistens imponit capiti D. Abbatis subbiretum & Mitram, Archidiaconus vero transfert Missale cum pulvino ad cornu Epistolæ. Et Subdiaconus ascendit ad cornu Evangelii, ibiq; Calicem extergit, & ornat, Corporale plicat & imponit bursæ, quam ponit super Calicem, & Patenam, reportatq; ad Credentiam. D. Abbas imposita Mitra accedit ad cornu Epistolæ, (& non ad sedem, quia nec Episcopus redire amplius debet ad sedem, nisi ad deponenda Sacra Paramenta, ut instruit *Cærem Episc: L 2. c. 8.*) ibiq; stans, deposito in manus Archidiaconi Annulo, lavat manus, & extergit, ministrante manutergium eodem Archidiacono. Tum adiuvante Diacono Evangelii resumit Chirothecas, & Annulum, atq; deposita Mitra in eodem Cornu Epistolæ ad Altare legit Communionem.

6. Dicta Communione D. Abbas redit ad medium Altaris, quod osculatur more solito & vertens se ad populum dicit: *Dominus vobiscum*, & reversus ad cornu Epistolæ dicit *Oremus* decantat unam, vel plures Postcommuniones, quemadmodum ab initio Orationes; in fine Librum non claudit, sed claudendum relinquit Archidiacono. Quibus dictis & à Choro responso *Amen*, accedit denuo D. Abbas ad medium Altaris, osculatur illud in medio, & vertens se ad populum per latus suum dextrum cantat *Dominus vobiscum*, & expectat sic stans donec Diaconus terminaverit *Ite missa est*, quod nec submissa voce dicit D. Abbas.

7. Diaconus & Subdiaconus dum D. Abbas legit Communionem, & Cantat Postcommuniones, stant post eum in eodem cornu Epistolæ primus in 2. gradu, & alter in plano Accedente ad medium Altaris D. Abbate, ipsi quoq; accedunt, & in dictis locis ante medium Altaris persistunt. Dicto etiam ultimo à D. Abbate *Dominus vobiscum* Diaconus Evang: facta prius in suo loco Altari genuflexione, convertit se ad populum, tamen parum de medio recedit, ne terga vertat D. Abbat, & cantat in tono Solemni, convenienti tamen Festivitati *Ite missa est*. Subdiacono interim immobiliter permanente, & non se vertente. Finito perfecte *Ite missa est* & non prius Diaconus simul cum D. Abbate vertunt se ad Altare per latus Epistolæ.

8. Statim itaq; conversus ad Altare D. Abbas, junctis manibus, inclinatus, dicit submissa voce, *Placeat tibi Sancta Trinitas* &c: Quo dicto erigit se, & imponitur ei Mitra, ad dandam benedictionem Solemnem, quam absolute incipit

à ℣.

à ℣. *Sit Nomen Domini benedictum*. Et non præmittitur *Humiliate* &c: quia est expresse contra mentem Rubricæ, & nullibi hujus admonitionis vestigium apparet, nisi in Quadragesima ante Orationem supra Populum. Originem autem huius Cæremoniæ non aliunde haustam Coniicio, quam per abusum inter Episcopos nonnullos invaluisse, ab iis quoq; ad nos derivasse. Benedictio vero Solemnis quomodo danda est, infra declarabimus par. IV. cap. X.

9. Data benedictione, & peracto in ea Circulo, conversus ad Altare D. Abbas deponit Mitram, accedit ad cornu Evangeli, legit Evangelium vel S. Joannis initium, vel currentis Dominicæ, signando pollice manus dextræ, & librum, seu tabellam, & seipsum in fronte, Ore, & Pectore. Terminato Evangelio, redit D. Abbas ad medium Altaris, ubi resumpta Mitra, & Baculo Pastorali descendit in planum, ibi facta debita Altari reverentia, atq; Prælatis aliis, si aderunt in Choro, eodem ordine quo venerat cum Ministris, redit in Sacrarium, ubi ordinatè sacris exuitur paramentis, & rursus indutus Mozetta supra Rochetum pergit ad Genuflexorium, acturus gratias, & oraturus breviter, exinde redit ad Abbatiam, comitante P. Sacrista, & P. Capellano.

10. Ex parte debitarum D. Abbati præstandarum reverentiarum, quando celebrat Pontificaliter, hæc specialiter sunt observanda: quod in accessu ad sedem D. Abbatis, trina semper debetur profunda inclinatio, & in recessu unica; à transeuntibus vero tantum obiter, non tamen accedentibus, unica exhiberi debet inclinatio. Archidiaconus tamen, licetsi accedat ad incensandum, quia tamen est Minister proximus, & collateralis, atq; nullibi locum habet, nisi ad latus Celebrantis D. Abbatis, maximè, quia & Officium eius exigit breviorem in sua actione moram, & Senium eius (quod huic Officio omnino competit) multiplicatis inclinationibus gravari non debet, ideo & in accessu unicam tantum debet facere inclinationem. Pariter Capellanus de Libro, qui lateri D. Abbatis adhærere tenetur, ne propter dictas reverentias aliquando retardet Cellationem Libri, potius unicam faciat reverentiam. Ita & Ceroferarii, quia sunt impediti Cereis quos portant, ideoq; ne magnum sit incommodum iis ad plures peragendas reverentias, sufficiet ab illis unica in accessu, & unica in recessu reverentia. Aliter sentiendum est de Diacono, Subdiacono, Thuriferario, Cæremoniario, aliisq; similibus, licet impeditis Missali, vel Thuribulo, non enim sequitur aliquod incommodum.

Am-

Annotatio nonnullorum Decretorum, circa usum Pontificalium, Prælatis Episcopo inferioribus, concessum à S. R. C. coram Alexandro VII. P. M. emanatorum.

1. Prælati Episcopo inferiores Cathedram seu sedem fixam, & permanentem in eorum Ecclesiis ne detineant, sed ipsis diebus, quibus ex antiquis Decretis Pontificaliter celebrare est iis permissum, mobili Sede, seu Cathedra utantur, quam nihilominus simplici sericeo panno, Coloris Festivitati congruentis, obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, sive basilico opere exornato. §. 2.

2. Baldachinum adhibere supra sedem poterunt, non prætiosum, aut aureum, sed simplex, & eo, quod Altari superimponitur, materia, & opere inferior. Ad ipsam autem per duos tantum gradus in Presbyterii superficie stratos ascendatur. § 3.

3. Præter duos Sacrificii Ministros, Diaconum nempe Evangelii, & Subdiaconum Epistolæ, duo tantum Diaconi cum Dalmaticis, & unicus Presbyter cum Pluviali eis assistant; Duo insuper Capellani, qui de Mitra, & Baculo, ac totidem Acolythi pro Candelabris inserviant. Præterea alii sex Canonici, vel Monachi, duo scilicet Pluvialibus, duo Planetis, totidemq; Tunicellis induti, Divinis hujusmodi interesse valeant; qui tamen non in sedibus, seu Stallis Choralibus, sed in Scamnis absq; posttergalibus, panno viridi laneo coopertis, situ congruo accomodatis, moxq; illinc removendis, confideant. §. 7.

4. Mitram pretiosam (*scilicet gemmis lapidibusq; intextam*) nisi illis expresse à Sacra Sede indultum, non adhibeant. Sub Mitra Pileolum nigri tantum coloris induant. &c: §. 8.

5. Sacras vestes ex Altari non sumant, nisi Pontificaliter Divinis vacaturi. §. 11.

6. Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum Pontificalibus, nec non Vesperis, & Matutinis Pontificaliter itidem Celebratis, licere sibi tantum meminerint. Privatim vero Populis, quamvis pleno jure subiectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam Pontificalibus induti, per Ecclesiam incedentes, benedicere non præsumant. §. 13.

7. Ecclesiasticam supellectilem pro servitio duntaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant. §. 18.

8. In Missis privatis, quo ad indumenta, Cæremonias, Ministros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem, à simplici Sacerdote non discrepent. Ac proinde Sacras Vestes induant in Sacristia, &c: §. 21.

His autem (*& aliis* § 13.) Sanctissimo relatis & in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria, habita coram Sanctitate Sua, per Emin: & Rmum Dominum Cardinalem Brancaccium accurate perlectis, mature discussis, Sanctitas sua ea approbavit, & pro omnimoda eorundem observatione Typis mandavit imprimi, ad valvas affigi, & publicari, ut elapso termino sex Mensium à die publicationis eorundem, omnes & singulos usu Pontificalium gaudentes, tum sæculares, tum Regulares, quantumvis exemptos, & speciali expressione indigentes afficiant, ac si omnibus, & singulis eadem exhibita, vel personaliter præsentata, intimata, seu notificata fuissent. *Die* 27. *Septembris* 1659

Et licet Procurator Generalis Congregationis Cassinensis Sanctissimo humiliter supplicaverit, ut dignaretur præcipere Congregationi Sacrorum Rituum, ut quæ Abbatibus Cassinen. particulari Sedis Apostolicæ indulto ex vetitis, ac præter expressa in Decreto novissime super usu Ponficalium edito, adhibere liceat, prævia discussione declaret. Sanctissimus autem Oratoris preces ad eandem Congregationem trasmisit, rescripsitque per Eminentissimum D. Cardinalem Franciottum notulam dubiorum, supplici libello subnexam, in ipsa Congregatione referri. In omnibus tamen dubiis ordinarie data est resolutio aditringens ad Observationem anterioris Decreti, præterquam quod ad §. 7. præter taxatos Ministros, adhuc concessit S. R. C. alios quatuor Ministros, Cotta indutos. Hocq; declarationis decretum edidit 12. *Junii* 1660. Prædictis autem Sanctissimo relatis, Sanctitas sua & approbavit, & Decretum editum *die* 27. *Septembris Anno* 1659. omnino exequi, & servari mandavit. *Die* 20. *Julii Anno* 1660. Cum subscriptione: J. *Episcopi Sabinen. Card. Saccheretti, & Franc: Maria Phœbei S. R. Congr: Secretarii.* Qui plura in hac materia legere cupit, adeat Bibliothecam P. Lucii Ferraris sub titulo *Abbas.*

Alia Decreta S. Rit. Congregationis.

1. Qui habet usum Mitræ, & insignium Pontificalium, in Missis etiam privatis benedicit, cum Versu *Sit nomen Do-*

mini

mini &c: non poteſt tamen benedicere populo extra actum Celebrationis 25. *Maii* 1624. *ſed quia* poſteriora ligant, *hinc P. Meratus in Appendice Decret: S. R. C.* addit: Hoc Decretum refertur à Gavanto, in *Manuali Epiſc: V. Benedictio. Num:* 22. Verum in Decreto generali emanato Die 27. *Septembris* 1659. *ab Alexandro VII.* approbato ſtatutum eſt, quod huiuſmodi Prælati Epiſcopis inferiores, in Miſſis privatis quoad indumenta, Cæremonias, &c: & benedictionis largitionem diſcrepare non debent à ſimplici Sacerdote; unde neque poſſunt uti illo ℣. *Sit nomen Domini benedictum* in Miſſis Pontificalibus tantum poſſunt dare benedictionem cum trina Crucis productione. *Et hæc ſunt P. Merati formalia.*

2. Facultas concedendi uſum Pileoli in Miſſa ſpectat ad Papam. 24. *Aprilis.* 1626. *in Veliterna.* S. R. C.

3. Si accedat ad Regularium Eccleſias Epiſcopus Titularis Suffraganeus ad Celebrandum Pontificaliter, non debent Regulares ei Baldachinum erigere, quod nec in Eccleſiis ſuis, nec in exemptis Diæceſibus, nec extra Diæceſim illi competit, quamvis accedat de licentia Ordinarii. 6. *Martii* 1706. *in Hildiſimen.* S. R. C.

CAPUT II.

De Celebratione Miſſæ Solemnis ſine Pontificalibus.

§. I.

De Ornatu Celebrantis, & Miniſtrorum, ac de inchoatione Miſſæ ſolemnis, uſque ad Jntroitum.

I. SCiendum imprimis: quod Miſſa Solemnis illa eſt, quæ cum Miniſtris Sacris celebratur, & in qua nihil omittitur, quod ad Solemnitatem pertineat. Jn Feſtivitatibus Sanctorum Primæ, vel Secundæ Claſſis duplicium, cantatur ſtatim poſt Tertiam; unde fit ut Hora Tertia dicatur Sacra, quia Sacris Miſſarum Solemniis conſecrata, & quaſi commixta. Jdeo ſi propter terræ frigiditatem, aut alia de cauſa populus ad Eccleſiam veniat tardius pro Miſſa Solemni audienda, præſtat differri tempus recitandi Horam Tertiam, quam cantare Miſſam de exto poſt Sextam, vel Nonam. Jta S. R. C. *ex Alcocer in ſuo Cærem:* Dicitur etiam Miſſa Conventu-

ventualis ex *Conft: Congr: Noftræ par. 2. cap. 9.* quæ quoties five in Cantu Chorali, five aliquando pia ratione Solemnitatis figuraliter decantari debet, & cui omnes adeffe tenentur Monachi, abfq; ulla exceptione, juxta tenorem *dict: Conft: par. 1. c. 16.* ibi vocatur *Maius Sacrum.* Quæ itaq; Miffa Conventualis in omnibus Feftis SS. duplicibus, vel femiduplicibus, atq; Dominicis tam in Adventu, quam in Quadragefima, quamq; cæteris quoquomodo Nominandis per totum Annum, femper decantari debet poft Tertiam. Jn Feriis vero Adventûs, Quadragefimæ, Quatuor temporum etiam Pentecoftes, ac Vigiliarum, etiam fi fint dies Solemnes; de eadem Feria Miffa Conventualis dicitur poft Nonam, & non alio tempore. Similiter Miffæ Votivæ quæ dicuntur pro re gravi. & cum concurfu Populi, dicuntur poft Nonam. Denique Miffæ Solemnes pro Defunctis, præfertim in die Obitûs, die III: VII. & XXX. atq; Anniverfario, nec non in Commemoratione, die 2. & 14. Novembris non aliter quam poft Nonam celebrari debent.

2. Et quia duplici modo Miffa Conventualis, in Monafteriis Noftræ Congregationis decantari folet; *Primo* fcilicet fine Miniftris Majoribus, in affiftentia tantum duorum, vel ad fummum quatuor Fratrum fuperpelliceis indutorum, in qua ipfe Celebrans omnia decantat, quæ funt in Miffa decantanda, Fratres verò tantum genuflexi in infimo gradu Altaris manent, & non nifi quæ tempore Miffæ lectæ adminiftranda funt, ea miniftrant. *Secundo* vero modo cum Miniftris Sacris, videlicet & Diacono, Subdiacono, Ceroferariis duobus, Thuriferario, & Cæremoniario. (quem aliqui vocant: Navicularium) Jdeoque prætermiffo modo primo, cum & Rubrica expreffe doceat quæ agenda fint, & infra nonnulla de Miffa privata (quæ parum differt ab ea) innuemus: de altero modo cantandi Miffam Solemnem Conventualem, quomodo in ea Cæremoniæ Ecclefiafticæ obfervandæ fint, præfenti Capite exponere fatagemus.

3. Jtaq; pro Miffa Solemni Celebranda tempore convenienti, Sacellanus in Sacriftia fuper menfam oblongam præparat omnia Paramenta neceffaria pro Celebrante, & Miniftris, fcilicet tres Amictus, tres Albas, & Cingulos totidem, tres Manipulos, duas Stolas, Tunicellam pro Subdiacono, Dalmaticam pro Diacono. & Planetam, feu Cafulam pro Celebrante, ita ut Celebrantis Paramenta fint in medio, Diaconi à dextris, & Subdiaconi à finiftris. Color vero dictorum Paramentorum Fefti-

Festivitati conveniens esse debet. Paretur insuper thuribulum cum Navicula, & Thus intus cum Cochleari pro Thuriferario. Duo Candelabra cum Cereis accedendis pro Ceroferariis. Si autem sit dies Dominicus, & facienda esset Aspersio, Aut si esset expositum SS: Sacramentum, & facienda esset Processio, paretur etiam pro Celebrante Pluviale coloris Festivitati convenientis, quia in eo sine Manipulo, tam Aspersio, quam Processio, & non in Casula peragi debet.

4. Præparetur etiam Credentia, id est mensa aliqua parva à latere Epistolæ, in plano Presbyterii, eiusq; mensura sit talis, ut omnia necessaria infra specificata capere possit: hæcque linteo mundo usque ad terram undequaq; pendente tegatur. Super eam nec gradus, nec Crux, nec Imago, neq; Reliquiæ apponantur, sed in medio collocetur Calix cum Purificatorio mundo, desuper Patena cum Hostia atq; Palla linea munda etiam desuper, quæ omnia velo parvo coloris Paramentorum cooperienda erunt, anteriori parte usque ad mensam pendente, & Bursa desuper eiusdem coloris, habens intùs Corporale ponatur. In dextro Cornu dictæ Credentiæ ponatur pelvicula cum Ampullis vino, & Aqua impletis, penes quam manutergium aptè complicatum pro ablutione manuum. In sinistra verò parte ponatur Velum oblongum plicatum pro Subdiacono, Coloris Paramentorum. Jn Anteriori parte Credentiæ ponatur Missale pro Epistola & Evangelio. Missale vero Celebrantis cum suo Cussino ponatur super Altare in Cornu Epistolæ. Instrumentum quoq; Pacis ponatur inter Candelabra Altaris ad partem Epistolæ. Si verò in eadem Solemni Missa plures particulæ, seu hostiæ parvæ erunt consecrandæ, ponatur cum illis Pixis, seu Calix tectus palla linea, prope Calicem in Credentia. Insuper Campanula, ad elevationem SS. Sacramenti pulsanda, super eandem Credentiam collocari potest, sicut & Navicula cum thure, tempore Missæ. A latere Epistolæ in plano paretur scannum oblongum, panno viridi coopertum, super quo Celebrans & Ministri sedeant, modo non sit expositum SS. Sacramentum, tunc enim ad Altare stare debent. Hæc autem omnia parata esse debent ante adventum Celebrantis in Sacristiam, ita ut nihil prorsus desit eorum. quæ sunt necessaria quando advenerit.

5. Hora competenti, & assignata de more scilicet post Tertiam, tam Celebrans, quam Ministri conveniunt in Sacristiam, ibiq; aliquantulum orant. Acolythi, Ceremoniarius, & Thuriferarius prius lavant, & tergunt manus suas, ac vestiunt

unt se Cottis, seu Superpelliceis. Dum Celebrans Orationes præparatorias recitat, vel tempestivius, Diaconus, & Subdiaconus lotis prius, ac tersis manibus, capiunt Paramenta Ordini suo congrua, non vero adhuc Manipulos, adiuvantibus Ceroferariis. Celebrans finitis precibus lavat, ac tergit manus, porrigente illi aquam Acolytho uno, & altero Manutergium, hoc tamen præstant nonnisi Superiori, aut in aliqua dignitate constituto, alias vadit ad Lavatorium.

6. Accedit deinde ad Paramenta, quæ sumere debet, dicens ad singula Orationes consvetas. Diaconus, & Subdiaconus capientes singula paramenta Celebrantis, hinc inde adiuvant illum, dum se induit, & præcipuè Diaconus omnia fere operatur, Subdiaconus verò tantum illum adiuvat. Et imprimis offert ei Amictum osculandum in medio ubi parva Crux designata est (hæc enim Crux acu picta semper esse debet, quia & osculum Amictûs semper præcipitur) quem prius osculatur ipse prope prædictam Crucem; mox ambo illum diligenter aptant, atque Chordulas ex eo pendentes post tergum ductas, & ante pectus reductas ligant. Albam postea accipiunt, eamq; circa Collum, Brachia, & Humeros distendunt, & aptant. Capiunt deinde Cingulum & tradunt Celebranti quo Albam constringat; Cæremoniario interim, aut aliquo Acolytho Albam circumcirca adaptante, ita, ut æqualiter defluat, & vestes omnino contegat.

7. Dum dicta Alba adaptatur, Subdiaconus capit Manipulum illumq; à latere Crucis osculatur, & mox offert illum Celebranti osculandum in Cruce, eiusq; brachio sinistro applicat, & religat, osculatà prius manu eius. Deinde Diaconus Stolam accipiens ambabus manibus, eam deosculatur prope Crucem, & offert Celebranti osculandam in ipsa Cruce, & statim super humeros eius applicat, atq; in modum Crucis à Celebrante transversam extremitatibus Cinguli hinc, inde à lateribus connectunt. Si prius Aspersio, aut Processio peragenda esset, Pluviali induitur Celebrans ab iisdem; sin secus Planeta ei imponitur, & diligenter à dictis Ministris adaptatur, ne impediat Celebrantem. Possunt etiam prædicti Ministri appendere Cingulo Celebrantis, à parte dextra sub ipsa Casula Sudariolum, vel Diaconus secum asportare, ut illud ministret Celebranti prout opus erit. Neque urgeat quisquam, hos actus reverentiales Episcopo, vel D. Abbati tantum exhibendos esse; sed certe *Cærem: Episc:* L. 1. c. 9. videtur ex

ipſo titulo cap. docere, ea omnia cuilibet Celebranti Solemniter eſſe exhibenda.

8. Sic parato Celebrante Diaconus, & Subdiaconus modo, & non prius accipiunt Manipulos ſuos, cum oſculis in Cruce. Acolythi ſtatim poſt lotionem manuum Celebrantis, aſcendunt ad Altare, ibiq; prout in Veſperis, Cereos & Altaris, & ſuos accendunt, in omni actione uniformitatem ſervantes. Celebrans cum ſuis Miniſtris paratus miniſtrante Naviculam Diacono, Thuriferario vero thuribulum cum carbonis ardentibus benedicit, & imponit Incenſum more conſveto. Subdiaconus tunc conſiſtit à ſiniſtris Celebrantis, & Ceroferarii cum accenſis Cereis à tergo Diaconi, & Subdiaconi ſubſiſtunt.

9. Impoſito thure, omnes conſiſtentes in locis ſuis faciunt ſimul profundam Cruci, vel Imagini in Sacriſtia ſpecialiori reverentiam nudo capite, poſtea Miniſtri omnes converſo erga ſe Celebranti pariter ſe inclinant, Celebrante viciſſim jam tecto capite ſe inclinante, & procedunt ad Altare hoc ordine: Præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, & à ſiniſtris ejus Cæremoniarius, vel à dextris. Tum Ceroferarii cum Candelabris, & in eis Cereis accenſis. Deinde Subdiaconus ſolus, & poſt eum Diaconus, ultimo Celebrans: hi tantum tres tecto capite, cæteri nudo incedunt, manibus tamen junctis omnes quicunq; eas non habent impeditas. Si vero Pluviali erit indutus Celebrans, tunc medius inter Diaconum, & Subdiaconum, elevantes fimbrias dicti Pluvialis una manu, altera infra pectus poſita, procedet.

10. Si procedendo tranſeant ante Altare majus, ad quod Miſſa non ſit Celebranda modo ibi ſit in Tabernaculo SS. Sacramentum aſſervatum, omnes depoſitis Birretis genuflectunt; ſi verò ſola Crux tantum, omnes, excepto Celebrante (qui tantum profundam facit reverentiam) etiam genuflectunt Cruci. Si ibi ſit expoſitum Sacramentum, vel ſuper Altare propter Miſſam, quæ forte ibi celebratur, utrumq; flectunt genu. In dicto tamen tranſitu, & adoratione ſic ſe diſponunt; Diaconus, & Subdiaconus à lateribus Celebrantis, à tergo horum Ceroferarii, denuo à tergo Acolythorum Cæremoniarius, & Thuriferarius. Ante alia Altaria nulla ſit reverentia. Si etiam contingat eos tranſire per Chorum ſalutant omnes conſiſtendo nudo capite, & inclinando ſe modicè ſemel ad hanc, ſemel ad illam partem; hoc enim omnes Rubriciſtæ præcipiunt.

11. Si Altare ita ſit ſitum, ut Celebrans ad illius medium non poſſit accedere, quin prius tranſeat per partem Evange-

lii, tunc Subdiaconus & secundus Ceroferarius parum retrocedere debent, ut Celebranti facilem transitum præbeant, cui etiam tunc se inclinant. Pariter si transire debeat per partem Epistolæ, tunc Diaconus, & primus Ceroferarius retrocedere, & se inclinare debebant. Si autem recta linea pergunt ad Altare, dum ad illud accedunt, tunc Diaconus, primus Ceroferarius, & Cæremoniarius, paululum de medio recedunt ad partem Epistolæ, Subdiaconus vero secundus Ceroferarius, & Thuriferarius ad partem Evangelii, ut facilem Celebranti faciant transitum.

12. Perveniente Celebrante ante medium infimi gradus Altaris in planum, accedunt ad loca sua, scilicet Diaconus à dextris Celebrantis, & Subdiaconus à sinistris ejus. Ceroferarius primus à dextris Diaconi, & alter Ceroferarius à sinistris Subdiaconi. Cæremoniarius cum Thuriferario retro post Diaconum & Subdiaconum stabunt, omnes in æquali distantia, ne unus sit proximior Celebranti, quam alius. Tum Celebrans Caput detegens, dat Birretum Diacono, qui illud accipit cum quasi osculo illius, & Cæremoniario, una cum suo, tradit; cui pariter etiam suum reddit Subdiaconus, & omnes in eadem linea consistentes genuflectunt supra infimum Altaris gradum, si ibi sit Tabernaculum asservativum SS. Sacramenti; alioquin solus Celebrans profunde se inclinat, cæteris semper genuflectentibus.

13. Facta genuflexione surgunt, & adjuvant Ministri Celebrantem surgentem, sustentando brachia ejus, quod faciunt semper honoris gratia, præsertim superiori, aut alicui in dignitate constituto, quando genuflectit, & surgit. Cæremoniarius erectus reportat ad latus Birreta, eaq; reponit in aliquo loco decenti, vel supra scamnum in quo Celebrans, & Ministri sunt sessuri, non tamen supra Credentiam, nec ullo modo supra Altare, & revertitur ad locum suum ut prius stabat, ita & nunc.

14. Celebrans erectus cum Ministris Sacris stans, manibus ante pectus junctis, incipit Missam, ut in Ordinario Missæ, dicens: *In Nomine Patris &c.* & se signans. Ab hoc itaq; loco nec ipse, nec Ministri advertere debent ad quemquam in alio Altari Celebrantem. Advertat etiam Celebrans, ut ita moderatè se gerat in iis, quæ sui sunt muneris, ut etiam à Ministris modestè omnia fiant, ne cogantur nimia festinatione peragere, quæ deberent lentè. Cum autem Celebrans signat se, & inclinat, reliqui idem faciunt, Thuriferarius, & Ceroferarius, qui extinctis Cereis genuflexi, in locis suis respondere debent.

Dum

Dum Celebrans in Confessione dicit: *Vobis Fratres*, & *Vos Fratres*, aliquantulum se inclinat ad Ministros stantes, incipiens primo à parte Epistolæ, versus Diaconum dum dicit *Vobis*, & postea versùs Subdiaconum dum dicit *Fratres*. Illi verò dum dicunt *Misereatur Tui &c.* usq; ad finem, profunde se inclinant versus Celebrantem: dum dicunt *Confiteor* inclinant se Altari, & dicentes *Tibi Pater*, & *Te Pater*, versus Celebrantem.

15. Finita à Ministris Confessione, Celebrans dicit paululum versus ad illos adhuc inclinatos: *Misereatur vestri &c.* dum dicit: *Indulgentiam &c.* erigunt, & signant se cum eo. Dum dicit: *DEUS tu conversus &c.* iterum se inclinant Ministri, profundius tamen quam Celebrans, qui solus disjungit & jungit manus adhuc inclinatus, dicens *Oremus.* Tum dicens *Aufer à nobis &c.* ascendit ad Altare junctis manibus, Diacono sinistra manu, Subdiacono dextra Albam, & Vestem ipsius anteriorem paululum elevantibus, altera manu infra pectus admota, quod in similibus semper faciunt. Celebrans ascendens ad Altare, stans in medio osculatur illud ad verbum: *Quorum Reliquiæ*, manibus super eo positis. Ministri vero Sacri interim genuflectunt, manibus junctis ante pectus, & non super Altare positis, quod semper servent genuflectentes, aut se inclinantes, ita ut nunquam manus super Altare teneant; genuflectunt vero propter primum accessum ad Altare.

16. Osculato Celebrans Altari, ponit, & benedicit thus in thuribulo, Thurificat Altare, ut suo loco dicemus de Thurificatione par: IV. cap: 2. Cæremoniarius amovet Missale de Altari, aut in defectu illius, Thuriferarius. Incensato Altari juxta figuram I. infra positam, Celebrans incensatur à Diacono in Cornu Epistolæ ubi reddidit thuribulum, Diaconus etiam in eodem Cornu Epistolæ in plano consistit ad incensandum, habens à sinistris suis Subdiaconum junctis ante pectus manibus permanentem. Et licet Diaconus se inclinet versùs Celebrantem ante, & post incensationem, Subdiaconus tamen nullam facit reverentiam. Cæremoniarius stat à tergo Subdiaconi, & Thuriferarius pariter à tergo Diaconi, qui finita Celebrantis incensatione recipit à Diacono thuribulum sine osculis, illudq; defert in Sacristiam, ac procurat, ne ignis deficiat, postea redit ad locum suum, ubi prius stabat, ibiq; permanet.

§. 2.
De initio Missæ Solemnis ab Introitu, usque ad Evangelium.

1. Facta sui incensatione Celebrans, in eodem cornu Epistolæ stans, convertit se ad parietem Altaris, habens in 2. gradu a dextris Diaconum, & Subdiaconum in plano à dextris Diaconi in recta linea, manibus junctis, legit solus submissa voce Introitum ex Missali, signans se cum Ministris, & ad ℣. *Gloria Patri*, inclinat se versus Crucem cum iis. Dicto Introitu adhuc ibidem dicit cum Ministris alternatim *Kyrie eleison*, quo dicto, si sedendum erit, statim descendunt in planum, facta prius ab omnibus erga Crucem Altaris inclinatione, ibique sedent, donec à Choro perficiatur, modo, quo infra. Si vero standum erit: tunc recitato *Kyrie eleison*, accedunt simul ad medium Altaris, Celebrans scilicet penes tabulam Altaris, Diaconus per 2. gradum, & Subdiaconus per planum, non vero per gradus, venientes ad loca sua Ministri genuflectunt, ibiq; persistunt, videlicet Diaconus in 2. gradu post Celebrantem, & Subdiaconus in plano à tergo Diaconi omnes in medio.

2. Finito per Chorum, *Kyrie eleison*, permanentibus in locis suis Ministris, Celebrans decantat Hymnum *Gloria in excelsis DEO*, & dum dicit *Gloria* disjungit manus, quas ante pectus junctas tenebat, & non supra Altare positas: dicens *in excelsis* eas disjunctas elevat usq; ad humeros: dicens *DEO*, eas iterum jungit ante pectus, non elevans oculos, sed tantum caput inclinans, pariter Ministri in locis suis ad verbum *DEO* caput inclinant.

3. Decantato à Celebrante initio Hymni Angelici, Diaconus & Subdiaconus in locis suis genuflectunt, & non prius; tum Diaconus stans in 2. gradu aliquantulum recedit versùs Cornu Epistolæ, expectans paulisper Subdiaconum, qui ascendit ad eundem gradum, paululum versùs Cornu Evangelii, & sic ambo hinc inde simul ascendunt ad latera Celebrantis, (quod sic semper faciunt, quotiescunq; simul ascendunt ad Altare) ubi jam non genuflectunt, sed stantes manibus junctis submissa voce totum Hymnum recitant, quem Celebrans post inchoationem non prosequitur solus, sed Ministros expectat, cum quibus non alternatim, sed simul recitat; dictiq; Ministri non præveniant in recitatione præfati Hymni, sed potius subsequantur Celebrantem, & ita, ut ipse Celebrans aliquantulum altiùs, quam illi, recitet.

Quod

Quod ſemper facere debent in ſimili caſu, cum eo ſe inclinantes, & ſignantes in fine, & dum dicunt *Amen*, pariter jungant manus.

4. Hymno dicto, ſi ſedendum erit, quod decet, facta debita à Celebrante reverentia, & à Miniſtris genuflexione, ſemper per breviorem viam, id eſt per latus Epiſtolæ unus poſt alium præcedente Subdiacono procedunt ad ſedem paratam in plano, ubi Celebrans prius ſedet elevantibus Miniſtris poſteriorem Planetæ partem, & caput operit Birreto ſemper & nunquam Pileo, quem porrigit ei Diaconus, cum quaſi oſculo dicti Birreti. Diaconus ad Celebrantis dexteram, & Subdiaconus, ad ſiniſtram ſedent, facta tamen prius debita reverentia Celebranti, & poſtea caput tegunt. Sic ſedentes, manus ſuper genua, hinc, inde expanſas, aliquantulum à ſe invicem diſtantes, digitis tamen ſimul junctis teneant, talemq; ordinem ſervent in ſedendo, & ſurgendo, ut aliquantulum prius Celebrans quam Miniſtri ſedeat, & caput tegat; Miniſtri vero prius ſurgant, & caput detegant, quam ille. Sedente Celebrante, dum Chorus ea canit verba ad quæ debet fieri inclinatio, Annuente Cæremoniario (qui tunc ex oppoſito Celebrantis, una cum Thuriferario ſtare debet) Celebrans, & Miniſtri caput denudatum inclinent, & poſtea tegant, ſicut & cæteri in Choro exiſtentes.

5. Circa finem Hymni, dum ſcilicet cantatur *Cum Sancto Spiritu*, ad quod non ſe denuò ſignant, Celebrans adhuc ſedens dat Birretum ſuum Diacono, quod acceptum cum quaſi oſculo deponit in loco ſuo, ſicut & ſuum: ſimiliter Subdiaconus, ſuum deponit. Aperto itaq; omnes capite, & facta inclinatione Celebranti unus poſt alium longiori via, ſcilicet per planum ad Altare procedunt, advertens Diaconus ut prope angulum infimi gradus Altaris tranſeunti Celebranti locum cedat, eiq; ſe inclinet; & facta in infimo gradu ab iis debitâ reverentiâ, Celebrans aſcendit ad Altare, Miniſtris elevantibus anteriores fimbrias Veſtis illius uſq; ad 2. gradum, ad quem etiam Subdiaconus aſcendit, & poſtea deſcendit in planum. Diaconus vero remanet in dicto 2. gradu, & conſiſtit in medio poſt Celebrantem. Subdiaconus autem in plano poſt Diaconum. Celebrans reverſus ad Altare illud oſculatur in medio, quod ſemper facit, quoties accedit de ſede ad Altare, niſi ſtatim illud oſculari debeat ex Rubrica, ſufficit enim ſemel illud oſculari tunc tempore præſcripto.

6. Si Celebrans non sedet cum Ministris ad Hymnum, quod maxime deceret coram SS. Sacramento exposito, stant omnes ad Altare, quasi pares, paulo tamen post Celebrantem, ea scilicet distantia, qua ab Altari distant, ita enim docet *Gavantus p. 2. tit. 4. n. 7.* & alii. Et cum à Choro dicitur *Cum Sancto Spiritu*, Ministri facta in eodem loco genuflexione, descendunt ad priora sua loca, stantq; unus post alium. Terminato Hymno, Celebrans osculatur Altare, & manibus junctis ad populum se convertens, extendens, elevans, & iterum jungens manus dicit *Dominus vobiscum.* Ministris stantibus post eum, qui non se inclinant in hujusmodi conversionibus. Quo dicto omnes procedunt unus post alium sine ulla genuflexione ad cornu Epistolæ, ubi Celebrans dicit *Oremus* inclinans se Cruci Altaris, sicut & Ministri; hi tamen manus non extendunt, sed solus Celebrans, & dicit orationem unam, vel plures, ut Rubrica Missalis permittit, elevante interim Librum Diacono. Et quemadmodum Celebrans inclinat Caput Cruci Altaris, ita & Ministri dictam reverentiam intermittere non debent.

7. Quando in Missis de Feria ante Orationem dicitur *Flectamus genua*, Diaconus statim, ut incipit ea verba dicere, ipse primus omnium genuflectit, tum omnes alii cum eo utroq; genu excepto Celebrante, (qui neq; unico genu flectit) Subdiacono vero dicente *Levate* omnes surgunt cum eo, illo tamen præveniente ad inchoationem solam vocis *Levate*, & jam stant omnes ad Orationem quæ sequitur. Ad Orationis finem neque Diaconus neque Subdiaconus tenentur respondere *Amen*, quia sufficit, si Chorus respondeat: idem dicendum est de aliis, ad quæ Chorus respondet.

8. Circa finem Orationis unicæ, vel ultimæ Cæremoniarius de Credentia accipit ambabus manibus Librum Epistolarum, per ejus latera, & elevatum tradit Subdiacono stanti in loco, ubi prius: qui eundem pariter ambabus manibus accipit, versa facie ad invicem, absq; ullis osculis, sed cum mutua mediocri inclinatione. Et Subdiaconus portans sibi Librum elevatum ante pectus, eum tenens per partem inferiorem ambabus manibus ibi suppositis, ita, ut pars quæ aperitur sit versus brachium dextrum, procedit ad medium infimi gradus per planum, comite Cæremoniario ad sinistram, ubi genuflectit unico genu, mox surgens, redit eadem via ad locum, ubi cantari solet Epistola, & tenens sibi Librum versus Altare, decantat alta, & sonora voce prædictam Epistolam.

9. Dum Subdiaconus canit Epistolam, Cæremoniarius stat ad sinistram illius, ubi non in recta linea, sed aliquantulum post eum stare debet, ac folia vertere, si opus est. Diaconus autem sicut ad Orationes, ita & ad Lectionem permanet ad dextram Celebrantis, stateq; in 2. gradu pro situ loci. Celebrans legens submissa voce Epistolam & alia, usq; ad *Munda Cor meum* exclusivè, manus supra Librum positas habet, *ita Rubr Miss:* Diaconus tamen vertit folia Celebranti si opus sit, neque inde discedit, donec Subdiaconus finierit canere Epistolam. In fine Epistolæ, quam legit Celebrans, Diaconus respondet: *Deo gratias,* & genuflectit cum Celebrante ad ea, ad quæ certis locis præscribitur genuflexio.

10. Decantata Epistola Subdiaconus statim claudit Librum, quem ut prius portat, & accedit per planum primum ad medium infimi gradus, ubi genuflectit, surgit, & mox comite eodem Cæremoniario accedit ad Celebrantem in cornu Epistolæ per gradus laterales, ubi genuflectens super altiori, ex iis, gradu, & Libri Superiorem partem deflectens versus Celebrantem, dexteram eius super Librum Epistolarum positam in parte exteriori osculatur, & ab eodem Celebrante aliquantulum ad se converso, eadem dextera benedicitur, retenta manu sinistra super Altari. Diaconus vero tunc retrocedit paululum, ut Subdiacono genuflectenti cedat locum.

11. Celebrans data benedictione Subdiacono, procedit ad medium Altaris manibus junctis, ibiq; dicit: *Munda Cor meum &c:* & *Jube Domine* &c: Subdiaconus interim reddens Librum clausum Comiti suo Cæremoniario, capit Missale de Altari & solus, illud clausum, (*ita decidit Marcellus L. 2. c. 3.*) cum Cussino deferente pectus ad cornu Evangelii, per planum, & non per gradus, facta in medio genuflexione: sicq; illud locat, ut posterior pars Libri respiciat cornu Altaris, non vero parietem; ibiq; Celebranti ad ejus sinistram ministrat, sustentans sinistra sua Librum, vertensq; folia dexterà, signans se pollice dextro in fronte, ore, & pectore cum Celebrante, ac genuflectens cum eo, si opus est; respondens etiam *Et cum Spiritu tuo. Gloria tibi Domine.* & in fine *Laus tibi Christe.*

12. Celebrans legit submissa voce Evangelium ut in Missali, in cuius fine non osculatur Librum, nec dicit: *Per Evangelica dicta* &c: sed recedit à Cornu Evangelii, & accedit ferè ad medium Altaris, ita, ut sit inter medium Altaris, & cornu Evangelii, ubi tamdiu semiconversus stat, donec Diaconus, acceperit benedictionem incensi, & sui. Diaconus autem, dum adhuc Celebrans inchoavit Evangelium

lege

legere, capiens de manu Cæremoniarii, pariter ut Subdiaconus, Librum Evangeliorum, adhuc in cornu Epiſtolæ, defert illum ſolus ad Altare per planum, & aſcendit per anteriores gradus illius, dum pervenerit ad medium plani, in infimo gradu genuflectit, dictumq; Librum Evangeliorum ſuper medium Altaris quaſi iacentem collocat, & ſtatim facta ibidem iterum genuflexione accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ibiq; quaſi medius inter ipſum, & Subdiaconum audit Evangelium manibus ante pectus junctis.

13. Evangelio finito à Celebrante Subdiaconus collocat Librum propiùs ad medium Altaris, & facta ibidem genuflexione deſcendit in planum per gradus laterales, & ſtat poſt Diaconum. Thuriferarius circa finem Epiſtolæ parat ignem in Thuribulo, & dum Celebrans terminat legere Evangelium, dictus Thuriferarius ſine mora accedit per gradus laterales Epiſtolæ ad Altare, ibiq; facta genuflexione miniſtrat Naviculam Diacono, & Celebrans ſtans prope medium Altaris imponit & benedicit incenſum more ſolito, Subdiacono ſtante in plano in loco ſuo. Thuriferarius itaq; recepta à Diacono Navicula, deſcendit per gradus laterales Epiſtolæ, facta prius genuflexione in receſſu, & redit ad locum ſuum.

14. Diaconus reddita Navicula Thuriferario, ſtatim genuflectit ſuper ſuppedaneum Altaris, dicitq; manibus ante pectus junctis, inclinatus: *Munda Cor meum* &c: quo dicto ſurgit, & ambabus manibus capit reverenter Librum Evangeliorum de medio Altari, & iterum genuflexus in eodem Suppedaneo, versus Celebrantem ſtantem, adhuc ſemiconverſum, petit ab eo benedictionem dicens: *Jube Domne benedicere.* Celebrans manibus junctis ſubjungit dicens: *Dominus ſit in Corde tuo* &c: & cum dicit: *In Nomine Patris* &c: benedicit eum dextera, ſiniſtra infra pectus poſita, & in fine ipſe ſubdit *Amen*, eandemq; manum dexteram ponit poſtea ſupra Librum Evang: (quem Diaconus aliquantulum elevat, & deflectit verſus Celebrantem:) tradit in parte exteriori Diacono oſculandam. Data benedictione ſi nondum Chorus terminavit Cantum ſuum, Celebrans accedit ad medium Altaris, poſt quem Diaconus in 2. gradu, & poſt Diaconum Subdiaconus in plano, conſiſtunt, permanentq; donec tempus fuerit cantandi Evangelii.

De

§ 3.

De progressu Missæ Solemnis ab Evangelio, usq; ad initium Canonis.

1. Terminato per Chorum Graduali, vel Tractu, proceditur ad Evangelium cantandum hoc ordine: Præcedunt Ceroferarii, post quos Subdiaconus manibus ante pectus junctis, tum Diaconus tenens ante pectus Librum Evangeliorum clausum ambabus manibus; collocatq; se Subdiaconus in plano lateris Evangelii, tum Diaconus tradit Librum apertum Subdiacono, quem ipse, conversus ad Diaconum, ambabus manibus elevatum ante pectus, & oculos suos sustinet, ita, ut Diaconus in eo commode legere possit, & oculi ipsius Subdiaconi à Libro impediantur, ne recta videant Diaconum. Ceroferarii stant hinc inde à lateribus Subdiaconi in eadem linea. Thuriferarius stat post Diaconum à dextris, ut commodè Thuribulum tradere possit. Cæremoniarius verò à sinistris Thuriferarii pariter post Diaconum.

2. His ita dispositis, Diaconus junctis ante pectus manibus, stans in proportionata distantia versùs Librum à Subdiacono sustentatum, incipit cantare Evangelium dicens: *Dominus vobiscum*, dum dicit *Sequentia*, vel *Initium S. Evangelii &c*: signat textum principii Evangelii pollice dextro, reliqua manu extensa, & digitis simul junctis, atq; extensis, supra Librum posita postea seipsum etiam signat in fronte, ore, & pectore eodem pollice, sinistra infra pectus posita, advertens, ut non signet os tunc dum verba profert. Dum Ministri procedunt ad Evangelium de locis suis, pariter & Celebrans à medio ascendit ad extremitatem tabulæ Altaris, ad cornu Epistolæ, facta prius in medio capitis inclinatione Cruci, vertens autem faciem suam ad cornu Evangelii, convertit se per latus suum sinistrum, ne terga vertat Altari.

3. Dum se signat Diaconus, Celebrans & omnes alii eodem modo & tempore se signant, exceptis Ceroferariis, Subdiacono, & Thuriferario, cum sint impediti. His peractis, Thuriferarius stans ad dexteram Diaconi, tradit ei thuribulum sine osculis, aliquantulum ad se converso. Et Diaconus Librum Evangeliorum triplici ductu incensat, 1. in medio, 2. in dextera ipsius Libri, 3. deniq; in sinistra eiusdem Libri, quæ est dextera Diaconi, facta prius, & post inclinatione ipsi Libro, propter reverentiam Sacri textûs in eo contenti,

ti; Ita verò moderatè incenset, ut statim post responsum à Choro: *Gloria tibi Domine*, prosequatur Evangelium nulla interposita mora. Incensato Libro, Diaconus reddit thuribulum Thuriferario, qui longiùs post eum recedit, stans usq; ad finem Evangelii, ibidem leviter agitans thuribulum, ne nimietate fumi impediatur Diaconus in decantatione Evangelii. Dum cantatur nomen *JESUS*, vel fit mentio nominis *MARIÆ* omnes inclinant caput, Celebrans, versùs Altare, & cæteri Ministri pariter, præter Diaconum, qui versus Librum facit reverentiam profundiorem tamen ad nomen *JESU* quam ad nomen *MARIÆ*. Si genuflectendum sit, solus Diaconus versùs Librum, alii versùs Altare prout & Celebrans, sed Subdiaconus & Ceroferarii nunquam genuflectunt, nec se signant, nec inclinant, quia immobiliter persistere debent.

4. Completo Evangelio, statim Subdiaconus nulla facta reverentia, etiam præsente SS. Sacramento exposito, solus modeste librum elevatum ab oculis, & apertum in folio ubi est principium Evangelii (quod ideo prius Diaconus manu ostendit illi, & vertit folium in quo est, si opus sit) portat ad Celebrantem, qui ambabus manibus hinc, inde accipit, & osculatur parum se inclinando, atq; statim dicendo *Per Evangelica dicta &c*: Et Subdiaconus statim claudit librum, ac paululum retrahens se, Celebranti facit reverentiam, & descendit in planum per viam breviorem, quasi per latus Epistolæ, ubi genuflectit, & Librum Cæremoniario tradit.

5. Si D. Abbas fuerit præsens in Choro, & indutus habitu Ecclesiastico scilicet Rocheta & Mozzeto, deferatur illi à Subdiacono Liber ad osculandum absq; ulla reverentia; qui D. Abbas penes osculum textùs Evangelici dicere tenetur: *Per Evangelica dicta* &c: Celebrans enim supradicta verba intermittit, quia ut refert Gavantus in exp. Rubr: Mis: *sunt verba osculantis propria, quæ ideo omisso osculo, omittuntur.* Et P. Merati par. 2. tit. 6. n. 9. refert: *quod hæc verba dicuntur ab eo tantum, qui Librum osculatur, sunt enim verba osculantis propria.* Hoc ipsum innuit *Quarti p. 2. tit 6, Rubr*: 2. Non tamen incensari debet D. Abbas, sed Celebrans tantum, quia sic disposuit S. R. C. ut infra patebit.

6. Ceroferarii statim post finem Evangelii redeunt per planum ad loca sua ubi simul cum Diacono unico quasi actu genuflectunt, & remanent stantes. Thuriferarius verò accedit ad dexteram Diaconi, & porrigit ei thuribulum antequam genuflectat, imposito prius Thure sine benedictione, si fumus deficiat,

ficiat; & simul cum Diacono genuflectens, stat post illum. Diaconus finito Evangelio, & dato signo manu dextera ubi sit initium Evangelii, retrahit se parum à gradibus Altaris, ut transeunti Subdiacono cedat locum, reditq; postea ad gradus Altaris quasi ad Cornu Evangelii ubi accepto Thuribulo, expectat donec Subdiaconus descenderit, & tunc cum eo, & aliis, simul genuflectit, & postea triplici ductu incensat Celebrantem, cum debita inclinatione ante, & post. Thuriferarius recipit Thuribulum, & facta Altari congrua reverentia si non est dicendum *Credo* remanet in loco suo, agitans leviter thuribulum ne Ignis extingvatur pro incensatione mox facienda: Si autem dicendum est, reportat thuribulum in Sacristiam, & ipse revertitur ad locum suum. Et dum D. Abbati defertur Liber ad osculandum, Diaconus sine mora recedente Subdiacono capit thuribulum à Thuriferario, & incensat Celebrantem sed bino tantum ductu, ob præsentiam D. Abbatis.

7. Celebrans postquam incensatus fuerit, procedit ad medium Altaris, ubi incipit (si dicendum sit) Symbolum, Dum dicit *Credo* extendit & elevat manus, dicens *in unum* jungit eas ante pectus, dicens deniq; *Deum.* caput Cruci inclinat, quod & Ministri in suis locis faciant cum eo. Tum Diaconus cum Subdiacono, & non prius, genuflectunt in locis suis, & accedunt ad latera Celebrantis eodem modo sicut ad Hymnum Angelicum, ibiq; prosequuntur cum Celebrante Symbolum manibus junctis, ac genuflectunt, sicut & cæteri ad ℣. *Et incarnatus est*, & ad hæc verba & *Homo factus est* etiam caput inclinant. Si sedendum est, recitato Symbolo procedunt ad sedem cum Celebrante, ut ad Hymnum Angelicum, inclinantes se tantum profundè in sede nudo capite ad ℣ *Et incarnatus est* dum à Choro canitur. Inferiores autem Ministri, qui stant ad Altare, semper genuflectunt ad prædictum ℣.

8. Si non est sedendum, sed standum, Ministri Sacri recitato Symbolo stant ibi quasi pares, velut ad Hymnum Angelicum, & dum canitur in Choro *descendit de cælis*, descendit cum Celebrante ad 2. Altaris gradum, ubi simul in Suppedaneo genuflectunt, & cum dicitur à Choro *Et homo factus est*, caput etiam profunde inclinant, ab initio tamen genuflexionis posteriorem partem Planetæ Celebrantis aptant super pedes ejus, eumq; adjuvant dum surgit. Jn tribus verò Missis Nativitatis D. N. J. C. & in Festo Annunciationis B. V. Mariæ ad ℣. *Et incarnatus est.* si sedent, surgunt de se-

de sua, & accedunt ad infimum gradum à latere Epistolæ, ibiq; genuflectunt in eo. Si autem stant ad Altare, ad dictum ℣. *Et incarnatus est.* descendunt in planum ibiq; in infimo gradu genuflectunt.

9. Dum inchoatur in Choro *Crucifixus*, Si sedent, Diaconus deposito penes se birreto surgit, & inclinat se Celebranti, qui illi non respondet, nisi cum aliqua honoris significatione aliquantulum caput inclinando, tum vadit solus ad Credentiam, ubi Bursam, cum Corporali intus existente à Cæremoniario sibi porrectam accipit, & ambabus manibus usque ad oculos tenet elevatam, & quasi iacentem, parte aperta ad se conversa, solus per planum gravi incessu, & modesto, defert ad Altare, genuflectens in infimo gradu, & ascendens ad medium Altaris extrahit Corporale de Bursa, explicat illud in medio, bursam verò prius ad partem Evangelii penes candelabra collocat elevatam, quasi stantem, & statim genuflectens ibidem, redit per viam breviorem ad Celebrantem, scilicet per gradus laterales, dicto Celebranti debitam facit reverentiam. Interim Subdiaconus à recessu Diaconi, stat, toto tempore, capite aperto, & dum Diaconus redit ab Altari post inclinationem factam Celebranti, aliquantulum se inclinat eidem Subdiacono, & hic vicissim, atq; omnes postea sedent.

10. Si Celebrans cum Ministris stat ad Altare, dicto *Et homo factus est.* in Choro, Celebrans cum Subdiacono ascendit ad Altare, & Diaconus statim vadit ad Credentiam de qua affert Bursam cum Corporali eodem quo supra modo. Dum ergo Diaconus ascendit cum Bursa, Celebrans cum Subdiacono parum retrahunt se ad cornu Evangelii, medium Altaris relinquentes Diacono, qui nullam tunc faciens Celebranti reverentiam, explicat ibidem Corporale, ac postea recedit ad cornu Epistolæ, & pariter remanet ut ante, scilicet Diaconus à dextris, & Subdiaconus à sinistris Celebrantis. Si vero non dicatur Symbolum, jam Diaconus non vadit ad Credentiam, sed Subdiaconus suo tempore, ut infra dicetur, una cum Calice deferet simul Bursam & Corporale.

11. Circa finem symboli, scilicet dum canitur in Choro, *Et vitam venturi &c.* Si Celebrans sedebat, erigit se, & cum Ministris sacris, ut ad finem Hymni Angelici, ascendit cum illis ad Altare. Si vero stabant ad Altare Ministri genuflectunt, & descendunt, stantq; unus post alium dum Celebrans dicit: *Dominus Vobiscum*, Dicto *Oremus*, iterum in locis suis genuflectunt,

ftunt, & mox Diaconus ascendit ad dexteram Celebrantis, dicentis interim Offertorium junctis manibus, & submissa voce, Subdiaconus vero vadit ad Credentiam, ubi adjuvante Cæremoniario capit Velum oblongum, imponit humeris suis, ita, ut pars in dextro brachio longius pendeat, tum parvum velum amovetur à Calice per eundem, statimq; à Cæremoniario plicatur, & relinquitur super Credentiam. Accipiendo postea sinistra nuda per nodum, ipsum Calicem, tegit parte longiori Veli pendentis, dexteramq; ponit extensam super eodem velo, cautè advertens, ne aliquid decidat, & procedit per viam breviorem, scilicet per gradus laterales, ad Cornu Epistolæ, comite Cæremoniario à sinistris. Et interim Ceroferarius propior Credentiæ, accipit ambabus manibus in bacili ampullas vini, & aquæ, easq; elevatas usq; ad pectus, sequens immediatè Subdiaconum defert etiam ad Cornu Epistolæ; ubi Subdiaconus sine ulla genuflexione deponit super Altare ipsum Calicem.

12. Diaconus in eodem cornu stans, detegit Calicem, remota prius manu Subdiaconi, & parte longiori Veli, Patenam cum Palla accipit, & conversus ad Celebrantem, deposita Palla prope Corporale, patenam cum Hostia ambabus manibus, ita ut dextera ejus sit versus superiorem partem, & sinistra versùs interiorem, offert Celebranti cum osculis, ipsius Patenæ in extremitate, & manus in parte exteriori, & ita porrigat, ut eam Celebrans commode ambabus manibus capere valeat. Quando non dicitur *Credo*, dicto à Celebrante *Oremus*. Subdiaconus imposito sibi Velo, ut supra, & non deposito velo parvo, sed oblongo insuper contegendo defert omnia cum Calice, & cum ad Altare pervenerit cum Cæremoniario, Diaconus ambabus manibus accipit Bursam Corporalium, & accedens ad medium Altaris, (cui protunc, ut supra, Celebrans cedit locum, retrahendo se parum ad cornu Evangelii) genuflectit explicat Corporale, & bursam locat ad cornu Evangelii, & facta denuo genuflexione, recedit de medio, & redit ad Subdiaconum, in Cornu Epistolæ persistentem, qui interim deponit Velum parvum de Calice, tradit illud Cæremoniario, ut plicet, & referat ad Credentiam, Diaconus reliqua ut supra peragit.

13. Celebrans accepta Patena solus offert Hostiam more solito, dicens: *Suscipe Sancte Pater &c.* qua finita Oratione, deponit Hostiam super Corporale, Patenamq; collocat prope Corporale, & interim Subdiaconus Calicem extergit Purificatorio, tradens eum postea extensum Diacono, tum Ampullam vini ab Acolytho sibi traditam, Diacono sine osculis porrigit, Diaconus

N 2

nus finistra acceptum Calicem tenens per nodum, simulque Purificatorium ad labium tantum extensum, capiens a Subdiacono dextera Ampullam, infundit in dictum Calicem vinum proportionatè, & magis ad beneplacitum Celebrantis, qui propterea ad id attendere debet. At vero Subdiaconus acceptam Ampullam aquæ dextera sua parum elevans, ostendensq; Celebranti, conversus ad eum, & inclinans caput dicit: *Benedicite Pater Reverende.* Mox Celebrans junctis manibus incipit dicere Orationem, *DEUS qui humanæ substantiæ &c.* & dum dicit: *Da nobis per hujus aquæ &c.* dextera facit signum Crucis versus Aquam, sinistra in Altari posita. Subdiaconus non prius dictam aquam infundit, quam benedicta fuerit, & tantum in modica quantitate. Quo facto Subdiaconus reddit ambas Ampullas Acolytho, referendas ad Credentiam, & ipse in eodem loco remanet.

14. Si adsint particulæ consecrandæ pro Communione fidelium, dum Celebrans incipit Offertorium, vel citiùs, Pixis in qua sunt, aut Calix defertur à Subdiacono, vel Sacrista, aut etiam Cæremoniario, antequam offeratur Calix Missæ, eamq; Diaconus collocat prope Crucem Altaris, & antequam Patenam tradat Celebranti, aperit Pixidem, eamq; parum elevatam sustinet, dum Celebrans offert Hostiam, & Patena deposita, ut supra, ipse Diaconus Pixidem tegit, & reponit in loco suo, ita tamen ut semper sit super Corporale post Calicem, & non extra Altare portatile, si adsit tale.

15. Post infusionem Vini, & Aquæ in Calicem, Diaconus tenens Calicem sinistra supra nodum ad Cuppam, & dextera per pedem, porrigit eundem Celebranti cum debitis osculis Calicis, & manus Celebrantis, quem ille ambabus capit manibus, tenens dextera per nodum, & sinistra per pedem, elevans oculos, & statim demittens offert dicens: *Offerimus Tibi Domine &c.* cum eodem Diacono, brachium dextrum sustentante, postea eundem Calicem super Altare collocat, & Diaconus Palla cooperit. Qui Diaconus statim Patenam de Altari sumit, sine purificatorio, eam ponit in dextera nuda Subdiaconi adhuc in cornu Epistolæ stantis, cujus pars interior ipsum Subdiaconum respicere debet, eamq; ipse Diaconus operit extremitate veli oblongi Subdiaconi, parte longiori, qui statim sine genuflexione descendit in planum post Celebrantem ante medium Altaris, ubi tunc facta genuflexione, stat, eandem Patenam elevatam tenet ob oculos usq; ad finem Orationis Dominicæ, sinistra manu brachium dextrum sustentat, non jam genuflectens, nisi ad elevationem SS. Sacramenti, licet Celebrans, & Diaconus pluries genuflectant.

16.

16. Celebrans interim prosequitur orationes consvetas scilicet: *In Spiritu humilitatis*, & *Veni Sanctificator*. Et Thuriferarius cum Thuribulo & Navicula accedit ad Altare per gradus laterales, ubi porrigit Diacono Naviculam, & ipse ministrat thuribulum cum igne, ut dicetur suo loco. Diaconus porrigendo Celebranti cochlear cum debitis osculis petit benedictionem dicens: *Benedicite Pater Reverende*. Celebrans finitis orationibus convertit se ad Thuriferarium, habens latus suum sinistrum respiciens Altare, accepto cochleari à Diacono, sumit de Navicula incensum, ter immittit illud in Thuribulum dicendo: *Per intercessionem &c.* quæ verba ita disponat, ut ad verbum *benedicere*, jam reddito cochleari Diacono dextra faciat signum Crucis supra thus impositum. Data benedictione Thuriferarius tradit thuribulum Diacono absq; osculis, & recipit Naviculam. Diaconus vero cum debitis osculis catenularum thuribuli, & manu Celebrantis, eidem porrigit. Et Celebrans accepto thuribulo nullam prorsus faciens reverentiam (licet sit expositum SS. Sacramentum) absolute incensat oblata; ducens ter thuribulum super Hostiam, & Calicem simul in modum Crucis, in recta linea, non autem velut 4. puncta designando, & ter circum Calicem, & Hostiam, scilicet bis à dextra sua ad sinistram, & semel à sinistra ad dextram, dispensans verba ad quemlibet ductum thuribuli, ut infra dicetur de Thurificatione, & demonstratur in Fig: II.

17. Deinde Celebrans facta debita reverentia incensat Altare, ut ibidem notatur, & demonstratur in Fig: I. dicens interim: *Dirigatur Domine oratio mea*, dum incensat Crucem Altaris, vel SS. Sacramentum expositum, & prosequitur incensationem, dispensando versiculos notatos in Missali, ut sufficiant ad totam incensationem. Diaconus in tota hac incensatione solus assistit Celebranti, & amovet Calicem, quem tenet ad partem Epistolæ, dum Crux incensatur, non tamen extra Corporale, si fieri potest: ut advertit Gavantus par: 2. tit: 7. Cruce vero incensata eundem Calicem reponit in loco suo. Dum ponitur incensum in thuribulo, Cæremoniarius ascendit ad Altare per gradus laterales Evangelii, amovet Librum cum Cussino, de Altari, & descendit in planum lateris Evangelii, ubi stat, donec incensata fuerit pars anterior Altaris à latere Evangelii, tenens prædictum Librum cum Cussino, qua parte incensata, ascendit reponit Librum prope Corporale, mox genuflexione facta redit per laterales gradus, proceditq; per planum, genuflectit iterum in medio, accedit ad latus Epistolæ, & ibi stat

post

post Diaconum, dum incensat Celebrantem. Thuriferarius dato Thuribulo, & recepta navicula ante incensationem oblatorum, factaq; in loco genuflexione, recedit per gradus laterales Epistolæ in planum, ibiq; ad dictum cornu Epistolæ expectat cum Navicula, donec terminata fuerit incensatio. In defectu vero Cæremoniarii, Thuriferarius deposita Navicula super Credentiam, vel in loco alio, ascendit per planum, genuflectens in medio ascendensq; per gradus laterales Evangelii, amovet Librum cum Cussino, omniaq; peragit, quæ modo de Cæremoniario diximus.

18. Completa incensatione Altaris, Celebrans in Cornu Epistolæ reddit thuribulum Diacono dicens: *Accendat in nobis &c.* Diaconus accipiens thuribulum, & ad finem Orationis respondens *Amen*, descendit in planum, & incensat Celebrantem eo modo quo dictum est initio Missæ. Interim Ceroferarii ambo, quorum unus accipit Ampullam Aquæ cum pelvicula, & alter sumit Mappulam plicatam ambabus manibus de Credentia, ille à dextris, hic à sinistris, accedunt ad latus Epistolæ, ubi postquam incensatus fuerit à Diacono Celebrans, primus fundit aquam super indices, & pollices ejus, supposito bacili, & alter subministrat Mappulam, quam extendit super manus Celebrantis, cum debitis reverentiis, & cum quasi osculis ampullæ, & manutergii ante, & post. Postea ambo simul redeunt ad Credentiam, super quam reponunt ampullam cum lance, & manutergium, effusa prius aqua in loco honesto, & remoto, non vero in pavimento, quod omnino indecenter feret, & redeunt pariformiter ad loca sua.

19. Postquam Diaconus incensavit Celebrantem in cornu Epistolæ, accedit ad Chorum facta prius genuflexione, quasi ante medium Altaris, à dextris Subdiaconi, comite Thuriferario à sinistris suis, Naviculam secum deferente, ut ponat thus in thuribulo, si fumus deficiat. Ita peritissimi Rubricistæ. Cæremoniarius remanet à sinistris Celebrantis, ut ei vertat folia, quousq; Diaconus non revertatur. Diaconus incensabit omnes præsentes in Choro suo ordine, & reversus ad gradus Altaris Subdiaconum, ipse deinde, ac alii Ministri à Thuriferario incensantur, secundum regulam præscriptam infra par. 4. cap. 6. His peractis Thuriferarius revertitur in Sacristiam, & parat carbones in Thuribulum; Diaconus vero redit ad locum suum, scilicet ad 2. gradum post Celebrantem.

20. Interim Celebrans peragit omnia alia, quæ in privatis Missis usq; ad præfationem, quam cantat, & ad quam

Mini-

Miniſtri Sacri ſtant poſt eum, inclinantes ſe dum dicit *Deo noſtro.* Et dum intonat *Vere dignum* &c: aſcendit Diaconus ad Librum ibiq; folia vertit ſi opus eſt. Paulò antequam finiatur Præfatio, facta genuflexione Diaconus tranſit ad dextram Celebrantis, & Subdiaconus ad ſiniſtram eiuſdem, ibiq; cum eo inclinati manibus junctis, excepto Subdiacono, qui tenet patenam, dicunt *Sanctus* &c: ad *Benedictus* ſignant ſe à fronte ad pectus, præter Subdiaconum qui habet impeditas manus. Poſtea facta genuflexione in loco ab iiſdem Miniſtris, Subdiaconus redit ad locum ſuum in planum poſt Celebrantem, ibiq; ſtat, & Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis, ubi iterum genuflectit, quod facit ſemper, quoties de uno latere tranſit ad aliud, ita ut ſemper genuflectat in receſſu, & in acceſſu, & non in medio.

§. 4.

De Completione Miſſæ Solemnis ab initio Canonis, uſq; ad finem.

1. Finita præfatione, Celebrans recitat Canonem ut in Miſſa privata; & Diaconus miniſtrat Celebranti ſtans ad Librum; ſiniſtra manu ſuſtentans Miſſale, dextera vero folia vertens, & indicans Celebranti quæ dicenda ſunt. Cum Celebrans dicit: *Quam oblationem* &c: Diaconus facta genuflexione in loco, accedit ad dexteram Celebrantis ubi iterum genuflectit, ſicut & Subdiaconus, quilibet tamen in loco ſuo, ſcilicet Subdiaconus in infimo gradu, & Diaconus in Suppedaneo, ſicq; manent genuflexi ad finem elevationis Calicis. Thuriferarius egreſſus de Sacriſtia cum thuribulo, comite Cæremoniario vadit ad cornu Epiſtolæ, facta in medio genuflexione, & in eodem cornu Epiſtolæ genuflectit uterq; in infimo gradu, Cæremoniarius à dextris Thuriferarii, ita tamen ut ipſum Thuriferarium non impediat; qui paulo ante conſecrationem poſito incenſo in thuribulo à Cæremoniario ſine ulla benedictione, Hoſtiam conſecratam, & Calicem pariter conſecratum, dum elevantur triplici ductu incenſat. ſcilicet: quando Celebrans adorat Hoſtiam, ſeu Calicem, quando elevat, & quando deponit, cum inclinatione profunda Capitis ante, & poſt.

2. Diaconus, dum Celebrans adorat Hoſtiam, & Calicem elevat aliquantulum poſteriores fimbrias Planetæ Celebrantis, manu

manu finiſtra tenens extremam, & mediam partem, eamq; lentè deponit. Acolythus à latere Epiſtolæ genuflexus pulſat Campanula ad quamlibet elevationem. Si ſit Pixis cum particulis conſecrandis, dum Celebrans dicit: *Qui pridie &c.* Diaconus eam detegit, & collocat prope Celebrantem, & depoſita Hoſtia poſt ejus elevationem, particulas jam conſecratas cum Pixide cooperit, & reponit in priſtino loco, & antequam diſcooperiat Calicem conſecrandum, genuflectendo adorat cum Celebrante Hoſtiam ſuper Altare repoſitam, deinde ſurgit diſcooperit Calicem, & iterum genuflectit, uſq; ad depoſitionem Calicis à Celebrante, poſt ejus elevationem, ad quam ut ſupra, elevat Planetam, & depoſito Calice ſurgit, Calicem Palla cooperit, genuflectit iterum, ſurgit, accedit ad Librum, ubi facta genuflexione miniſtrat, & aſſiſtit ut priùs.

2. Cum Celebrans dicit: *Omni benedictione &c.* & ſe ſignat, pariter Diaconus cum eo ſe ſignare debet. Et dum percutit pectus dicendo: *Nobis quoq; &c.* ipſe pariter percutit pectus ſuum. Thuriferarius depoſito Calice poſt elevationem, ſurgit, & facta in medio genuflexione, reportat Thuribulum ad Sacriſtiam. Pariformiter & Subdiaconus ſurgit, & ſtat in loco ſuo. Quando Celebrans dicit: *Per quem hæc omnia &c.* Diaconus iterum accedit ad dexteram Celebrantis genuflectens in receſſu, & acceſſu, ubi detegit Calicem, genuflectit, ſurgit, ac ſtat, dum Celebrans ſignat Calicem cum Hoſtia dicendo: *Per ipſum &c.* & tunc duobus digitis dextræ manus tenet pedem Calicis, ut præcipit: *Cærem: Epiſc: L. 1. c. 9.* ac repoſita Hoſtia ſupra Corporale, tegit Calicem, genuflectit, ſurgit & recedit ad locum ſuum poſt Celebrantem, ibiq; ſtat ad finem Orationis Dominicæ.

4. Canendo Celebrans Orationem Dominicam, dum dicit: *Et dimitte nobis debita noſtra &c.* Diaconus, & Subdiaconus facta genuflexione in locis ſuis, aſcendunt ad Cornu Epiſtolæ, ille ad dexteram Celebrantis, hic ad dexteram ipſius Diaconi, & interim Cæremoniarius accedit ad infimum gradum dicti lateris Epiſtolæ, & facta genuflexione expectat ſtando. Tum Diaconus remoto velo ex Patena, illam capit, prius oſculatur in extremitate, poſtea Purificatorio extergit, & dat Celebranti, ponens eam inter indicem, & medium digitum Celebrantis, cujus etiam manum oſculatur, de cætero Calicem detegit & genuflectit quando opus eſt. Interim Subdiaconus reddita Patena, velum oblongum deponit, conſignatq; Cæremoniario, qui facta genuflexione defert illud ambabus manibus ad Credentiam, quod, ſupra

eam plicatum, ponit. Subdiaconus pariter ibidem genuflectens redit ad locum suum, in planum.

5. Quando Celebrans submittit Patenam Hostiæ, Diaconus detegit Calicem, genuflectit, & surgit, nec tamen tenet pedem Calicis, sed deposita particula in Calice, illum iterum tegit, genuflectit, ac stat. Sub tempus fractionis Hostiæ Sacræ Subdiaconus genuflectit, & accedit ad sinistram Celebrantis ac iterum ibi genuflectit, & surgit, inclinatusq; junctis manibus ante pectus, dicit ter *Agnus DEI &c.* percutiens pectus suum, dum dicit *Miserere nobis*, & *dona nobis pacem*, manu sinistra infra pectus posita. Idem facit Diaconus sicut & Celebrans, qui tamen percutiendo pectus suum manum sinistram ponit super Corporale. Idipsum etiam faciunt alii Ministri inclinati circa Altare, & stantes, non genuflexi.

6. Dicto *Agnus DEI.* Subdiaconus facta genuflexione descendit post Celebrantem ad 2. gradum. ubi consistit. Diaconus vero inchoata Oratione, *Domine JESU Christe, qui dixisti &c.* genuflectit ad dexteram Celebrantis, & genuflexus expectat pacem, circa finem hujus primæ Orationis se erigit, & cum Celebrans osculatur Altare in medio, ipse quoq; junctis manibus illud osculatur extra Corporale, non tamen ponens manus supra Altare. Tum si per osculum pax danda sit (quod magis conforme esset) detur à Celebrante, & recipiatur à Diacono eo modo, quo declaravimus præcedenti capite. Si vero per Instrumentum tantum dabitur pax, omnia serventur infra notanda par: IV. cap: 7. Datur itaq; pax à Celebrante Diacono. à Diacono, Subdiaconus recipit eamq; tribuit præsentibus in Choro, cæterisq; Ministris Altaris inferioribus, & Celebrans prosequitur alias orationes, ad communionem.

7. Diaconus data pace Subdiacono accedit ad Librum ubi facta genuflexione assistit Celebranti, cum eoq; genuflectit ante Communionem, & ipse Celebrans unico tantum genuflectit, cum aliqua tamen mora, & non utroq; contra quosdam violantes Rubrum gratia particularis suæ devotionis. Dum Celebrans dicit: *Domine non sum dignus &c.* Diaconus stat profunde inclinatus percutiens ter pectus suum cum eo, manu sinistra infra pectus posita. Hoc ipsum observat Subdiaconus si jam à data pace reversus est, stare enim tunc debet ad dexteram Celebrantis. Ad sumptionem Sacramenti sub utraq; specie Ministri sacri stant profunde inclinati manibus ante pectus junctis. Et Subdiaconus, si est vere de ordine Subdiaconatus, discooperit Calicem, alias, hæc Clericus supplens vices Subdiaconi præstare

O non

non poteſt. Sic diſponit & Rubrica, & omnes fere Rubricarum interpretes.

8. Dum Celebrans ſumit pretioſum Sanguinem Cæremoniarius vel Ceroferarius primus affert ampullas Vini, & Aquæ cum pelvicula, de Credentia ad Altare, eaſq; porrigit ſine oſculis Subdiacono, qui vinum pro purificatione infundit in Calicem porrectum à Celebrante, ſuper Altare, & iterum vinum, & aquam ſuper idem Altare ad cornu Epiſtolæ, & non extra, pro ablutione digitorum in Calice; videlicet infuſo vino dextera reddit Ampullam Cæremoniario, ſeu Ceroferario, eademq; manu dextera ex alia ampulla infundit aquam, non omittens ſolitas reverentias, & oſcula ampullarum tantum. His peractis, ille, qui attulit, refert ampullas cum bacili ſuo ad Credentiam, & Cæremoniarius accipiens velum parvum de Credentia plicatum, portat illud per planum ad cornu Evangelii genuflectens in medio, illudq; tradit Subdiacono, ſine oſculis ut eo Calicem tegat.

9. Poſt factam ablutionem digitorum Celebrantis, Diaconus ſtans à parte Evangelii defert Miſſale clauſum cum cuſſino ambabus manibus ad cornu Epiſtolæ, genuflectens tantum in medio, librumq; aperit in folio ubi eſt Antiphona quæ dicitur Communio, quam præoſtendit Celebranti, ibiq; manet, dum Celebrans eam legit, & ſtatim vadit retro poſt eum, cum eoq; uno quaſi greſſu procedit per gradum 2. Altaris, uſq; ad medium, ubi ſtat donec Celebrans dicat verſus populum *Dominus vobiſcum*, eodemq; modo redit denuo ad cornu Epiſtolæ, accedit ad Librum, miniſtrat vertens folia, ſi opus eſt. Subdiaconus *vero* poſtquam reddidit ampullas Cæremoniario, accedit ad cornu Evangelii, cedens Diacono gradum altiorem, & cum eo eodem tempore genuflectit in medio, perveniens ad dictum Cornu Evangelii: ibi extergit, & aptat Calicem, quem Purificatorio, Patena, & Palla tegit, plicat Corporale, quod ſtatim reponit intra burſam, & accipiens à Cæremoniario parvum velum expandit ſuper Calicem, & deſuper Burſam collocat, illudq; velum ſtatim in parte anteriori revolvit ſuper burſam, & Calicem, quem ſic diſpoſitum ſolus per gradus anteriores reportat ad Credentiam, tenens illum ſiniſtra per nodum, dextera ſuper Burſam poſita, genuflectens in medio ſuper infimum gradum, & reponit in Credentia, partem anteriorem veli, quæ erat revoluta ſuper burſam explicans ante Calicem, ita, ut omnino tegatur in parte anteriori, quemadmodum initio Miſſæ, deinde redit ad pla-

 num

num, statq; post Diaconum, & Celebrantem, cum quibus simul transit ad medium, & denuo ad cornu Epistolæ.

10. Celebrans sumpta ablutione, reddito ad extergendum, Subdiacono, Calice, facta debita reverentia capitis, vadit ad cornu Epistolæ, ubi legit *Communionem* ex Libro, redit postea ad medium Altaris, & finito cantu in Choro osculatur Altare in medio, conversus ad populum dicit *Dominus vobiscum*, & recedens ad cornu Epistolæ cantat orationem, quæ dicitur *Post communio*, vel plures, ut Rubrica exigit, & initio Missæ observatum est, quibus dictis cum integris Conclusionibus suis in eodem cornu Epistolæ, relinquens librum apertum, Diacono occludendum, redit ad medium Altaris, quo de more osculato, dicit versus populum *Dominus vobiscum*; Et responso à Choro *Et cum Spiritu tuo*, Diaconus facta genuflexione vertit se ad populum sicut Celebrans, non vero Subdiaconus, & cantat in tono convenienti Festivitati *Ite Missa est.* Si tamen dicit *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*, non se vertit versus populum. Celebrans autem hæc dicere non debet sed solus Diaconus. Finito perfectè *Ite missa est* à Diacono, & non prius Celebrans cum eo simul vertit se ad Altare per latus Epistolæ, & statim dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas* &c: ut in Missali & tunc à Choro respondetur *Deo gratias*.

11. Dum Celebrans inclinatus dicit *Placeat* &c: Diaconus recedit aliquomodo ad partem Epistolæ, in suo 2. gradu, ad quem 2. gradum ascendit Subdiaconus ad partem Evangelii, & ambo in æquali distantia genuflectunt in suppedaneo; tum Celebrans vertens se ad populum, eodem modo, & eadem voce qua in Missis privatis semel tantum benedicit populo, & tunc omnes Ministri genuflexi dextera se signant à fronte ad pectus, sinistra infra pectus posita, inclinantes profunde capita sua. Subdiaconus data benedictione statim accedit ad cornu Evangelii, ubi capit tabellam, in qua est Evangelium S. Joannis, & eam sustinet ante Celebrantem, Diacono stante quasi medio inter eos manibus junctis, ita, ut tamen sit paulo post Celebrantem, quemadmodum ad primum Evangelium, & ipse cum omnibus aliis se signat, inclinat, & genuflectit, sicut Celebrans, excepto Subdiacono tabellam sustentante.

12. Si aliud Evangelium dicendum sit, v. g. Dominicæ currentis, dum Celebrans dicit: *Placeat* &c: Subdiaconus facta in loco suo genuflexione, accedit ad Librum, eumq;

clausum sine cussino defert ad cornu Evangelii, prius tamen genuflectit in Suppedaneo ad benedictionem, ut supra, ad quam tamen non signat se, quia tenet Librum, & mox surgens aperit Missale, manu demonstrat dicendum Evangelium, & sustinet, ut ad primum. Terminato Evangelio Subdiaconus respondet: *Deo gratias*, & Celebrans rediens ad medium Altaris, constitutus inter Sacros Ministros, cum iis inclinat se Cruci, quo facto ipse, & Subdiaconus, vertentes se per latus suum dextrum, Diaconus vero contrario modo videlicet per latus suum sinistrum, in planum descendunt. Interim Cæremoniarius accipit Birreta Celebrantis, & Ministrorum, & redit post Diaconum; sicq; omnes in recta linea collocati, si non adsit Tabernaculum, Celebrans tantum profundam facit reverentiam, cæteri genuflectunt, surgunt, & Diaconus accipit Birretum Celebrantis, illudq; cum quasi osculo tradit eidem, postea Diaconus, & Subdiaconus sua accipiunt, & tecto Capite, sine ulla alia reverentia, nisi D. Abbati præsenti, & Choro si per illud transeundum est, manibus junctis, eo modo quo venerant in Sacristiam redeunt. At cum ad illam pervenerint locant se ita, sicut stabant ante egressum, & tunc facta simul Cruci vel imagini profunda reverentia nudo capite, etiam Celebrantem inclinatione Capitis mediocri salutant, qui eos, exigua capitis inclinatione, resalutat.

13. Deinde ipsi Ministri Sacri, sed præcipuè Diaconus, ut initio Missæ, Celebrantem exuentem se, & Paramenta deponentem adjuvant, ea quoq; paramenta quæ induendo se Celebrans osculabatur, eidem etiam osculanda porrigunt, quæ pariter Diaconus osculatur. Ceroferarii vero depositis Candelabris, & extinctis Cereis suis bene, ne fumigent, dictos Ministros Sacros exuentes se adjuvant, Celebrantiq; Aquam, & Manutergium ad lavandas, & extergendas manus ministrant. Ipsi quoq; Superpelliceis exutis, & facta Oratione in pace redeunt, vel, si opus sit, Chorum ingrediuntur, pro dicenda Sexta, & Nona Canonica. Sacrista prætereа, vel ille, qui Cæremoniarii Officium explebat, dum se Celebrans, & Ministri Sacris Paramentis exuunt, accedit ad Credentiam, & transeundo antè Altare genuflectit coram eo in medio, & ex dicta Credentia asportat ea omnia, quæ pro Missa fuerunt parata, & refert in Sacristiam.

Decre-

Decreta Sacræ Rituum Congregationis.

1. Usus semel introductus iuxta Regulas Libri Cæremonialis servandus est, & Pax cum osculo omnibus Viris Ecclesiasticis in Choro sedentibus danda est. S. R. C. 3. *Julii 1602. in Messanen.*

2. Diaconus Evangelii debet thurificare Chorum, nec ab eo munere excusatur sub prætextu contrariæ consvetudinis. S. R. C. 15. *Martii 1608. in Alexandrina.*

3. Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus celebrantes Solemniter, possunt, & debent sedere in banco, dum cantatur *Gloria*, & *Credo*, etiamsi sint beneficiati, vel Capellani, prout sedent Canonici, non obstante qualibet consvetudine. S. R. C. 15. *Januarij 1611. in Perusina.*

4. Missa Conventualis de Festo, seu de feria currenti, omnino cantanda est, non obstante quacunq; contraria consvetudine. 28. *Januarii 1612. in Oscen.*

5. Absente Episcopo, thurificandus est Celebrans tripliсi ductu thuribuli. S. R. C. 30. *Januarii. 1616. in Comm. Valluviæ.*

6. In personarum incensatione, tota Thurificatio facienda est cum unico thuribulo. S. R. C. 21. *Julii. 1618. in Lucerina.*

7. Missæ Votivæ non possunt suffragari pro Missa Conventuali, quæ non potest omitti, etiamsi cantetur Missa Votiva. S. R. C. 16. *Maii 1626. in Burgen.*

8. Non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis de Festo, & de Feria S. R. C. 16. *Maii 1626 in Burgen.*

9. Missa Conventualis de Feria in Cathedralibus, & Collegiatis (*pariter in insignioribus Regularibus*) omnino est dicenda ultra Missam Festi, & abusus sunt reformandi. S. R. C. 16. *Januarii 1627. in una abusus reformandi.*

10. Celebrantes Missam Solemniter, sedeant in loco parato pro Celebrantibus à latere Epistolæ S. R. C. 12. *Junii 1627. in Brundusina.*

11 In Missa Conventuali quando decantatur Evangelium, Ceroferarii cum Cereis accensis assistere debent, & Diaconus quoties thurificatur Altare, incensum ministrare tenetur. S. R. C. 5. *Septembris. 1648. in Beneventana.*

12. Quando Missa canitur sine Ministris, non debet

thu-

thurificari, neque Altare, neque Chorus S. R. C. 19. *Augusti.* 1631. *in una Urbis,* & 22. *Januarii.* 1701. *in una Camald. Mon. Cor.*

13. Missæ duæ ejusdem Sancti, immediatè una, post aliam, non debent cantari eadem die in Ecclesia, in qua celebratur ejus Festivitas. S. R. C. 3. *Augusti* 1652. *in Mediolanen:*

14. Symbolum in Missa Solemni potest decantari in illa Ecclesia, ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus Sancti, ratione concursus, ad præscriptum Rubricarum, licet de eo fiat Officium sub ritu semiduplici. S. R. C. 1. *Aprilis.* 1661. *in una Burgi S. Domin.*

15. Finito Evangelio Missæ Solemnis cui assistit Episcopus cum Cappa, thurificandus est Celebrans, non vero Episcopus. S. R. C. 4. *Augusti* 1663. *in una Dim.*

16. Sacerdos qui celebrat Missam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare Symbolum, non potest eam prosequi eo tempore, quo à Choro cantatur Symbolum. S. R. C. 17. *Decembris* 1695. *in Januen:* & 13. *Septembris* 1670. *in Beneventana pariter statutum fuit, quod in eo casu*, non possit à Celebrante prosequi Offertorium, sed debet expectari, donec terminatum fuerit Symbolum.

17. Antiphona B. M. V. in fine Officii debet omitti in Choro, quando immediatè sequitur Missa, quæ in Ecclesiis non Cathedralibus, & non Collegiatis, sed in minoribus etiam Regularium, licet non cantetur à Choro, sed coram Clero legatur, tantum à Celebrante, habenda est tanquam Conventualis; & in Festis 2. cl: debet omitti commemoratio Sancti simplicis eadem die occurrentis, ut præscribitur, *n. Rubr: Miss. Tit. VII. num:* 1. S. R. C. 14. *Februarii* 1705. *in una Capucinorum Galliæ.*

18. Celebrans in Missa Solemni procedere debet ad præparatam sedem aperto Capite, & ita regredi ad Altare, quando sedere debet, dum cantatur Hymnus Angelicus, & Symbolum Apostolorum: sed ad illa verba quæ cantantur à Choro, ad quæ fieri debet inclinatio, tenetur se inclinare nudo Capite, non obstante contraria consvetudine. S. R. C. 21. *Martii* 1676. *in Collen:*

19. Non licet Clericis ministrantibus thuribulum, seu naviculam Canonicis Celebrantibus genu illis flectere, sicuti fit Episcopo. S. R. C. 4. *Aprilis* 1690 *in una Burgi Sancti Sepulchri.* Multomagis Diacono; quia cui præstatur genuflexione reverentia, illi etiam fit ministratio thuribuli, & Naviculæ genuflectendo.

20. An in Dominicis infra Octavam sive Privilegiatam, sive non, præter Missam Conventualem quæ cantatur de Dominica, debeat etiam alia Missa cantari de die infra Octavam? In Dominicis per annum, in quibus fit de aliquo Festo, cum commemoratione Dominicæ, an item præter Missam Conventualem de Festo celebrandam per Hebdomadarium, debeat etiam, alia Missa cantari de Dominica per Vicarios, ut agitur in Cathedrali Vilnensi? Et responsum fuit. Negativè: scilicet in Dominicis infra Octavas, vel aliis à Festo duplici impeditis, unicam tantummodo cantandam esse Missam: in Dominicis quidem infra Octavas de Dominica cum Commemoratione Octavæ, in aliis vero Dominicis non privilegiatis, & in quibus fit de occurrenti Festo duplici, Missa de Festo cum commemoratione Dominicæ ejusq; Evangelio in fine. S. R. C. 22. *Decembris* 1753. *in una Vilnen: in Lithvonia.*

CAPUT III.

De Celebratione Missæ Solemnis in Pontificalibus exposito SS. Sacramento.

1. CElebraturus D. Abbas Missam Solemnem coram exposito SS. Sacramento, induitur in Sacristia, prout supra *parte hac cap:* 1. notatum est. Imponit, & benedicit ibidem thus, & sic cum Mitra & Baculo Pastorali procedit è Sacristia, cum autem venerit ad conspectum SS. Sacramenti, antequam ad medium Altaris pervenerit, scilicet quando perfectè ostensorium conspexerit, subsistit aliquantulum in via, deponit Mitram, & Subbiretum, proceditq; cum Pedo ad medium Altaris. Mitram vero ita deponit, ut non amplius eam recipiat sub eadem Celebratione, nisi redeundò in Sacristiam, aut sub tempus Concionis, quando infra Missarum Solemnia fit, & SS. Sacramentum velò obtegitur.

2. Cum vero ad infimum gradum Altaris accesserit D. Abbas reddito Baculo Pastorali genuflectit utroq; genu in infimo gradu, cæteri autem Ministri in plana terra, & surgit ac statim facit Confessionem, non præmissa alia reverentia. Ministri locant se eodem modo, & ordine, quo supra cap: I. innuimus, sed in accessu hoc genuflectunt utroque genu, addita profun-

funda capitis inclinatione, & cum D. Abbate simul surgunt, ac respondent ad Confessionem. Finita Confessione ascendunt ad Altare, & statim genuflectunt unico genu. Dicto *oramus te Domine &c.* D. Abbas osculatur Altare, & Librum Evangeliorum, atq; Diacono Ministrante Naviculam, stans imponit, & benedicit incensum more solito.

3. Tum nulla facta reverentia, ut erat semiconversus D. Abbas ad benedicendum thus, ita lateraliter descendit ad 2. gradum Altaris, & utroq; genu flectit in suppedaneo, deinde Diaconus sumpto Thuribulo, porrigit illud D. Abbati genuflexo sine osculis, qui loco Crucis incensat ter SS. Sacramentum, & postea surgens ascendit ad Altare genuflectit, incensat Altare more solito, incipiendo à Num: 8. quia Reliquiæ non sunt Collocandæ in eo Altari, ubi est publicæ adorationi expositum SS. Sacramentum, ideoq; & si sint, ac si non essent peragenda est Thurificatio juxta Fig: I. Animadvertere tamen debet D. Abbas & observare, quod quotiescunq; transierit ante medium Altaris semper genuflectere teneatur.

4. Finita incensatione Altaris, redditoq; in cornu Epistolæ thuribulo in manus Diaconi D. Abbas ita se vertat in eodem Cornu Epistolæ, ut facie aspiciat Cornu Evangelii, atq; ibidem Manibus ante pectus junctis stans, à Diacono per planum transeunte, & in cornu Evangelii ejusdem plani consistente triplici ductu incensatur. Mox D. Abbas accedit ad medium Altaris, & facta ibi, quam in infimo gradu repetit, genuflexione, cum Pedo, sine Mitra confert se ad sedem, ubi legit introitum, & reliqua peragit ut supra Cap: 1. dictum est, sed sine Mitra sedet. Diaconus, & Subdiaconus propria Officia peragunt, non intermittentes genuflexiones coram Sacramento unico tantum genu, non utroq;.

5. Dicto offertorio D. Abbas deponit Chirothecas, lavat, & tergit manus, ac sumpto Baculo Pastorali sine Mitra ascendit ad Altare, & ante infimum gradum deposito Pedo, factaq; genuflexione unico genu, accedit ad medium Altaris, ibi denuo genuflectit, Altare osculatur, & oblationem Hostiæ, & Calicis more solito facit. Tandem præmissa thuris impositione, & benedictione stando, imprimis incensat oblata, juxta formam Fig: II. postea descendit ad 2. Altaris gradum, ubi in suppedaneo genuflexus incensat ter SS. Sacramentum loco Crucis, dicens: *Dirigatur Domine &c.* deinde Altare ut initio Missæ thurificat. Diaconus tamen sub incensatione Sacramenti non amovet Calicem, quia non est periculum effusionis. D. Abbas reddito

dito

dito in manus Diaconi thuribulo dicit: *Accendat in nobis &c.* & conversus per suam manum sinistram versus cornu Evangelii, junctis manibus sine Mitra incensatur à Diacono, ut supra, qui etiam Chorum, & Ministros incensabit, non attento, quod sit expositum Sacramentum.

6. Postquam D. Abbas incensatus fuerit, retrahit se extra cornu Epistolæ, saltem ad 2. gradum, ibiq; lavat, & tergit manus, facie ad populum conversa, cavens ne terga vertat SS. Sacramento, & dicit Psal: *Lavabo &c.* Tersis manibus ascendit ibidem ad suppedaneum, redit ad medium Altaris, genuflectit, dictoq; *Suscipe Sancta Trinitas &c.* osculatur Altare, tum genuflectens retrahit se aliquantulum ad cornu Evangelii, ubi ad populum conversus, dicit: *Orate Fratres &c.* non faciens circulum, nec tenens Baculum, sed eadem via rediens ad medium Altaris, denuo genuflectit, reliqua in Missa peragit, ut supra, Cap: 1. notatum est.

7. Sumptis speciebus consecratis Panis, & Vini, postquam D. Abbas sumpserit Purificationem Calicis, genuflectit, & recedens parum à medio ad latus Epistolæ abluit in Calice digitos, eosq; ibi abstergit. Tum revertitur ad medium Altaris, genuflectit, sumit ablutionem, & denuo genuflectens recedit ad cornu Epistolæ, extra quod se sistens facie ad populum versa, sine Mitra lavat & tergit manus. Deinde ascendit ad ipsum cornu Epistolæ, legit Communionem, ea recitata redit ad medium Altaris, genuflectit, & conversus semi ad populum cantat: *Dominus vobiscum*, denuo conversus ad Altare genuflectit, & accedit ad cornu Epistolæ ad decantandum Postcommunionem unam seu plures, quas in eodem loco perfecte concludit.

8. His peractis iterum D. Abbas revertitur ad medium Altaris, ubi genuflectens convertit se ad populum, advertens ne terga vertat Altari, & decantat: *Dominus vobiscum*, sicq; semiconversus permanet, quousq; Diaconus non terminaverit canere: *Ite Missa est.* Postea conversus ad Altare genuflectit, & inclinatus dicit: *Placeat &c.* quo dicto dat solemnem benedictionem ut infra notatur par: IV, sine tamen Mitra, sed cum pedo incipiendo à ℣. *Sit Nomen Domini &c.* & non facit Circulum, sed sicut ad *Orate Fratres*, permanebat, ita & ad dictam Benedictionem. Ea finita genuflectit, surgit, & accedens ad cornu Evangelii recitat Evang: S. Joannis, vel aliud pro tempore. Deniq; accedit ad medium Altaris, genuflectit, surgit, & lateraliter aliquomodo descendit in planum ne terga vertat SS. Sacramento, ubi utroque genu, sicut & ministri, genuflexus, hic

autem in infimo gradu, illi vero in ipfo plano, eodem ordine quo venerat recedit in Sacriftiam, fumpto tantum Pedo fine Mitra. Et ut receffit extra confpectum Oftenforii, fubfiftit in via, accipit Subbiretum, & Mitram, & fic procedit in Sacriftiam ad deponenda Paramenta Pontificalia & Sacerdotalia. Si vero obvelatum fuerit Sacram; ftatim in plano recipit Mitram.

Decreta S. Rit. Congregationis.

1. Sanctorum Reliquiæ non funt collocandæ fuper Altare, in quo eft reipfa Sanctiffimum Sacramentum publicæ venerationi expofitum. S. R. C. 2. *Septembris* 1741. *in Aquen.*

2. Ex vi, aut lege Cæremonialis Epifcoporum, Sanctiffimo Sacramento patenter expofito, non prohibetur Epifcopo, dum Divinis affiftit, vel Divina perfeipfum peragit, ut propria utatur fede, fuper qua umbraculum, feu baldachimum dependeat; dummodo genuflexiones omnes tunc præfcriptas, debitasq; reverentias, ad amuffim obfervet, atq; aperto capite in fignum reverentiæ faltem affiftat. S. R. C. 9. *Junii* 1742. *in Conimbricen.*

3. Dum Miffa cantatur coram SS. Sacramento in Altari expofito, debet fieri commemoratio de eodem SS. Sacramento poft omnes alias commemorationes de præcepto, & in Miffis folemnibus tantum Feftorum 1. & 2. Claffis eft facienda fub unica Conclufione. S. R. C. 23. *Junii* 1736. *in Burgen.*

4. Dum incenfatur Altare in quo eft expofitum publicæ adorationi Venerabile Sacramentum, non debet, poft illud incenfatum, Crux quoq; incenfari. S. R. C. 29. *Novembris* 1738. *in una Carthagen. Hifpan.*

5. Etfi Decretum hujus S. R. C. de Anno 1707. præcipiat, quod in Altari, ubi eft publice expofitum SS. Sacramentum tempore Sacrificii Crux de more collocetur, non eft tamen in viridi obfervantia, & Patriarchales Ecclefiæ Urbis oppofitum fervant; fupervacuam enim adiudicant imaginis exhibitionem, ubi Prototypus adoratur. Et hacce de caufa inftructio pro Oratione 40 horarum Clementis XI. Benedicti XIII. & Clementis XII. Summorum Pontificum juffu edita, fub filentio præterit, an locanda, removendave fit huiufmodi Crux? linquens quemlibet in fua praxi. S. R. C.

2.

2. *Septembris* 1741. *in Aquen. Benedicto Papa XIV.* 16. *Julii* 1746. *Constit: quæ incipit:* Accepimus. *Corroborante.*

6. Singulis diebus Dominicis totius Anni, quibus Præfationes propriæ per Rubricas non sunt assignatæ, incipiendo à Dominica SS. Trinitatis Anni 1759. Sacerdotes omnes utriusq; Cleri, sæcularis, atq; Regularis, Præfationem de SS. Trinitate, quæ iam inde à vetustissimis temporibus in usu fuisse dignoscitur, in Missa recitare teneantur, & inviolabiliter observari mandavit S. R. C. 3. *Januarii* 1759. *in Decreto Urbis & Orbis, approbante, & confirmante Clemente XIII.*

CAPUT IV.

De Celebratione Missæ Solemnis, & privatæ coram exposito SS: Sacramento.

1. Licet Cærem: Episc: L. 1. c. 12. nec non Decreta S. R. C. moneant, ut abstineamus Celebrare in hoc Altari, in quo est expositum SS. Sacramentum, quia tamen aliquando potest urgere necessitas, vel etiam Octava Corporis Christi, in qua Missæ Solemnes, aut privatæ celebrari debeant, ideo omnes genuflexiones, & actus reverentiales diligenter notandi sunt, qui in diversis locis, videlicet Libris Ritualibus præscribuntur, quiq; debent ad amussim servari in præsentia SS. Sacramenti expositi. Ne autem intermittamus ea, quæ ex munere debemus pertractare, de faciendis dictis reverentiis agemus.

2. Cum Celebrans & Ministri sacri Presbyterium, seu Capellam in qua expositum est Venerabile Sacramentum ingressi fuerint, statim caput nudant, & cum ad Altare pervenerint, omnes utrumq; genu flectunt in plano, & in plana terra, addita Capitis etiam profunda inclinatione, post factam vero Confessionem, genuflectunt tantum unico genu, ut expeditiores sint, & ad Altare accedentes statim genuflectunt osculato Altari. Diaconus, & Subdiaconus, & omnes alii nihil osculantur quod Celebranti porrigunt ad Altare, neque etiam manum eius in traditione rerum, ob apertam præsentiam SS. Sacramenti, quia *Cærem: Episc: L.* 2. *c.* 33. sic habet: *Absque osculis cochlearis, & manus incensum ministratur.* Eadem rati-

ratione minores Ministri abstinere debent ab osculis ampullarum, & manutergii. Subdiaconus tamen, post decantatam Epistolam genuflexus osculatur manum Celebrantis, pariter & Diaconus eandem manum Celebrantis osculatur ante Evangelium. Insuper patenam cum Hostia, & manum Celebrantis, sicut & Calicem cum vino ante oblationem osculatur Diaconus; qui præterea adhuc patenam, & manum Celebrantis dicentis Orationem *Libera nos &c.* osculatur, licet SS: Sacramentum sit super Altari expositum. Ita declarat *Cærem: Episc: L. 2. c. 8. &c.*

3. Incensatur Altare, ut moris est, benedicto prius Incenso sine osculis; & Celebrans semper stando imponit incensum, & loco Crucis, incensatur SS: Sacramentum à Celebrante genuflexo. Finita incensatione Altaris, ubi invenitur latitudo loci inter gradus laterales Altaris, & parietem Ecclesiæ, Celebrans tradito Thuribulo in manus Diaconi descendit in planum cornu Epistolæ, ubi convertit se ad populum, vertendo aliquomodo faciem suam magis versus cornu Evangelii, ne renes vertat SS. Sacramento, & sic conversus incensatur à Diacono stante pariter in plano ex opposito Celebrantis, cum debitis reverentiis ante, & post. Idem fit post incensationem Oblatorum, non verò post Evangelium, quia tunc Celebrans incensatur in loco suo ad Altare, in cornu Epistolæ. Si autem ob strictitatem loci non possit Celebrans extra gradus incensari, reddito Thuribulo in manus Diaconi, convertit se per latus suum sinistrum, & consistit in eodem loco, versa facie ad cornu Evangelii, ut solet consistere sub tempus decantandi Evangelii. Diaconus recepto Thuribulo per planum ascendit, ubi ante infimi gradus medium genuflectit, & aliquomodo retrocedens ad cornu Evangelii in plano, incensat Celebrantem.

4. Quoties Celebrans accedit ad medium Altaris, vel ab eodem modo recedit, aut transit ante illud, toties genuflectit unico genu, quod pariter faciunt Ministri omnes etiam unico genu. Quoties item Celebrans se convertit ad populum dicturus: *Dominus vobiscum*, aut aliud simile, toties etiam genuflectit; osculato prius Altari, deinde surgit, sistit se rectius ad cornu Evangelii semiversus, tum facta denuò genuflexione in medio vel accedit ad cornu Epistolæ, vel remanet in medio Altaris.

5. Incensaturus Oblata, statim facta benedictione thuris, eadem incensat, nec tamen prius genuflectit, & dictis Ob-

latis

latis incensatis, sine genuflexione descendit ad 2. Altaris gradum, ibi genuflexus in suppedaneo, incensat ter SS: Sacramentum dicens: *Dirigatur Domine* &c: Tum surgens ascendit ad Altare, genuflectit, & incensat Altare consveto modo: Finita incensatione reddit thuribulum Diacono dicens: *Accendat in nobis* &c: ipseq; vel se convertit in eodem loco, vel descendit in planum ad cornu Epistolæ, ibi, ut supra dictum est, incensatur à Diacono, ibi quoq; lavat manus, vel saltem descendit ad 2. Altaris gradum, ubi conversus ad populum lavat manus. Diaconus, etiam exposito SS. Sacramento, incensat Chorum, & Ministros Altaris, ut supra dictum, & infra dicetur *Par. IV. c. de Thurificatione.* Subdiaconus nihilominus Patenam sustentat, velo oblongo coopertam.

6. Celebrans dicturus: *Orate Fratres*, genuflectit, & versus populum illud dicit eo modo, quo *Dominus vobiscum*, & circulum non perficit, sed eadem via revertitur ad medium Altaris, ubi iterum genuflectit; & reliqua peragit usq; ad Communionem, ut in aliis Missis, atq; Pax datur, non obstante expositione SS. Sacramenti. Post Communionem Celebrans postquam sumpserit Purificationem genuflectit, & accipiens ambabus manibus Calicem, quem ante genuflexionem collocârat à latere dextro super Corporale, ubi Purificatorium depositum fuerat, recedit ad cornu Epistolæ & ibi capit ablutionem digitorum in Calice, non tamen extra Altare, ita enim declarat *Cær. Ep: L. 2. c. 23.* ubi extersis Purificatorio digitis, revertitur ad medium Altaris, genuflectit, sumit ablutionem, &, iterum genuflectens, tradensq; Subdiacono Calicem ad extergendum, redit ad cornu Epistolæ, & dicit ex Libro Communionem, qua dicta iterum revertitur ad medium Altaris, osculatur illud, genuflectit, & convertit se ad populum, ut supra, dicit *Dominus vobiscum*, denuo genuflectit, dicit Postcommunionem, & reliqua usq; ad finem peragit cum debitis genuflexionibus, loco reverentiæ Cruci præstandæ per Capitis inclinationem.

7. Ministri sacri accedentes, & recedentes ad medium Altaris, aut pertranseuntes, genuflectunt prout Celebrans; Diaconus ad *Ite Missa est*, genuflectit ante, & post, & stat versus populum, semiconvertens renes ad cornu Evangelii, prout Celebrans, & Subdiaconus ad *Ite Missa est* non se movet. Benedictio verò in fine Missæ datur à Celebrante hoc modo: dicto. *Placeat tibi Sancta Trinitas &c:* Celebrans osculatur Altare, tum dicit elevans, & jungens manus: *Benedicat vos*

Omni-

Omnipotens DEUS, & statim genuflectit, postea conversus ad populum, ut supra, semivertens scilicet renes ad cornu Evangelii, benedicit populo dicens: *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. & non perficiens circulum, nec iam genuflectens convertit se statim ad cornu Evangelii, ibiq; signat Librum, aut Tabellam, & si non adsit prope tabella, tunc non signat iam Altare, sed seipsum in fronte, ore, & pectore, ac recitat Evangelium, & cum dicit *Et verbum Caro factum est*, aut similia genuflexionem requirentia, non dicit ea ante medium Altaris, sed in eodem loco ubi legit Evangelium, conversus tantum versus SS. Sacramentum genuflectit, perficitq; Evangelium in supradicto loco stans. Quo finito redit cum Ministris ad medium Altaris, denuo genuflectit, & descendit lateraliter in planum, ubi iterum utrumq; genuflectit in plana terra cum Ministris, & simul caput profunde cum iisdem inclinat. Sumptis postea stando Birretis redeunt in Sacristiam eo, quo venerant ordine, capita tamen nonnisi extra Presbyterium, & conspectum SS. Sacramenti tegunt, & si sit iam obvelatum, tunc tegunt antequam recedant in Sacristiam.

8. Si autem facienda sit Processio pro oratione publica, aut alia de causa rationabili, facta post Evangelium ultimum in medio Suppedanei genuflexione ante medium Altaris, Celebrans cum Ministris descendit per gradus laterales Epistolæ in planum, ubi depositis Planeta, & Manipulo, cum Ministrorum Manipulis, induitur à præfatis Ministris Pluviali; sic enim, & non in Planeta Processionem peragere debet ex *Cærem: Romano*, *Cærem: Episc:* aliisq; Rubricis, nec non Decr: S. R. C. 22. *Januarii* 1701. In tali igitur casu faciendæ Processionis notandum est: quod SS. Sacramentum incensari debet in loco, ubi est expositum, antequam ab eodem loco deponatur, vel Celebranti tradatur; & finita Processione postquam repositum fuerit super Altare, prius incensari debet, quam in Tabernaculo reponatur, nec postea iam amplius incensatur, postquam in loco sui Tabernaculi collocatum fuerit.

9. In Missis privatis, quæ licetsi aliis temporibus exposito Sacramento rarissimè Celebrari debent, in Oratione tamen Quadraginta horarum, nunquam permittantur, ne populus impediatur in sua Oratione. In iis itaq; Missis privatis, eadem fiunt, quæ in Missis Solemnibus, exceptis his, quæ illis sunt propria. Advertat autem Celebrans ut semper Ma-

nus

nus lavet extra gradus Altaris eo modo, quo in Missa Solemni, non tamen ibi capit ablutionem digitorum in Calice post sumptionem Corporis, & Sangvinis Domini, sed recedendo de medio Altaris ad cornu Epistolæ, quasi medium locum teneat inter medium, & cornu illud ad tabulam Altaris. Ad maiorem tamen supradictarum Cæremoniarum memoriam, summatim debitas reverentias exposito venerabili Sacramento faciendas habeto benevole Lector, quas ad amussim observare tam in Missis Solemnibus, quam in privatis es obligatus.

10. Celebrans igitur ad Altare, ubi SS. Sacramentum est expositum, sive in Pixide, sive in Ostensorio sequentes reverentias exhibere debet: 1. Statim ac Presbyterium, seu Capellam dicti Altaris ingressus fuerit, caput detegit, & cum egreditur caput tegit ibidem. 2. Ad medium Altaris genuflectit in plano utroq; genu, & simul caput profundè inclinat. 3. Posito Calice ad cornu Evangelii, antequam extrahat Corporale de bursa, genuflectit, 4. Aptato Corporali, & collocato desuper Calice, genuflectit, & accedit ad cornu Epistolæ. 5. Aperto Missali redit ad medium Altaris, & genuflectit. 6. Descendendo in planum advertat, ne terga vertat Altari, & non per ipsos medios gradus, sed parum ad latus Evangelii retrahendo se procedit, ac constitutus in plano, genuflectit unico tantum genu, & caput inclinat, atq; incipit Missam. 7. Finita Confessione antequam ascendat ad Altare genuflectit. 8. Accedens ad Altare, postquam illud osculatus fuerit genuflectit. 9. Post Introitum accedendo ad medium Altaris, genuflectit. 10. Finito Hymno Angelico antequam vertat se ad populum, genuflectit. 11. Dicto *Dominus vobiscum*, antequam accedat ad Cornu Epistolæ, pro dicenda Oratione, genuflectit. 12. Ante, & post *Munda Cor meum* &c: genuflectit. 13. Finito Evangelio, antequam incipiat *Credo.* in medio Altaris genuflectit. 14. Finito Symbolo antequam se convertat ad populum, in medio genuflectit. 15. Conversus ad Altare antequam dicat *Oremus* genuflectit. 16. Post oblationem Hostiæ antequam vinum infundat in Calicem, genuflectit. 17. Reversus à cornu Epistolæ ad medium Altaris, ante oblationem Calicis, genuflectit. 18. Ante, & post lotionem manuum (quæ fit extra gradus Altaris, ad cornu Epistolæ in plano) genuflectit. 19. Ante, & post *Orate Fratres*, dicendo illud aliquomodo ad cornu Evangelii, & non perficiendo circulum, (ut supra dictum est) genufle-

flectit. 20. A præfatione, usq; ad Communionem consvetas, quando opus est facit reverentias, & genuflexiones, nihil superaddendo, ut in Ordinario Missæ. 21. Post sumptam purificationem Calicis genuflectit. 22. Post ablutionem digitorum in Calice; (quæ fit ad cornu Epistolæ) genuflectit in medio. 23. Antequam recedat è medio Altaris, ut legat Communionem in cornu Epistolæ, genuflectit. 24. Ante, & post *Dominus vobiscum*, dictum eo, quo supra modo, genuflectit. 25. Post Orationem, quæ dicitur *Post communio*, sive plures, veniens ad medium Altaris, genuflectit. 26. Post dictum *Ite Missa est*, pariter genuflectit. 27. Si dicatur *Benedicamus Domino*, priusquam illud dixerit, conversus ad Altare genuflectit. 28. Antequam populo benedicat, genuflectit, & circulum non perficit, sed data benedictione convertit se ad legendum ultimum Evangelium, sine ulla genuflexione. 29. Non signat Altare, sed Librum, aut Tabellam, si autem non sit Tabella, seipsum tantum signat, & ad ℣. *Et Verbum Caro factum est*, non in medio Altaris, sed in eo loco, ubi legit Evangelium, tamen versùs Sacramentum genuflectit. 30. Finito Evangelio, antequam capiat Calicem, in medio Altaris, genuflectit. 31. Descendens per gradus lateraliter, consistit in medio plani ante gradus Altaris, ubi in plana terra utrumq; genu flectit addendo, in ipsa genuflexione, profundam Capitis inclinationem. 32. Erectus postea jam nulla facta reverentia procedit in Sacristiam, ad deponenda sacra Paramenta, unde agunt contra Rubri regulas ii, qui finita genuflexione erecti, denuo se inclinant, quia de tali actu nullibi fit mentio.

Decreta S. R. C.

1. Eucharistia non est singulis diebus exponenda super Altari, sed in quibusdam tantum Solemnitatibus. S. R. C. 4. *Martii 1606. in Placentina.*

2. Missæ Conventuales infra Octavam Corporis Christi, possunt, ubi est consvetudo, cantari sine Diacono, & Subdiacono, excepto Die Festo, ac Dominica, & die Octava. S. R. C. 15. *Martii 1608. in Alexandrina.*

3. Missa de Dominica, seu de Festo duplici, si illa die occurrat, debet dici cum commemoratione SS. Sacramenti, ad formam Rubricarum Missalis, quando fit particularis Pro-
cessio

cessio cum SS. Sacramento, in aliquibus Dominicis, seu aliis diebus cuiuslibet Mensis. S. R. C. 6. Decembris. 1653. *in Fanen.*

4. Missam in Altari Maiori, ubi est expositum publicè SS. Sacramentum, non licet Celebrare, præsertim si in Ecclesia adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit. S. R. C. 9. *Augusti 1670. in Bononien. Quod Decr: maximè intelligendum est de Orat: publ: 40. horarum.*

5. Absq; Pluviali non licet, in die, & infra Octavam SS. Corporis Christi, peragere Processionem cum SS. Sacramento; non potest tamen cogi, ut ejus expositio fiat cum Pluviali. S. R. C. 22. *Januarii 1701. in una Camald. Mon. Cor. Quod pariter sentiendum de Processionibus in aliis diebus Festis cum eodem SS. Sacramento.*

6. Jn expositione SS. Sacramenti, quæ fit ad instar Proscenii, quantitas luminum pietati facientis expositionem remittitur, & in Altari super Candelabris ad minus Sex Candelæ accendi debent. S. R. C. 15. *Martii 1698. in Narnien.*

7. Lampas ardens omnino retinenda est ante Altare Sanctissimi Sacramenti, non verò supra valvas Ecclesiæ in Choro, de diametro opposito, ante prædictum Altare. S. R. C. 22. *Augusti. 1699. in una Ord. Capucinorum.*

8. Sacerdos celebraturus Missam privatam, dum transit ante Altare, in quo est expositum SS. Sacramentum, post factam adorationem flexis genibus, (seu utroq; genu) aperto Capite, dum se erigit, Caput cooperiat. S. R. C. 7. *Septembris 1638. approbante Clemente XI. Benedicto XIII. & Clemente XII. in Brevi pro oratione Quadraginta horarum.*

9. Commemoratio de SS. Sacramento in Missis privatis potest fieri, quando eius expositio fiat pro publica causa, etiamsi Sacramentum expositum sit in Pixide S. R. C. 7. *Maii 1746. in Varsav.*

10. Genuflexio utroq; genu est facienda, à transeuntibus ante SS. Sacramentum, etiamsi fuerit in Pixide patenter expositum. S. R. C. 7. *Maii 1746. in Varsavien.*

11. Genuflectendum est semper ab omnibus transeuntibus ante SS. Sacramentum. S. R. C. 14. *Decembris 1602. in Placentina.*

12. Quando SS. Eucharistiæ Sacramentum publicè discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntes, cujuscunq; conditionis, & ordinis sint, sive ad illud accedentes, sive ab eodem recedentes, semper utrumq; genu flectere debent. S. R. C. 19. *Augusti 1651. in una Urbis. Hæc supradicta Decreta Celebrantem,*

ante Altare, in quo est expositum Sacramentum, tantum stringunt in accessu, & recessu ab Altari, ad genuflexionem utroq; genu.

13. Quando absolvitur Missa lecta coram SS. Sacramento in Pixide exposito, debent omnes genuflexiones observari in tali Missa, quæ alias observantur coram SS. Sacramento publicè exposito, & non velato, conformiter ad Rubricas Missalis Feriæ V. in Cæna Domini. S. R. C. 22. *Decembris 1753. in una Vilnen: in Lithuania.*

CAPUT V.

De Missa Solemni pro Defunctis in Pontificalibus.

1. SI voluerit D. Abbas Celebrare Missam *de Requiem*, in die depositionis, vel Anniversario Defuncti, aut in Commemoratione OO. Defunctorum, sequentia præparari debent: videlicet Altare nullo apparatu festivo, nullis imaginibus, nullis Reliquiis, nullis floribus ornari potest, sed simpliciter mappis mundis vestiri, antipendio Coloris Nigri mensa Altaris contegi debet, in qua Crux supereminens sola, & sex Candelabra cum totidem Candelis ceræ communis collocentur. Super Credentiam verò parentur Calix coopertus velo parvo col: Nigri, Ampullæ cum Vino, & Aqua, supposita Pelvicula; Vas Aquæ ad lavandas manus cum manutergio plicato, Missale, vas Aquæ benedictæ cum Aspersorio, & Rituale Romanum pro absolutione, si facienda erit, ideoq; & Crux Processionalis statuatur post Credentiam ad parietem. Gradus Altaris, & Presbyterium sit nudum, excepto, quod unum Tapete sub faldistorio D. Abbatis absq; ullo gradu, & alterum Tapete super suppedaneo Altaris debeat poni, non tamen coloris Nigri, alias horum vana observatio esset. Baldachinum nullum erigi potest. Paramenta vero omnia, sint coloris Nigri tam Ministrorum, quam D. Abbatis, aut ad summum col: Violacei obscuri.

2. In Missis Defunctorum, D. Abbas non debet uti Sandalis, Chirothecis, & Baculo Pastorali, quia animæ Defunctorum non sunt cum eo in eodem statu viæ, nec per eum à peccatis suis absolvi, pro quibus purgantur, neq; amplius possunt esse sub ejus jurisdictione. Non dicit D. Abbas Antiph: *Ne reminiscaris &c.* nec Psal: *Quam dilecta*, cum cæteris, antequam induatur suis Paramentis, sed veniendo ad Sacristiam tempore congruo,

gno, scilicet juxta Decr: S. R. C. post Nonam, & deposita Mozzetta, aut veste superiori Camerali, ac lotis manibus, super Rochetto ornabitur sacris Paramentis, dicendo ad singula, singulas Orationes, & incipiendo ab ea *Exue me Domine &c.* Manipulum tamen accipiet adhuc in Sacristia, & quidem, debito ordine, ante Crucem pectoralem. His omnibus paratis ultimo accipiet Mitram simplicem, quæ juxta *Cærem: Episc:* non omnino debet esse Nigri, aut violacei coloris.

3. Diaconus, & Subdiaconus ornantur Dalmatica, & Tunicella omnino Nigri coloris, aderitq; Capellanus de Libro, superpelliceo tantum, sine stola indutus; atq; Ministri duo, unus scilicet ad Mitram, & alter ad Gremiale Violacei coloris, pariter Cottis tantum vestiti. Diaconi autem Assistentes non debent adhiberi ex *Cærem: Episc:* sicut nec Presbyter Assistens, seu Archidiaconus, quia omnia perficient Diaconus, & Capellanus de Libro, quæ ille deberet agere. Ministri aliquid dantes, vel recipientes à D. Abbate, per totam Missam, nunquam rem, aut ejus manum osculantur.

4. Egrediendo D. Abbas de Sacristia cum Mitra, junctis ante pectus manibus, ut pervenerit ante Altare, facit Cruci reverentiam, deposita prius Mitra, cæteris genuflectentibus. Si autem in eodem Altari sit Ciborium, ipse quoq; pariter genuflectit. Tum facit Confessionem, qua finita ascendit ad Altare sine Mitra, illud osculatur, & non Librum Evangeliorum, ac statim imposita Mitra sine incensatione Altaris, recta procedit ad faldistorium ibi paratum, ubi deposita Mitra, versus Altare legit Introitum *Requiem &c.* non se signat, sed tantum Librum, manu recta formando Crucem.

5. Cum dicuntur Orationes tam ante Epistolam, quam post communionem, omnes genuflectunt præter Diaconum, Subdiaconum, & Capellanum de Libro, qui tunc erit impeditus sustentando Librum. Et Subdiaconus cantata Epistola non accedit ad osculum manus, nec Diaconus pro Evangelio cantando petit benedictionem, sed tantum dicit: *Munda Cor meum &c.* & procedit suo tempore ad cantandum Evangelium, ad quod nec luminaria deferuntur, nec incensum Ministratur: Acolythi tamen stant à lateribus Subdiaconi tenentis Librum Evangeliorum, sine Candelabris, junctis tantum manibus, Thuriferarius sine thuribulo stat post Diaconum cum Cæremoniario.

6. D. Abbas decantata una, vel pluribus Orationibus, sedet cum Mitra, & legit Lectionem, atq; Sequentiam, qua finita, deposita Mitra, surgit, dicit junctis manibus, versus Altare

Munda Cor meum &c. & legit ſtando Evangelium, eoq; perlecto, ſi adhuc in Choro cantetur Sequentia, ſedet cum Mitra. Dum Diaconus canit Evangelium, D. Abbas ſtat in Mitra manibus ante pectus junctis, & eo finito Librum non oſculatur, ſed ſtatim converſus parum ad populum dicit: *Dominus vobiſcum*, tum *Oremus*, & ſic ſtans recitat Offertorium. Quo dicto ſedet cum Mitra, lavat manus, & accedit ad Altare.

7. Oblata de more Hoſtia, D. Abbas ſubmittit Patenam Corporali, quam Subdiaconus non ſuſtinet. Aquam mittendam in Calicem non benedicit, dicit tamen ſolitam Orationem: *DEUS qui humanæ ſubſtantiæ &c.* Poſt oblationem Calicis imponit thus in thuribulum, illudq; dicendo: *Per interceſſionem &c.* conſveto more benedicit ſine Mitra, ac ſine ea pariter incenſat oblata, & Altare, ipſe poſtmodum, ſolus tamen, accepta Mitra incenſatur à Diacono, in cornu Epiſtolæ, ubi etiam cum Mitra lavat Manus, dicendo Pſal: *Lavabo &c.* ſed ſine *Gloria*, neq; addendo ℣. *Requiem.* Tum depoſita Mitra revertitur ad medium Altaris, ubi Diaconus, & Subdiaconus ſtantes a tergo illius in 2. gradu, ad *Orate Fratres*, inclinant ſe tantum, ſolo Diacono tantum reſpondente, *Suſcipiat Dominus &c.* non prius tamen, antequam D. Abbas terminaverit per verbum: *Omnipotentem*.

8. Circa elevationem, Subdiaconus, impoſito perſeipſum prius incenſo in thuribulum ſine ulla benedictione, genuflexus in cornu Epiſtolæ, in infimo gradu, ter incenſat Sacram Hoſtiam, & ter ſacrum Calicem, ſub ipſa elevatione. Qua finita reddit thuribulum Thuriferario, & accedit ad locum ſuum, in planum ante medium Altaris. Ad finem Orationis Dominicæ, Diaconus cum Subdiacono facta genuflexione, accedunt ad latera Celebrantis, ſcilicet Diaconus ad dexteram, & Subdiaconus ad ſiniſtram, ibiq; Diaconus accipit de ſub Corporali Patenam, eamq; extergit, & offert D. Abbati ſine oſculis.

9. Ad *Agnus DEI*, non percutitur pectus, nec datur Pax, nec benedictio in fine Miſſæ, ſed D. Abbas ſumptis Hoſtia, Calice, Purificatione, & ablutione, accedit ad Cornu Epiſtolæ, ſumens Mitram adhuc in medio Altaris, ibi lavat, & tergit manus, poſtea depoſita Mitra, in eodem Cornu Epiſtolæ verſus Altare ſtans dicit Communionem, & accedens ad medium vertit ſe ad populum canit: *Dominus vobiſcum.* Denuo redit ad cornu Epiſtolæ, & ibi decantat Poſtcommunionem, qua finita revertitur ad medium Altaris, ubi convertit ſe ad populum, dicit: *Dominus vobiſcum*, ſtatimque vertit ſe ad Altare, & tum facie ad Altare verſa Diaconus cantat *Requieſcant in pace*, & licet fiat

Offi-

Officium pro uno tantum Defuncto, semper tamen dicitur in Numero plurali.

10. Tandem D. Abbas inclinatus, dicto; *Placeat Tibi Sancta Trinitas &c.* osculatoq; Altari, vertit se statim ad cornu Evangelii, & ibi legit Evangelium S. Joannis, signans Altare, seu tabellam, & seipsum, quo finito capit Mitram, facit Altari reverentiam, descendit, & facta denuo Cruci, seu Tabernaculo debita reverentia, revertitur in Sacristiam. Aut si facienda sit Absolutio, accedit ad faldistorium, ibiq; depositis: Mitra, Planeta, Dalmatica, Tunicella, & Manipulo, accipit Pluviale Nigri Coloris, vel Violacei, & Mitram reassumit. Diaconus, & Subdiaconus depositis Manipulis in suis Paramentis ministrant, & procedunt ad Castrum doloris, ubi explent Cæremoniam conductùs ut fusius infra dicetur *Par: V. cap: 15. de Die Commem: omnium fidelium Defunctorum.*

Decreta S. R. Congregationis.

1. Missæ de Requiem non possunt celebrari, nisi cum colore Nigro, vel saltem Violaceo. S. R. C. 21. *Junii* 1670. *in Oritana.*

2. In Anniversario translato ob Festum de præcepto non debet variari oratio; *Cujus anniversarium depositionis diem &c.* sed recitanda est ut in Missali S. R. C. 4. *Maii* 1686. *in una Canon: Regul. Lateran.*

3. Anniversaria, & Missæ cantatæ *de Requiem* relictæ ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici Majori contingentis, possunt celebrari, & proinde in Decreto 5. *Augusti* 1662. non comprehenduntur. S. R. C. 22. *Novembris* 1664. *in Navarien: approbante Alexandro VII. Hoc autem Decretum intelligitur de unica Missa* de Requiem *cantata, non verò de Missis privatis.* Pariter decisum est. 20. *Julii* 1669. *annuente Clemente IX. die* 13. *Augusti ejusdem Anni in Decreto generali.*

4. Cum primum accipitur nuntius de obitu, in loco distito, alicujus, potest cantari Missa *de Requiem* in die Obitus pro ejus anima, in Festo duplici majori, vel minori, non tamen de præcepto, ut citiùs suffragetur animæ Defuncti, non relicta tamen Missa in cantu de Festo duplici, quatenus adsit obligatio. S. R. C. 4. *Maii* 1686. *in una Canon: Regul: Lateran.*

5. In Anniversario occurrente in Festo duplici 2. Classis, non

non poteſt cantari Miſſa *de Requiem* S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

6. Infra Octavas Privilegiatas non poteſt cantari Miſſa Defunctorum in Anniverſario, & Officio Solemni. S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

7. In die Anniverſarii, & Depoſitionis non poteſt cantari Miſſa defunctorum, loco Conventualis. S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*


8. Si Anniverſarium anticipetur, & poſtponatur per aliquot dies, poteſt dici Miſſa ut in Anniverſario. S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

9. In die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum non poteſt celebrari Miſſa Solemnis *de Requiem* poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. *Januarii* 1701. *in una Camald: Mont. Cor.*

10. In die Obitus, vel depoſitionis alicujus Defuncti Sacerdotis dici poterit vel Miſſa prima, quæ eſt pro Epiſcopis aſſignata, ut in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, vel ea, quæ eſt ſecundo loco poſita, quæ eſt in die Obitûs, ſeu depoſitionis, dummodo, oratio pro eo aſſignata: *DEUS qui inter Apoſtolicos Sacerdotes &c.* omnino adhibeatur. Similiter agendum erit in Anniverſario pro Sacerdote Defuncto. S. R. C. 29. *Januarii* 1752. *in una Ord: Carmel: Diſcal: Prov: Pol.*

11. Cum juxta Rubricas Ritualis Romani abſq; Miſſa, quantum fieri poteſt, Defunctorum Corpora non ſint ſepelienda, poterit, præſente Cadavere, unica Miſſa ſolemnis pro Defunctis celebrari, Feria ſecunda poſt Paſcha, aut Pentecoſtes. Hæc autem Miſſa decantabitur in duplici primæ Claſſis haud feſtivo, ſi Corpus præſens fuerit, aut pridie ſepultum. S. R. C. 2. *Septembris* 1741. *in Aquen.*

12. In Miſſis Defunctorum, ſeu in paramentis Nigris, non miniſtratur Euchariſtia permodum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo Pixidem à Cuſtodia, poteſt tamen Miniſtrari permodum Sacrificii prout eſt, quando fidelibus præbetur Communio, cum particulis infra eandem Miſſam conſecratis. S. R. C. 2. *Septembris* 1741. *in Aquen.*



CA-

CAPUT VI.

De Missa Solemni pro Defunctis sine Pontificalibus, atq; privata.

1. DE Altaris apparatu, atq; Credentiæ præparatione nihil amplius, & nihil minus declarandum est, quam cap: præcedenti. Hora itaq; competenti, scilicet dum Nona in Choro dicitur, Celebrans facta brevi Oratione (non enim dicet solitos Psalmos præparatorios scilicet *Quam dilecta &c.* ex *Cærem: Episc: L. 2. c. 11.*) lavat manus, & Ministris de more adjuvantibus, induit se paramentis coloris Nigri, dicens Orationes solitas, & osculando Crucem in medio Amictûs, stolæ, ac Manipuli, (quod etiam observat in fine Missæ, dum illis se exuit) similiterq; Ministri parant se eodem modo, capientes Dalmaticam, & Tunicellam pariter coloris Nigri. Postea procedunt ad Altare ut in alia Missa, Thuriferarius tamen sine Thuribulo, sed manibus ante pectus junctis, cum Cæremoniario incedit. Cæroferarii verò cum Candelabris, & Cereis accensis, sicut ad alias Missas incedere debent; sic enim declaravit *P. Merati in additionibus ad Gavantum Par. 2. Tit: 13. Num: 8.* conformandose Rubricæ generali.

2. Initio Missæ non incensatur Altare, sed Ministri facta Confessione, ascendunt cum Celebrante ad Altare, ubi de more genuflectunt, & statim recedunt ad Cornu Epistolæ una cum Celebrante, sicut in aliis Missis. Ad Introitum, seu *Requiem* Celebrans non signat se, sed Librum tantum, manu sinistra super eundem Librum posita. Hoc tamen specialiter Notandum venit, quod licet fiat Officium pro uno Defuncto, nihil tamen quidquam immutatur in Missa, sed Introitus, & alia dicuntur in plurali. Ministri nihil prorsus osculantur in hac Missa, nec se signant ad Introitum. Ministri inferiores genuflectunt ad Orationes, sicut & Chorus, usq; ad finem ultimæ Orationis, excepto Cæremoniario, comitante Subdiaconum ad Epistolam. Et hic non osculatur manum Celebrantis post Epistolam, sed ea decantata, & facta Altari debita reverentia, Librum tradit Cæremoniario in cornu Epistolæ, & Missale Celebrantis defert ad Cornu Evangelii per planum genuflectens in medio, ibiq; assistit Celebranti, dum legit Evangelium.

3. Celebrans non dicit: *Jube Domine &c.* nec in fine Evangelii, *Per Evangelica dicta &c.* quia non osculatur Librum, ita deci-

cidunt: *Durandus L. 4. c. 24. Gavantus in expl. Rubr: Missalis & P. Merati Par. 2. Tit: 6. Num: 2.* Si post Evangelium dictum à Celebrante, sedendum erit sub tempus Prosæ à Choro decantatæ, Subdiaconus facta Altari genuflexione præcedit, & Diaconus, ac Celebrans subsequuntur, & unus post alium per gradus laterales Epistolæ descendunt, & sedent in banco. Dum vero terminatur sequentia, videlicet dum in Choro canitur: *Lachrymosa &c.* Diaconus & Subdiaconus surgentes, facta Celebranti reverentia, accedunt per planum ad gradus Altaris, ibiq; in infimo gradu Diaconus genuflexus dicit: *Munda Cor meum &c.* quo finito, & benedictione non petita, ascendit cum Subdiacono ad cantandum Evangelium: Celebrans vero per gradus laterales Altaris ascendendo, remanet in cornu Epistolæ, ibiq; stat ad Evangelium. Si non sit sedendum ad Prosam, Diaconus, & Subdiaconus stant unus post alium in medio, ut alias ad *Dominus vobiscum.* Et dum cantatur *Lachrymosa*, genuflexus in suppedaneo Altaris dicit: *Munda Cor meum &c.* & non petit benedictionem, ac surgens expectat, donec tempus fuerit cantandi Evangelium.

4. Finita Prosa, Ceroferarii sine Candelabris, junctis tantum manibus ante pectus, genuflexi cum cæteris Ministris procedunt ad locum, ubi debeat cantari Evangelium, quos sequitur Subdiaconus pariter junctis manibus, & tandem Diaconus cum libro ante pectus; Ceroferarii à lateribus Subdiaconi hinc indè stant manibus junctis, & se signant sicut Diaconus. Celebrans verò factâ Cruci reverentia, accedit ad cornu Epistolæ, ubi convertens faciem versùs Diaconum cantantem Evangelium, persistit ad finem ejus. Quo finito, Celebrans non osculatur librum, nec incensatur, sed Subdiaconus in loco occludens librum, tradit illum Cæremoniario, vel Acolytho ad reponendum.

5. Revertentes ad Altare Ministri consistunt ut priùs, & Celebrans osculato Altari vertit se ad populum dicens: *Dominus vobiscum*, tum *Oremus.* Quo dicto, Ministri genuflectunt in locis suis, & Diaconus ascendit ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus verò accedit ad Credentiam, ubi sumit Calicem sinistra cum parvo Velo, & bursam cum corporali desuper positam, hæcq; omnia defert ad Altare, dextera super bursam posita, una cum Cæremoniario, & Acolytho cum ampullis sequente. Celebrans non benedicit aquam, dicit tamen Orationem: *DEUS qui humanæ substantiæ &c.* Subdiaconus etiam non dicit *Benedicite &c.* infundit tamen pauculum aquæ.

6. In-

6. Infusa aqua in Calicem Subdiaconus transiens per planum, facta genuflexione ante medium Altaris in infimo gradu, ascendit ad sinistram Celebrantis, eumq; adjuvat à parte sua, sicut Diaconus ad incensationem oblatorum, posteriorem Planetæ ipsius partem sublevando, quia Patenam non sustinet in hac Missa. Ad incensationem verò ministrante Naviculam Diacono, & thuribulum Thuriferario, Celebrans benedicit thus dicens: *Per intercessionem &c.* peragitq; integram oblatorum, & Altaris incensationem, ad quam etiam Diaconus petit solito modo benedictionem. Finita incensatione solus Celebrans thurificatur à Diacono, & in eodem loco ministrantibus Ceroferariis aquam, & manutergium, lavat, & tergit manus dicendo Psalmum *Lavabo &c.* sine *Gloria.* Interim Ministri sacri stant post Celebrantem, qui cum pervenerit ad medium Altaris, illi stantes in 2. gradu post Celebrantem, in æquali distantia, ad *Orate fratres* inclinant Capita, Diaconus solus respondet: *Suscipiat &c.* & statim Subdiaconus descendit in planum, Diaconus pariter ascendit ad Librum, uterq; cum debitis genuflexionibus.

7. Circa finem Præfationis Diaconus, & Subdiaconus accedentes ad latera Celebrantis, de more, dicunt cum eo *Sanctus* &c: Tum Subdiaconus descendit in planum post Celebrantem, & Diaconus accedit ad Librum, statq; ut in aliis Missis. Dum Celebrans dicit: *Hanc igitur*, Subdiaconus facta genuflexione accedit ad cornu Epistolæ, ubi ministrante Thuriferario naviculam, imponit sine benedictione thus in thuribulo, eoq; accepto à Thuriferario, incensat SS: Sacramentum, ter scilicet S. Hostiam, & ter S. Calicem, ministrante interim Diacono ad dexteram Celebrantis, & Thuriferario genuflexo ad sinistram Subdiaconi in plano.

8. Finita elevatione Subdiaconus reddit thuribulum Thuriferario, & erectus genuflectit iterum, redit ad locum suum, ubi iterum genuflectit, & stat ibidem usq; ad *Agnus Dei.* Diaconus redit ad Librum; Ceroferarii, manent genuflexi usq; ad Communionem. Thuriferarius cum debitis reverentiis redit in Sacristiam, ubi deposito thuribulo, redit ad locum suum, ibiq; genuflectit, prout Ceroferarii. Et cum Celebrans dicit: *Et dimitte nobis* &c: Solus Diaconus genuflectit, & accedit ad dexteram Celebrantis, ubi Patenam de sub Corporali extractam, purificatorio extersam, offert Celebranti sine osculis, & Calicem detegit, ac cum Celebrante adorat, ut in aliis Missis.

9. Ad *Agnus Dei* Subdiaconus ascendit ad sinistram Celebran-

 lebran-

lebrantis, & collocati cum Diacono hinc, inde, dicunt illud cum Celebrante inclinati, iunctis manibus, & non percutientes pectora sua. Et statim mutant loca sua cum debitis genuflexionibus in recessu, & in accessu. Non datur Pax, nec Benedictio, in fine Missæ, Diaconus dicit semper in plurali *Requiescant in pace.* Et cum Celebrans dixerit: *Placeat tibi* &c: osculato Altari legit Evangelium, assistentibus de more Ministris, ut in aliis Missis.

10. Si sermo habendus sit, fiat post Missam, ante Absolutionem, & non aliter; Celebrans verò pro tunc depositâ Planeta & manipulo ad cornu Epistolæ in plano, accipit Pluviale nigrum. Ministri Sacri non deponunt paramenta sua, sed tantum Manipulos, sicque sedent audientes sermonem Concionatoris, qui non petit benedictionem, nec recitat Salutationem Angelicam, sed facto signo Crucis, facit sermonem in Pulpito, seu Ambone nigro panno cooperto. *Ex Cærem: Episc: L. 2. c. 11.* Finito sermone procedunt ad castrum doloris, aut corpus defuncti, ibiq; faciunt Absolutionem, eodem ordine, prout infra dicetur.

Decreta S. R. C.

1. Anniversaria, & aliæ Missæ pro Defunctis certo die dicendæ, eo impedito, possunt transferri in diem sequentem. S. R. C. 27. *Septembris.* 1608. *in Civitaten.*

2. Missæ cantatæ mortuorum infra Octavam Corporis Christi non sunt celebrandæ, nisi præsente corpore. S. R. C. 12. *Septembris,* 1671. *in Nuscana.*

3. In Ecclesiis Parochialibus ruralibus, in quibus per Annum plerumq; unus tantum Sacerdos celebrat, & sine cantu potest dici Missa *de Requiem*, quando Anniversaria ex testatorum dispositione, recurrente obitûs die, incidunt in festum duplex majus, Non idem tamen dicendum de diebus 3. 7. & 30, sed servetur Decretum generale editum 5. *Augusti.* 1662. S. R. C. 19 *Junii* 1700. *in Curien.*

4. Ex privata devotione Parochianorum petentium sæpius per annum Anniversaria pro defunctis Parentibus, Fratribus, Amicis, & aliis Defunctis, potest in ruralibus Ecclesiis cantari Missa Solemnis de *Requiem*, in festo duplici minori, altera Missa cantata de festo, ubi adsunt plures, vel

sal-

faltem duo Sacerdotes, dummodo fermo fit de die verè Anniverfaria à die Obitus. S.R. C. 19. *Junii* 1700. *in Curien.*

5. Jn Vigilia Epiphaniæ Miffæ Votivæ, & Defunctorum celebrari non poffunt. S. R. C. 10. *Decembris.* 1718. *in Æfina.* & 16. *Septembris* 1730. *in una Ord. Hierofolymit.*

6. Religiofi celebrantes ex quacunq; causa in aliena Ecclefia, ubi non agitur officium duplex, & fiunt exequiæ pro aliquo Defuncto, vel Anniverfaria vel fimile Officium pro Defunctis, etiamfi ipfi Religiofi recitaverint Officium Sancti duplicis, poffunt fe conformare cum Ecclefia, in qua celebrant. S. R. C. 23. *Augufti.* 1704. *in una Erem. Camald.*

7. Sacerdotes Sæculares, vel Regulares habentes officium duplex, etiam duplex 1mæ, vel 2dæ Claffis celebrantes in aliena Ecclefia ex obligatione in fepultura Solemni alicuius Cadaveris vel exequiis folemnibus conformare fe debent ritui Ecclefiæ in qua celebrant. S. R. C. 29 *Janua:* 1752. *in una Ord: Carm: Difcalc: Prov: Polonæ.*

8. A Dominica Palmarum usq; ad Dominicam in Albis inclufivè, prohibetur Officium cuiuscunq; Fefti; item Miffæ Votivæ, & de *Requiem*, excepta una Solemni præfente Cadavere, quæ tamen prohibetur triduo ante, & biduo poft Pafcha. S. R. C. 23. *Aug:* 1704. *in una Erem: Camald:* & 29. *Januarii* 1752. *in una Ord: Carm: Difcal: Prov: Polonæ.*

9. A Vigilia Pentecoftes usq; ad Feftum SS. Trinitatis inclufivè, prohibetur Officium cuiuscunq; Fefti, etiam 1mæ Claffis. Jtem prohibentur Miffæ Votivæ, & de *Requiem*, excepta una Solemni præfente Cadavere, quæ tamen prohibetur triduo fequenti. S. R, C. 10. *Decembris.* 1718 *in Æfina.*

10. Miffæ privatæ de Requiem etiam Corpore præfente, & infepulto dici non poffunt diebus, quibus fit officium de officio duplici etiam minori, vel aliis à Rubrica exceptis; & quæcunq; confvetudo in contrarium, abufus effe declaratur. Miffa tamen unica Solemnis infepulto corpore celebrari poterit, etiam in Dominicis & Feftis diebus, non tamen Solemnioribus 1mæ Claffis S. R. C. 29. *Januarii* 1752. *in una Ord: Carm. Difcal. Prov. Polonæ.*

11. Non licet in Altari privilegiato dicere Miffam (etiam folemnem cantatam) de Requiem in diebus, quibus occurrit feftum 1mæ, vel 2dæ Claffis non obftante confvetudine immemorabili S. R. C. 16. *Septembris* 1649. *in Tornacen.*

12. Jnfra Octavas Privilegiatas (fcilicet Pafchæ, Natalis, Pentecoftes, Epiphaniæ, & Corporis Chrifti) non poteft

R2 can-

cantari Missa Defunctorum in Anniversario, & Officio Solemni. S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.* & 2. *Septembris* 1741. *in Aquen,*

13. Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Missæ Votivæ privatæ, & pro Defunctis, S. R. C, 25. *Septembris* 1706, & 25. *Septembris* 1714. *approb: Clem: XI.*

14. In diebus, in quibus non potest fieri de festo duplici, prohibentur Missæ Votivæ, & de *Requiem* S. R. C. 28. *Augusti* 1627.

CAPUT VII.

De Missa privata lecta.

§. I.

De præparandis ante Missæ Sacrificium.

I. QUia multi Libri, Cæremoniis Ecclesiasticis, præsertim, quo ad Missam celebrandam, sunt impleti, ut pote Missale Romanum, aut Monasticum, Rationale Durandi, Commentarii Gavanti. Thesaurus sacrorum rituum Merati, Manuale Cæremoniarum P. Bauldry. Vade mecum piorum Sacerdotum, aliiq; permulti, ideoq;, ut brevitati consulam, diligentem Sacerdotem, aut timoratum Neo-Mystam ad illos remitto; nonnulla tantum, quæ aut errantem emendare, sive inadvertentem reflectere, seu dubitantem resolvere, vel ignorantem instruere possunt, adducere non dubitabo.

2. Quilibet Sacerdos specialiter debet animo perpendere, quomodo, & quando ad celebrationem tanti Sacrificii interius, exteriusq; seipsum, quemadmodum convenit Ecclesiasticis Viris, ut Deo placeant, disponere, & præparare possit; ideò consideret diligenter omnia, quæ in Rubricis Missalis continentur, Romanorum Pontificum esse decreta,. & sanctiones Ecclesiasticas; hæcq; omnia ad id spectare, ut dignè, & ea, qua par est reverentia, Mysterium istud, vel potius infinita Mysteria ibi contenta, tractentur. Quæ si voluntariè prætermittantur, vel permutentur, aut negligantur, in gravibribus quidem, gravis peccati reatum, in minoribus vero, vel cum fine advertentia variantur levioris offensæ, vitandæ tamen, quan-

quantum fieri poteſt, culpam inducunt. Nihil ergo, in re tam gravi, & ſi leve quibuſcunq; videatur, contemnendum, ſed omnia & ſingula minutatim, ut ita dicam, ſumma cum diligentia, & prudentia pertractari debent.

3. Caveat Sacerdos ne imparatus accedat ad Miſſam celebrandam, ne ad Altare modo primùm quærat in Miſſali Miſſam convenientem, & non inveniendo remittat ad Sacriſtiam Miſſale, ut aliud afferatur, quia exinde oritur ſcandalum populi, & peritorum in Eccleſia exiſtentium ſumma diſtractio; ideoq; quilibet ad Sacriſtiam veniens, antequam lavet manus, priùs revideat Miſſale, perquirat Miſſam, inveniat omnes Collectas, eaſq; revideat, ut ſi mutandæ ſint aliquæ, opportunè mutationi provideatur, ne occidat error in prolatione, hæcq; omnia ſignet, ne ad Altare moram protrahat in inveſtigatione.

4. Lotis manibus ſtatim Calicem, ſi non eſt aptatus, convenienter ornet, & non obliviſcatur Patenæ ſuperimponere Hoſtiam, quæ ne multas poſtea faciat particulas, digito circumcirca detergat extremitates ejus. Velum non ſit plicatum ſupra Calicem, ſed omnino prominens, ut portando Calicem contegat illum, & contrarius abuſus omnino eſt tollendus, quia non ex alia ratione appellatur Velum, niſi quod velare debeat Calicem.

5. Accedendo ad paramenta, antequam accipiat Amictum, ſignare ſe debet à fronte, ad pectus, unde contra Rubrum agunt nonnulli, qui accipientes Amictum faciunt ſignum Crucis manu, cum funiculo pendente ab Amictu eodem. Oſcula Amictus, Manipuli, & Stolæ in Crucibus ſignatis non omittat, reliquis autem paramentis eadem oſcula præſtare non audeat.

6. Induens Albam prius imponere debet manicam dextram brachio dextro, quam ſiniſtram, quia prius dextera Chriſti fuit affixa Cruci. Manipulus ligari debet chordulis, aut aciculis infra cubitum, & non ſupra, ne impediat Sacerdotem, aut ne moleſtet per ſæpius iteratam deciſionem. Stola imponenda eſt non longe à collo, tanquam torques, & non in ipſo collo, ſed ſupra humeros, ut Amictus omnino promineat ſupra ſtolam, quæ dum aptatur in modum Crucis, priùs à latere ſiniſtro ad dextrum, & poſtea à latere dextro ad ſiniſtrum adaptetur. Planetam nunquam oſculatur, quia de illo oſculo nullibi fit mentio.

7. Exiens de Sacriſtia ad Altare, nunquam procedat nudo capite, ſed tectus Birreto, alias quædam levitas exinde appareret; Sacerdos autem Celebraturus omnem gravitatem præſeferre

ſerre debet, *ita Gavantus P. 2. tit: 2. Merati in add: ad Gav: n. 2. Bauldry P. 3. c. 7. tit: 2. n. 1. Cærem: Monaſt: Ben: Rom: L. 1. c. 21. §. 6. n. 45. Corſettus tit: 1. P. 1. c. 1. n. 12. Bonamicus P. 2. n. 4. Fran: Gervaſi in Catal. err. n. 15.* ipſa quoq; Rubrica Miſſalis non aliter præſcribit, quam ut exeat de Sacriſtia capite operto, & revertatur pariter cooperto. Velum quoq; ut pendeat de Calice in parte anteriori, & non ſit plicatum, docent omnes Rubriciſtæ.

8. In via ad Altare Celebrans exiſtens, ſiniſtrà Calicem ad nodum teneat, & dexteram extenſam ſupra burſam corporalium habeat, eamq; continuo ſic extenſam teneat, ne procedendo aliquid de Calice decidat, ſuper quo nihil ponere debet, neq; ſudariolam, quia hoc pendere debet a parte dextra cinguli ſub Planeta, neq; perſpicilia, quia ea miniſter portare debet, neq; Clavem Tabernaculi, vel patenam cum hoſtiis pro communicantibus, quia hæc tempeſtivè ab alio afferri debent ad Altare, nec deniq; quidquam aliud, prohibent enim Decreta S. R. C. ut patebit in ſerie, idemq; ſentiunt Authores ſupra citati.

9. Celebrans ſi tranſeat ante Altare majus, ubi non aſſervatur SS. Sacramentum, profundam Cruci tantum facit reverentiam, ſed non detecto capite. Si tranſit ante Tabernaculum SS. Sacramenti aſſervati, genuflectat unico genu, pariter capite cooperto, & jam nullam aliam faciat reverentiam, ſufficit enim unica adoratio, ideoq; ſuperfluæ inclinationes, ut abuſus, tollantur. Si tranſit ante Prælatum ſuum profundè ſe inclinat, capite tamen non aperto. Si tranſit per Chorum eo tempore, quando Horæ Canonicæ recitantur, & tunc ſi aderit D. Abbas, ei prius profundam facit reverentiam, poſtea pſallentes in Choro capitis inclinatione ad utramq; partem ſalutat, non deponendo Birretum de capite, quod ipſum in abſentia D. Abbatis Choro præſtare tenetur. Hoc autem omnino notet, quia portando Calicem neminem aperto capite ſalutare debet, licet Epiſcopum, aut Regem. Quod autem hunc honorem profunda inclinatione Prælatis mediocri Choro, præſtare tenetur, liquet hoc ex *Cærem: Epiſc: L. 2. c. 8.* utique etiam Epiſcopus paratus (pariter ſentiendum de D. Abbate) ſalutare debet in Choro exiſtentes. Idem ſentiunt: *P. Bauldry P. 3. c. 7. tit: 2. n. 3. Baſſus To. 1. Lit. G. n. 24. §. 3.* In ſuper *Cærem: Monaſt. Benedictino Romanum L. 1. c. 21. §. 6. n. 45.*

10. Inſuper Celebrans ad Altare properando, dum conſpicit expoſitum in Altari Majori SS. Sacramentum, veniendo ad conſpectum ejus, conſiſtit parumper, deponit Birretum, non tamen

men illud ponit supra Calicem, sed vel tradit ministro, vel aliquomodo sustentans ante pectus supra Calicem pollice, & indice, tribus digitis reliquis tenendo bursam, & tunc genuflectit utroq; genu, atq; simul profunde se inclinat, statimq; surgit, in loco caput cooperit, & procedit ad Altare, ad normam Decreti S. R. C. infra positi. Eodem modo genuflectit, quando advertit SS. Sacramentum esse in Altari in Missa aliqua expositum post consecrationem; vel quando distribuitur communio fidelibus, quæ genuflexio fiat unico genu.

11. Et si Celebrans in via advertat ad Altare, circa quod transit, fieri in Missa elevationem SS. Sacramenti, statim subsistat, & utroq; genuflectat, tradito Birreto Ministro, ac eo usq; perseveret genuflexus, quousq; ille Celebrans post elevationem non deponet Calicem: tunc itaq; surgens recipiat Birretum, Caput cooperit, & procedat ad Altare præfixum. Præterea si transit ante insignem Reliquiam, solemniter expositam, cujus festum Celebratur, ei se profunde inclinet. Si deniq; in aliquo Altari particula SS. Ligni Vitæ sit exposita, a transeunte Celebrante, tanquam in tabernaculo inclusum SS. Sacramentum, genuflexione, capite cooperto, adorari debet.

12. Dato, quod Celebrans ob aliquam rationabilem causam non deferat Calicem procedendo ad Altare, tunc incedendo manibus ante pectus junctis, & Cruci, sive Imagini in Sacristia inclinando se detegit caput, & Cruci Altaris majoris profundam facit reverentiam aperto capite, & ante Tabernaculum SS. Sacramenti, seu particulam Ligni vitæ genuflectit discooperto capite, & D. Abbatem veneratur deposito Birreto, & Chorum salutat nudato capite, & exposito SS. Sacramento, ut venerit in conspectum ejus, statim deponit Birretum, & solitam facit reverentiam, pariterq; tam sub Elevatione, quam sub Communione fidelium, quamq; sub expositione Reliquiæ insignis, debitam cuiq; præstabit reverentiam, discooperiendo prius caput. Quia tunc Celebrans non habet manus occupatas.

13. Veniens ad Altare, subsistit ante gradus in medio, deponit Birretum, tradit Ministro, & ipse facta profunda Cruci Altaris reverentia, ascendit ad Altare, ubi collocato prius Calice ad cornu Evangelii, accipiet bursam, de qua extrahet Corporale, illudq; in medio extendet, bursam penes candelabra ad cornu Evangelii statuet, & Calicem velo ex anteriori parte coopertum super corporale collocabit. Si verò ante illud Altare celebraturus est, ubi in Tabernaculo asservatur SS. Sacramentum, tunc in accessu, & recessu, atq; ante, & post confes-

ſionem genuflectit ſolum unico genu, abſq; alia aliqua inclinatione.

14. Errant ii, qui a principio Miſſæ non explicant in Altari Corporale, ſed differunt ad oblationem explicandum. Item ii, qui velo non contegunt Calicem, ſed velocitatis gratia complicatum relinquunt; debet enim totus latere Calix, quouſq; revelentur propriā Paſſionis Chriſti Myſteria. Inſuper ii, qui Sudariola, ſeu Strophia ponunt ſuper Altare, quod eſt omnino indecens, & quia in Altari Sacra Myſteria ſunt agenda, nihil in eo locari debet, præter illud, quod ſpectat ad Sacrificium Miſſæ. Demum errant ii, qui propter velocitatem frivolam non advertunt, an ardeant Candelæ Altaris, & ſæpe contingit quod vix aliquando fit ad illam accenſionem Candelarum animadverſio, ideoq; Celebrans non prius ad Confeſſionem deſcendere debet, quam accenſis Candelis. Ita ſentit *Octavius Frangipanus in direct: Eccl. diſc: c. de Div: Off: n. 65.* & alii.

15. Miſſale repoſitum à Miniſtro ſuper cuſſino non debet ab eo aperiri, ſed à ſolo Celebrante, qui inſpicere tenetur, num ſignacula in locis ſuis reperiantur? Præſertim quia hujus rei Myſterium S. Mater Eccleſia animadvertit, ut *Garantus teſtatur P. 2. tit: 2. n. 4.* his verbis *ex Innocentii III. Lib. 2. c. 3.* deciſione: *Apertio Libri ad Sacerdotem ſpectat qui repræſentat Agnum aperientem Librum. Apoc: 5.* Celebrans aperto Libro non debet immorari ad medium Altaris orationis cauſa, ſed ſtatim facta Cruci reverentia tenetur deſcendere in planum ad faciendam Confeſſionem. Unde errant hi, qui prolongant orationem ad faciendam intentionem, quæ præcedere omnino debuit; multomagis illi, qui percutiunt tunc pectus antequam deſcendant, cum hanc devotionem faciant expreſſe contra Rubricam, ut advertunt: *Gervaſi in Catal: err: n. 29. Hyppolitus à Portu Rubr: 4. in adnot. n. 4.* & alii.

§. 2.

Notanda ab initio Miſſæ, usq; ad Canonem.

I. DEſcendendo Celebrans ab Altari, dum ſe convertit, hoc attendere debet: ut ſe aliquantulum retrahat à medio Altaris, ne, directè deſcendendo, Cruci, vel Tabernaculo terga vertat, ita præcavent: *Tonellius L. 2. tit: 2. Rubr: 4. n. 4. Angeli in Catal. err. n. 5. §. in via ad*, atq; alii ſed vertendo faciem ad cornu Epiſtolæ, & humeros ad cornu Evan-

gelii descendit quasi lateraliter in planum, oculis semper demissis, manibus ante pectus junctis, & nunquam extensis. Si in Altari plures quam tres existant gradus, & in diversos ordines distingvantur, tunc sufficit descendere post infimum gradum supremi ordinis. Nullus Celebrans super gradus faciat confessionem; sed semper in plano Capellæ. Quod si nullus adsit gradus, prout in oratoriis privatis, & in angustioribus locis solet contingere, tunc vertat se, & sistat in tali loco, ut inter ipsum & Altare sit aliqua distantia.

2. Ad Confessionem ita jungit manus Celebrans, ut non tangat Planetam, & pollicem dextrum ponat super sinistrum in modum Crucis, quod semper observare debet, quandocunq; jungit manus à principio Missæ, usq; ad Consecrationem, & finitâ Communione, usq; ad finem Missæ. Si ante factum signum Crucis, in viciniori Altari Celebrans conspiciat fieri elevationem SS. Sacramenti in Missa, & hæc quasi oculis se eius obiiciat, non incipiat Confessionem, sed genuflexus in gradu Altaris permaneat usq; ad depositionem Calicis. Si in remotiori Altari cognovit per sonum campanulæ peragi elevationem non advertat, sed incipiat Confessionem. Si demq; iam inchoata Confessione conspexerit propè elevationem, non attendat, & non interrumpat inceptam Missam.

3. Licetsi D. Abbàs celebrèt Missam, aut sit ei præsens, ministri tamen non aliter dicunt, nisi *Tibi Pat r*, & *Te Patr*; cum etiamsi fuerit summus Pontifex (ut Rubrica Missalis testatur) non immutantur hæc verba. Celebrans dicens: *Misereatur vestri* &c: non dicat *omnibus*, & ad *Indulgentiam* &c: non addat etiam *omnium*. Ascendens ad Altare, eo osculato, antequam accedat ad cornu Epistolæ pro dicendo Introitu, non est facienda Cruci inclinatio.

4. Errant hi, dum ab Introitu procedunt ad medium Altaris, in via dicunt *Kyrie eleison*, & multo magis ii, qui nimis festinanter volendo absolvere Missam, & Introitum terminant in via, aut pariter in via incipiunt. Cantando Missam Celebrans, licet non solemniter, potest, in cornu Epistolæ stando, recitare *Kyrie eleison*, non tamen in Missa lecta, quia tunc in medio dicere debet. Si Celebrans videat Ministrum imperitum ad recitandum *Kyrie eleison*, ipse solus novies repetere debet, ordine in Rubro expresso.

5. Celebrans dicens *Gloria in excelsis* elevat manus usq; ad brachia, scilicet extremitatem digitorum, & non supra; dum dicit *Deo* inclinat caput, & oculos non elevat. Pari-

S sior-

formiter ſe gerit Celebrans, dum dicit: *Credo in unum Deum.* Jn dictis *Gloria*, & *Credo* Celebrans ad ultimum ℣. ita ſe ſignare debet, ut ad verbum *Amen*, Semper jungat manus. Cum dicit *Dominus vobiſcum*, non inclinet caput verſus populum, ſed ſit capite erecto, oculis autem demiſſis, non tamen adeò, ut quaſi pedes ſuos aſpiciat, aut omnino clauſis, ſed reſpiciat illam plani anterioris partem quæ vel diſtat, vel diſtare videtur ab Altaris ſuppedaneo quaſi cubitis tribus. Manus etiam disjungat ita recte, ut digitorum extremitates quaſi per lineam rectam ferantur, non tamen ultra latitudinem corporis, videlicet non extra humeros, nec quaſi repellendo à ſe. Videat Celebrans, ne committat errorem dicendo, in via, vel adhuc in medio Altaris, *Oremus*.

6. Ad Nomen *JESU* inclinat ſe Celebrans verſus Crucem ita, ut & humeros aliquomodo inflectat. Ad Nomina *MARIÆ*, & Sanctorum quorum aut feſtivitas Celebratur, aut fit Commemoratio tanquam Simplicis, vel cujus octava celebratur, vel SS. P. *Benedicti*, aut deniq; Patroni ſeu Titularis Eccleſiæ, caput inclinet verſus Librum, ſicut & ad Nomen Papæ, quod pariter obſervabit & in Canone. Jn Quatuor temporibus, vel alias, quando dicendæ ſunt plures orationes cum Prophetiis, *Kyrie eleiſon* non debet dici in cornu Epiſtolæ, ſed in medio Altaris, ubi facta Cruci reverentia revertendum eſt ad Librum. Tractum, & Graduale poſt Epiſtolam dum legit Celebrans, non junctis ante pectus manibus, ſed ſuper Libro poſitis, prout ad Epiſtolam, pariter dicendum eſt de Sequentia, aut Proſa.

7. Dum dicit Celebrans *Munda Cor meum &c:* non dicit *Jube Domne*, ſed expreſſe *Domine* quia ipſum Deum alloquitur: Diaconus verò petens à Celebrante benedictionem dicit *Jube Domne benedicere*, ſive ille Celebrans ſit ſimplex Sacerdos, ſive Prælatus, quia non Deum, ſed ipſum alloquitur. Jpſe Celebrans manus junctas tenet tunc non ſuper Altare, ſed ante pectus, nec ſe ſignat, nec dicit: *Jn nomine Patris* &c: licet ſolus Miſſam Cantet. Miniſtro reſpondente *Gloria tibi Domine.* Celebrans nec ſe vertit ad Crucem, nec inclinat Caput. Signando Librum ſive Celebrans, ſive Diaconus, ſiniſtram manum ponit ſuper eum, & ſtatim cum ſeipſum ſignat, eandem manum ſiniſtram retrahit, & ponit intra pectus. Signet autem Librum, ſicut & ſeipſum, non ungve pollicis, ſed pulpa ipſa, manu tota extenſa, & digitis omnino junctis.

8. Quando dicitur Symbolum, in miſſa privata Celebrans ad ℣. *Et incarnatus eſt*, usq; ad illa verba *Et homo factus eſt.*

inclusive unicum tantum genuflectit, & non utrumq; ad ultima vero verba, etiam caput inclinat. Errant ergo ii, qui ad dictum ℣. utrumq; genu flectunt, hæc enim devotio est superflua. Pariter errant hi, qui Offertorium dicunt extensis manibus, faciunt enim expresse contra Rubricam, quæ sic habet: *junctis manibus dicit Offertorium.* Similiter errant illi, qui plicato velo, cum deberent ponere Calicem versus cornu Epistolæ extra corporale, & inde manu dextra amovere pallam, eademq; sumere Patenam cum Hostia, ipsi dextera quidem reponunt Calicem in cornu Epistolæ, sed eodem tempore sinistra accipiunt Patenam, cum palla, quod expresse agunt contra Rubricam *in Cær: Mis: c. 10. 6. 12. n. 3.*

9. Ad Oblationem Hostiæ, Celebrans Patenam cum ea sustinet utraq; manu elevatam super medium Corporalis, ad altitudinem tantum pectoris, ita, ut aliquantulum distet ab ipso, nec eam elevet ante faciem, aut ob oculos, ut faciunt inadvertenter multi, & tunc oculis ad Crucifixum elevatis, ac statim demissis dicit: *Suscipe* &c: Ad finem orationis dum facit signum Crucis cum Patena & Hostia super Corporale, utraq; manu adhuc teneat Patenam, & non faciat per puncta ·:· sed linea recta ✠ ducendo utramq; manum cum dicta patena, non tamen per ipsum Corporale, tangendo illud, sed ad distantiam supra quasi 4. digitorum, sicut & longitudo Crucis cum Patena in utraq; linea, non debet excedere palmi unius extensionem.

10. Si Celebrans in Missa consecraturus est plures Hostias, seu particulas pro Communione fidelium, imprimis, quando Particulæ sunt paucæ, puta 5. vel 6. poni debent super Patenam ad oblationem, & postea subtus Hostiam; Si sunt plures super Corporale poni possunt, ad partem Evangelii, separatim ab Hostia, supra tamen petram Sanctam, ex quibus una, ad Oblationem in signum non est necessario ponenda, sufficit enim sola Intentio, quinimo immobiliter super corporale manere debent, etiam ad Consecrationem. Si vero sint particulæ in magna quantitate, ponantur in aliquo vase Sacro, videlicet Pixide vel Calice, aut saltem patena, & illud vas particularum collocetur post Calicem Missæ, ita ut sit inter ipsum Calicem, & tabellam Secretarum, modo in petra Sancta. Tempore oblationis, immediate antequam amoveatur Palla à Patena, dictum vas Celebrans discooperiat, absq; eo quod moveat, & facta intentione offerat eas cum

hoſtia, non eſt enim neceſſe eas ſimul cum majori hoſtia elevare; aut admovere. Ita ſentiunt: *Biſſus* §. 36. *Baudry loc: ſupra cit.* & alii.

11. Celebrans, aut Diaconus, vel alius Aſſiſtens infundens vinum in Calicem pro oblatione, fundat in quantitate decenti, non nimia, ita nimirum, quod uno hauſtu parvo à Sacerdote, ſine interruptione ſumi poſſit, ſeu ut fundum Cuppæ Calicis contegatur eodem vino. Tandem benedictâ aquâ (ſi benedicenda eſt) infundat parum, ſcilicet 4. vel 6. guttas, eoq; minus, quo vinum eſt debiliùs. Advertat autem Celebrans, ne tunc, quando infundit vinum, & aquam, teneat Calicem elevatum, ſed ſuper Altare poſitum: Neq; eum ſecum, procedendo ad medium Altaris, ferat, ſed relinquat in eodem loco, aut aliquomodo propiùs admoveat, ut ſtando ad medium Altaris, commodè illum dextera accipere poſſet.

12. In oblatione, Calicem ita elevatum teneat, ut neq; excedat oculos labium ejus, neq; ſit infra eos, ad differentiam Calicis elevati penes Conſecrationem. Signum Crucis dum facit cum Calice vini, tenendo eum ambabus manibus, non per puncta, ·:· ſed per lineas rectas faciat +, nec per ipſum Corporale, ſed in elevatione, quaſi per 4. digitos, crucem formet, quæ longitudinis in utraq; linea palmum excedere non debet, nec tamen obliviſcatur, formatâ Cruce, parum elevare Calicem, & ſtatim in medio collocare.

13. Collocato Calice, dexterâ accipiat Pallam, eaq; cooperiat Calicem, ſiniſtra pedem Calicis tenens, ne forte Sacerdos in Calicem impingens, nolens invertat, quod ſemper obſervabit ſive cooperiat Calicem, ſive diſcooperiat, ad præcavendum everſionis periculum, maximè poſt Conſecrationem. Hoc tamen periculum facile evitari poterit, ſi Celebrans à propera feſtinatione ſe abſtineat, meminiſſe enim debet officii ſui, circa tremendum Sacrificium.

14. Dum Celebrans facit Crucem ſuper Oblata advertat imprimis ſemper, quod manus ſiniſtra, ſi non eſt impedita, poni debeat ſuper Altare extenſa, ante Conſecrationem quidem extra Corporale, poſt conſecrationem vero ſupra Corporale. Deinde dextera manus Celebrantis benedicens debet eſſe elevata ſupra id, quod benedicit, una cum brachio ſuo. Quæ dum format Cruces ſuper oblata, faciat eas in linea recta, & non per puncta, manu, & digitis extenſis, ac junctis, quos non moveat tunc quaſi aſpergendo, nec manum infringat, ſed lineam tranſverſam Crucis, rectâ, & extenſa

ut

ut prius manu formet, nec manum deprimat à Calice ad hostiam, sed rectè, in eadem Superficie, quæ supereminet Calice, terminet Crucem, nec deniq; nimium parvas ob velocitatem faciat Cruces, alias quasi circulorum efformatio conspicietur, sed in proportionata latitudine, ut benè, ab omnibus Crucis expressio observari possit. Quæ doctrina in omnibus benedictionibus observanda est, maximè in Sacrificio Missæ.

15. Lavando manus, non totas lavare debet, sed tantum extremitates indicis, & pollicis, utræq; manus, quibus tangitur sacra Hostia. Psalmum *Lavabo* &c: totum, etiam cum ℣. *Gloria Patri* toto, ad cornu Epistolæ Celebrans recitare debet, non verò procedendo ad medium Altaris, aut in ipso medio terminando, ut propter velocitatem faciunt multi expresse contra Rubricam. In Missis de *Requiem* ad prædictum Psalmum licet non debeat addi ℣. *Gloria Patri*, neq; tamen in locum eius addatur ℣. *Requiem æternam.*

16. Conversus Celebrans ad populum dicendo: *Orate fratres*, non faciat impetuosum circulum, sed paulatim vertendo se, morulam aliquam in medio ad populum faciat, prosequendo interim submisse: *Ut meum* &c: usq; ad illa verba: *Deum Patrem omnipotentem.* Minister etiam non prius respondeat: *Suscipiat* &c: quousq; Celebrans non terminaverit per illa verba: *Patrem Omnipotentem.* Neq; Sacerdos prius dicat *Amen* quam minister suam compleverit orationem per ea verba: *Ecclesiæ suæ Sanctæ.* Si vero Minister imperfectus aut ex parte male enarrat dictam Orationem, aut de toto ignorat, ipse Sacerdos conversus ad Altare, submissa voce, junctis manibus dicere tenetur *Suscipiat Dominus* &c: *de manibus meis* &c:

17. Cum Celebrans legit orationes Secretas, non se moveat à medio, sed Missale collocet propè Corporale, ut commode legere possit, ad quod & inclinare se parum versus Librum potest. Folia libri sinistrâ vertere debet, dextera vero tunc super Altare extensa retineri debet. Si plures sint Orationes secretæ, primam concludendo sibimetipsi respondet submisse: *Amen*, nec subjungit *Oremus*, sed absolute alias prosequitur. Signando se in fine præfationis hanc regulam Celebrans servare tenetur: dum profert verbum: *Benedictus*, signat frontem, dum profert: *qui venit*, signat pectus, dicendo: *in Nomine Domini*, signat humerum sinistrum, & proferendo: *Hosanna in excelsis*, signat humerum dextrum.

§. 3.

§. 3.

Observanda à Canone Missæ, usq; ad Orationem Dominicam.

I. PRima verba Canonis, scilicet: *Te igitur* &c: debent proferri à Celebrante statim, ac elevat manus, & oculos, non enim debet dari gestus, sine voce, qui alioquin est inconcinnus, & indecens. In hoc initio Canonis post memoriam Summi Pontificis, nominandus est Episcopus illius loci, in quo Missa celebratur, non vero ordinarius Celebrantis, nisi in sua Diœcesi; neq; tunc sunt nominandi Superiores Regularium, aut Generales Ordinum, prohibuit enim S. R. C. ut patebit ex indice Decretorum. D. quoq; Abbas loco Episcopi, vel post, non debet dicere *Et me indigno servo tuo*, licet etiam Pontificaliter celebret, quia expresse prohibent Decreta Pontificia, sed suum Ordinarium nominare tantum tenetur. In casu, si Religiosus existens in via, & vel ignorat Diœcesim, vel ignorat, aut non recordatur nomen Episcopi, loci, in quo Celebrat, satis est dicere: *pro Antistite nostro*, intelligendo eum mentaliter, in cuius Diœcesi celebrat. Ita *Pasqualigus de Sacrif: novæ Legis To. 1. tr. 2. q. 27. n. 26. à Portu P. 2. de Mis: Sol. tit: 7. Rubr. 9. in adnot: n. 6. Angl. P. 3. tit. 7. N. 60. Merati. P. 2. tit: 8. Rubr. 2. n. 5. Cærem: Monast: Bened. Rom. L. 1. c. 21. §. 9. n. 1. & alii.*

2. Commemoratio Vivorum, sicut & Mortuorum, non debet esse nimis brevis, scilicet in momento, sed durare ad minimum debet, saltem per spatium unius *Pater noster.* Ita *Tonelius L. 2. tit: 8. Rubr: 3, n. 2. Bissus lit: S. n. 20. §. 52. à Portu n. 3. Bauldry. Merati*, pluresq; alii. Dum dicit Celebrans *Memento* extensas manus aliquantulum elevat, & jungit, non usq; ad oculos, sed usq; ad mentum circiter; ideoq; errant illi, qui prius demittunt manus, Altare tangunt, deinde elevant; & jungunt. Ut advertit *Gervas. c. 8. §. Arrivato.*

3. Dicendo in Canone *Hanc igitur* &c: expandit manus simul super oblata, non disiungendo pollices, sed solummodo manus adaperiat ex parte inferiori super oblata, ita ut digitorum extremitates perveniant ad medium circiter pallæ, non tamen illam tangant, retento pollice dextro, super sinistrum in modum Crucis supra, non infra manus, ut declaravit S. R. C.

Et

Et dum concludit dicendo: *per Christum* &c: manus non disiungit, sed solum retrahit ante pectus, & claudit utramq; palmam.

4. Faciendo 5. Cruces ante Consecrationem, dum dicit Celebrans *Benedictam* &c: tribus prioribus peractis, antequam exprimat Verba: *rationabilemq; acceptare digneris*, ne manus in aere maneat pendula, præsertim si paulatim proferantur dicta verba, potest interim iungere manus, & non ponere super Altare, quia antequam fit benedictio, semper debent prius iungi manus, hæc est generalis Regula Rubri. Quare in illa pausa, antequam reliquæ duæ perficiantur Cruces, super Hostiam, & Calicem, si Sacerdos iungat manus, non est arguendus imperitiæ, cum P. Merati ob varias rationes solidas sic consulat, ut rubrica Missalis observetur. Qui autem celeriter recitant, poterunt continuo 5. Cruces facere non interruptè, præsertim quia nimium, nimiumq; gaudeant brevitate moderni.

5. Si adsunt particulæ consecrandæ super Corporale, maneant in loco suo, ut supradictum. Si autem in Pixide, vel Calice, Celebrans antequam capiat Hostiam, attrahat dictum vas propiùs ad latus Calicis, ut videat præsentes particulas. Hic errant nonnulli, qui scire desiderant, quot numero in Calice, seu Pixide sint datæ ad consecrandum particulæ, quia verò numerando potest errare Sacrista, & sic si superabit aliqua, non erit consecrata, sed tamen ignota, si deficiet, frustrabitur forma consecrationis; & exinde multa causarentur dubia. Sufficit ergo facere intentionem consecrandi præsentes in Calice vel Pixide particulas. Qui utuntur perspiciliis ipsa non adhibeant, si possunt, à Consecratione, usq; ad peractam Communionem, quod si iis necessario Celebrans uti debet, capiat ea inter indicem, & medium digitum, ac nunquam super Corporale ea deponat; Ita præcavet *P. Bauldry P. 3. c. 5. n. 6.*

6. Proferens verba Consecrationis, caveat ne afflet, nec ore, vel barba contingat Hostiam, aut Calicem, nec moveat caput ad singula verba Consecrationis, nec signet cum eodem capite Hostiam, aut Calicem, nec eadem ante, vel post consecrationem osculetur: Neq; verba consecrationis magno conatu, aspiratione, vel sibilo proferat sed unico contextu, & nulla interposita mora inter singula verba, eaq; ita secreto proferat, ut à nemine audiantur. Sub tempus hujus consecrationis Celebrans

lebrans pares retineat pedes, super suppedaneo Altaris, dextro ultra, vel supra sinistrum, reverentiæ causa, nullatenus remoto, aut reflexo.

7. Prolatis verbis consecrationis Hostiæ, Celebrans eandem Hostiam consecratam tenens inter pollices, & indices, reliquis manuum digitis extensis, & simul junctis, unico genu adorat, sed cum aliqua morula, & usq; ad terram genuflectendo, cubitis extra Altare positis, & manibus super Corporale retentis, sacram Hostiam tenentibus. Ad commodiorem itaq; genuflexionem manus cum Hostia appropinquet ad oram Altaris, retentis solis manibus usq; ad pulsûs Hostiam retinentibus super Corporali; & ita genuflectat, ne S. Hostia prius populo appareat, quam elevetur. Videat etiam, ut dum S. Hostia elevatur; ab omnibus conspici, & adorari possit, non diu tamen elevatam teneat. Hocq; animadvertat, quod elevare debeat perpendiculariter, id est recta linea super corporale, & non supra Calicem, aut supra Caput, oculis in eam intentis, nec nimis lentè, nec nimis properanter. Idem pariter dicendum de Calice, quem parum elevatum teneat, non tamen totum in aere, sed quasi inclinatum erga se ad Consecrationem. Deposita S. Hostia, removet ad locum suum, ubi prius stabat, Pixidem, aut Calicem cum particulis consecratis, cooperiendo ut priùs. Sub tempus depositionis Hostiæ, aut Consecrationis Calicis, caveat Celebrans, ne manipulo tangat eam, in quo caute procedendum est.

8. Non sunt laudandi hi, qui peracta consecratione, recondunt Pixidem prædictam intra Tabernaculum, vel extra sacram Petram; sed pariter reprehendendi sunt illi, qui nulla urgente necessitate, statim post consecrationem, distribuunt populo dictas particulas modo consecratas, quæ cum pertineant ad idem Sacrificium, non licet eas dispensare fidelibus, nisi peracto eodem Sacrificio. Ita *Quarti* P. 2. *tit:* 8. *Rubr:* 5. *n.* 4. *Card: de Lugo. disp:* 20. *de Euch. n.* 69. *Tonellius L.* 2. *tit.* 8. *n.* 6.

9. Consecrato Calice, deponendo eum supra Corporale, antequam genuflectat, dicat Celebrans hæc verba: *Hæc quotiescunq; &c.* postea genuflectat; unde errant illi contra Rubrum, qui aut in elevatione Calicis, aut surgendo à genuflexione, ea proferunt. In actuali Calicis consecratione, quando Celebrans caput inclinare debet, inclinet versus Hostiam consecratam, & non versus Crucem. Elevet autem dictum Calicem ita, ut pes ejusdem Calicis, non excedat oculos Sacerdotis, intentos sem-

ſemper in prædictum Calicem elevatum. Ita *Bonamicus P. 2. n. 28. Gervaſi. Merati* & alii communiter.

10. Errant nonnulli, qui, ob nimiam velocitatem, adhuc genuflectentes incipiunt dicere *Unde & memores &c.* quia & Rubrum non aliter, quam adorato Calice præcipit dicere, & graves Authores declarant, ut Sacerdos, non prius, quam poſt factam genuflexionem, præfata Canonis verba extenſis inchoet manibus. *Bonamicus P. 2. n. 32. Caſtaldus L. 2. ſ. 6. n. 56. Merati P. 2. tit: 9. n. 1. & Cærem. Monaſt: Bened: Rom: L. 1. c. 21. §. 9. n. 3.*

11. Ante memoriam Mortuorum ſignata Hoſtia, Calice, & ſeipſo Celebrans, ad illa verba concluſiva: *Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum Amen*, jungere debet manus, & incipiendo deprecationem pro Defunctis, puta *Memento &c*, tenetur extendere, ac tandem lente conjungere ita, ut conjunctio manuum terminetur his verbis: *in ſomno pacis.* Vitandum autem omnino eſt, ne dum dicitur: *Memento* Celebrans manus deponat ſuper Corporale, & exinde elevet, ac jungat, vitium enim magnum eſt. Memoriam defunctorum non prius faciat, quam poſt illa verba: *in ſomno pacis*, quæ oratio pro dictis Defunctis non in ictu oculi perficiatur, ſed ut ſupra dictum eſt, prolongetur ad ſpatium unius Orationis Dominicæ, oculi vero non figantur in quid aliud, quam in ſacram Hoſtiam à ſe conſecratam. Sic ſentiunt: *Bauldry P. 3. tit: 9. Rubr: 2. n. 1. Tonell: L. 2 tit: 9. Rubr. 2. n 1. à Portu P. 2. de Miſſa tit: 8. Rubr: 8. in adnot: n. 5.* Præterea Celebrans dum dicit: *Nobis quoq; peccatoribus* non ſe inclinet, ſed erectus manendo, percutiat pectus tribus tantum digitis extenſis, ne pollex, & index tangant Planetam, neq; ſe ad populum, propter abuſum, parumper vertat.

12. In formatione Crucis cum Hoſtia, ſupra Calicem, ſequentia notet Celebrans. 1. Ut non omnino à parte inferiori Hoſtia ſumatur, ſed aliquantulum infra medium, oræ ipſius, ut recta linea, ſine ulla prorsùs ejuſdem inclinatione, à labio, ad labium ſuper Calicem ſignum Crucis cum ea efformari poſſit. 2. Ut dum fiunt Cruces à labio, ad labium, Hoſtia non tangat labia Calicis. 3. Efficiantur S. Hoſtia veræ Cruces, & non circuli propter nimiam celeritatem, quæ nunquam laudabilis eſt, præſertim in ſacris actionibus. 4. Dum fiunt Cruces inter Calicem & pectus, Celebrans parum brachium ſiniſtrum incurvet, ne formandò dictas Cruces, Hoſtiam ſuper brachium ipſum pertranſire faciat. 5. Ita S. Hoſtia à labio Calicis protrahatur ad pectus, ut rectam formet lineam, non extra, ſed intra Corporale; hæcq; formatio Crucis binæ pariter

æqualis fiat, non autem una minor, altera major. Neq; S. Hostia excedat Calicis altitudinem, aut infra labii summitatem deprimatur. 6. Ut Hostia supra Calicem retenta, & cum Calice elevata, non nimium elevetur, ne ostendatur populo ad adorandum, sed Calix cum S. Hostia non ultra 4. digitos à Corporali elevari debet. 7. In hac functione Celebrans aliquod signum specialis reverentiæ præstare non debet, sive amplius genuflectendo, sive pedem inflectendo, sive Caput inclinando, quia nihil est addendum, quod Rubrica non præscribit.

§. 4.
Adnotanda nonnulla ab Oratione Dominica usq; ad finem Missæ.

1. DIcta Oratione Dominica, Celebrans non prius respondet *Amen* secreto, quam Minister dicat, *Sed libera nos à malo.* Nec prius accipiat dextera Patenam, quæ erat sub Corporali, quam dicto à se secreto *Amen.* Non se signet priùs Patena, sed omnino in his verbis: *Da propitiùs pacem &c.* Non supponat Hostiæ Patenam priùs, quam finita deprecatione ante *Per eundem &c.* nec priùs genuflectat antequam eandem orationem de toto finiat. Unde reprehendendi sunt illi, qui inchoando *Libera nos &c.* & statim se signant, & supponunt Patenam Hostiæ, & genuflectunt ac frangunt Hostiam necdum finita prædicta oratione, propter velocitatem frivolam.

2. Nunquam in illa parte à Celebrante osculari debet Patena, per quam transitura est Sacra Hostia, aut in qua collocari debêt. Item postquam Celebrans osculatus fuerit Patenam, eam non extergat denuò, nisi humefacta fuerit multum sudore, in æstate decidente. Frangendo S. Hostiam per lineam rectam, non unico ictu frangatur, ne in fragmenta multa dividatur, & dispergatur; sed diligenter, & attentè priùs parùm in superiori parte, postea in medio, denuo in infima, fiat modica fractura, & postea tota Hostia frangatur, nunquam autem dilaceretur, aut distendatur. Collocata medietate Hostiæ in patena, quam Celebrans indice, & pollice dextro tenebat, de altera medietate frangatur pars, nec nimium parva, nec nimium magna, & hæc non de superiori parte, sed de inferiori, quemadmodum declaravit S. R. C.

3. Formando Cruces cum illa minima particula, dum dicitur: *Pax Domini &c.* Celebrans non cum solis pollice, & indice

dice, tenentibus dictam particulam facere Cruces debet, sed cum tota manu dextra, aliquantulum super Calicem elevata; & hæc ipsa particula consecrata non supra Calicem, ut emineat labia ejus, sed intra os, seu labia Calicis tenenda est, ut commodiùs cum ea Cruces fiant, & melius Rubrica salvetur, tamen sine attactu labiorum, & particulæ. Digiti non priùs sunt expurgandi supra Calicem, quam prolatis secreto illis verbis: *Hæc commixtio &c.* non tamen per fricationem supra labia Calicis.

4. Ad *Agnus DEI*, sinistrâ positâ suprâ Corporale, & non infra pectus, tribus digitis extensis percutit pectus, præcavendo, ne index, & pollex tangant Planetam. Dictis Orationibus tribus, vel duabus, pro qualitate Missæ, Celebrans genuflectit unico genu, non tamen utroq; quia hoc expresse contra Rubricam esset, & contra usum Ecclesiæ, adorat tamen Hostiam cum aliqua morula, seu cum majori, ut aliàs, reverentia, non tamen longo temporis spatio durante, ut concludunt: *Bissus Lit: S. n.* 20. §. 55. *Bauldry P.* 3. *c.* 5. *n.* 6. & alii. Erectus ita in manibus componit Hostiam divisam, ut appareat figura illius rotunda, ut priùs erat, non una medietate supra aliam posita, sed unâ, alteri appositâ.

5. Dum Celebrans dicit: *Domine non sum dignus &c.* ne collocet Cubitum, aut brachium suum super Altare, neq; digitis manus sinistræ tangat Corporale, sustinendo Patenam cum Hostia, nisi forte propter debilitatem manus necesse foret, quod digitus minimus prædictum Corporale tangeret. Neq; Hostiam elevatam teneat ad latus, ut à populo videatur, & adoretur, nec corpus suum intorqueat, sed stando rectè versus Altare, parum inclinatus maneat, elevando Patenam cum Hostia non supra, quam ad 4. digitos supra Corporale.

6. In sumptione S. Hostiæ servet moderamen, quantum potest, aperiendo enim os ad sumendum, lingvam non exponat, leniter sumat, moderatè mollificet supra lingvam, dentibus indecenter non comminuat, sed intactas partes, saliva supra lingvam humectatas, si poterit deglutiat: quod pariter ab iis, qui communicant, observandum est. Quod si palato, vel dentibus adhæreat aliqua particula, tunc modestè lingvâ, & non digito inde avellat, & ubi facile non possit, sumat Sanguinem, & ablutione humectande deglutiat.

7. Sumpta S. Hostia Celebrans, persistens per aliquam morulam in meditatione SS. Sacramenti, quod intermittere, ob devotionem populi, & reverentiam tanti Mysterii, nullomodo

debet, genuflectit unico genu morosè, & accipiendo cautè Patenam, paulatim, & attente colligit fragmenta, non tamen festinanter, propter periculum effusionis Sangvinis, & detergit Patenam supra Calicem, in qua licet nullas conspiciat particulas, nunquam tamen dictam extensionem intermittere debet. Caveat autem concussionem Patenæ cum strepitu ad labia Calicis, quia & particulæ possunt ex illo impetu aliò decidere, & expresse Rubrum violaretur. Extersa supra Calicem Patena, meminerit Celebrans, & digitos suos supra eundem Calicem extergere, & non fricare.

8. In sumptione SS. Sanguinis trinus adhibeatur haustus, unica tamen parte labii, non diversa. Si verò postquam Sacerdos sumpserit Sanguinem particula S. Hostiæ in Calice remanserit, non aliter procedendum est, quam, ut cum purificatione sumatur; non autem digito extrahatur, hoc enim esset inconveniens. Caveat Celebrans ut neq; labia Calicis, nec sua, neq; ipsos digitos lambat, ut ineptè quidam faciunt. Pro purificatione tantum infundatur vini in Calicem, quantum pro consecratione fuit infusum, hocq; Celebrans circumagat intra Calicem, ut absumantur omnes species, eademq; labii parte sumat purificationem, qua sumpsit & Sanguinem. Abstemius non se purificet sine vino, inconsulto summo Pontifice, ita statuit S. Pius V. *in Epist: ad Archiep: Tarrac. 8. Januarii* 1571.

9. Si in eadem Missa communicandus est populus, statim sumpto SS. Sanguine, antequam dicat: *Quod ore &c.* & antequam infundatur vinum pro purificatione, collocato Calice in loco suo, eoq; palla tecto, appropiat Pixidem, seu Calicem cum particulis præconsecratis, aut extrahit eam de Tabernaculo, vel paucas particulas super Corporali consecratas in Patenam congregat, & dicto à Ministro *Confiteor &c.* genuflectit, ac conversus ad populum lateraliter, & non directè, ne terga vertat Sacramento, dicit: *Misereatur vestri &c.* & *Indulgentiam &c.* quod sine ulla mutatione profert in numero plurali, licet unus tantum velit communicare, cæteraq; peragit ut Rubrica præscribit. Hoc tamen Sacerdos notet, quia dicendo ad populum vernacula lingua: *Domine non sum dignus &c.* dum S. Hostiam in manibus tenet, nunquam aliter proferat, nisi in genere Masculino, licet una tantum fæmina communionem petat. Hoc idem observari

de-

debet, etiam in Communione Infirmorum, ſine ulla immutatione.

10. Peracta Communione ſi remanent particulæ, factis debitis genuflexionibus ſervari debent in Ciborio, ſeu Tabernaculo, aut ſi paucæ remanſerunt particulæ, quas reportare ad Ciborium difficile eſſet, ſumantur à Celebrante reverenter. Tum dicto: *Quod ore ſumpſimus &c.* porrigat Celebrans Calicem, pro purificatione, ſuper Altare, ad cornu Epiſtolæ, ut ei Miniſter infundat vinum, non tamen extra Altare, niſi forte Miniſter ſit nimis exiguæ ſtaturæ. Purificatio, & Ablutio bino ſumatur hauſtu, non multiplici. Sumpta Purificatione non extergat digitis ſua labia Celebrans, neq; labia Calicis, quia vana hæc obſervatio eſt.

11. Ablutio digitorum in Calice, fieri ſemper debet ad cornu Epiſtolæ, ideoq; Celebrans de medio Altaris ad latus Epiſtolæ parùm recedere tenetur. Non recedet ad medium Altaris priùs, quam abſterſis purificatorio digitis: alias, quomodo junctarum manuum digitis humidis, & fluentibus ſeſe Cruci inclinaret? Itaq; exterſis digitis diligenter, deponit purificatorium extra Corporale, accedit junctis ante pectus manibus ad medium Altaris, caput Cruci inclinat, & capit Calicem cum ablutione, eamq; ſumit, extergit poſtea purificatorio labia ſua, ac demum Calicem mundat. Vitet autem vanas obſervationes, & ne purificatorio extergat oculos, aut aliquam Corporis partem.

12. In facienda ablutione hoc obſervandum eſt, quia digiti, videlicet pollices, & indices, vino & aqua abluuntur; non autem vino ſolo, aut ſola aqua, quia hoc eſt omnino contra Rubricam, ut obſervant: *Corſitt: Tr.* 1. *c.* 1. *n.* 5. *Bonamicus P.* 1. *obſerv.* 5. *n.* 13 & *Arnaud: P.* 2. *tit:* 9. *n.* 10. & quod non liceat (juxta ſenſum *Merati P.* 2. *tit.* 10. *n.* 21.) abſq; privilegio Pontificio, quando non eſt cauſa ſufficiens, quæ excuſet. Ita *Cærem. Miſſæ priv. c.* 10. §. 26. *n.* 4. Si Celebrans etiam poſt ablutionem deprehenderit aliquam particulam etiam majorem ſupra Corporale relictam, eam ſumere debet, quia ad idem pertinet Sacrificium. Ita *Gavant: P.* 3. *tit:* 7. *n.* 2. *Bauldry P.* 3. *tit:* 10. *Rubr:* 7. *Vinitor* §. 30. *Bonac. de Euch: Diſp:* 4. *q.* 6. *pun:* 2. *n.* 12. *Layman L.* 5. *tr:* 4. *c.* 6. *n.* 22.

13. Antiphona quæ dicitur Communio legi debet omnino in cornu Epiſtolæ ad Librum, licet memoriter ſciatur, unde multum reprehendendi ſunt illi, qui eam in medio, vel in via procedendo ad cornu Epiſtolæ, vel ab eo recedendo, propter

velo-

velocitatem recitant. Dum dicitur Postcommunio, præmittitur solita particula: *Oremus* ut initio Missæ ad Orationes; dum vero ultima concluditur Postcommunio, conclusio illa compleri debet ad Librum, in latere Epistolæ, & non revertendo ad medium, quia non convenit complere verba orationis alibi, quam in cornu Epistolæ, magisq; hoc frivolitati adscribendum esset, quam debitæ gravitati, quam requirit tantum Sacrificium. Neq; Missale claudendum est priùs, nisi finita conclusione Postcommunionis.

14. Finita Missa, Celebrans descendens ab Altari, & revertens in Sacristiam, facta in plano Cruci reverentia, aut Tabernaculo genuflexione, in eodem loco accipiat Birretum, statimq; eo Caput contegat, & sic procedat ad sacrarium. Si obvium habuerit alium Sacerdotem accedentem ad Altare, sequatur viam suam à latere suo dextro, & ille alius similiter, consalutent etiam seipsos mutua Capitis inclinatione, non depositis tamen Birretis. Veniendo in Sacristiam adhuc tecto capite faciat profundam Cruci, aut Imagini, reverentiam, & deposito prius Calice, caput discooperiat, tum exuat se ordine retrogrado.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec antiquæ immutandæ absq; expressa licentia, quam dare debet S. R. C. 12. *Maii* 1612. *in una Urbis.*

2. Non debent Regulares in Canone nominare Superiores suos, ut Antistites. S. R. C. 14. *Novembris* 1615.

3. Annuli usus prohibetur in Missa Prothonotariis, & quibuscunq; Doctoribus. S. R. C. 11. *Februarii* 1623. *in Torpien.*

4. Facultas concedendi usum Pileoli in Missa spectat ad Papam. S. R. C. 24. *Aprilis.* 1626. *in Veliterna.*

5. Signum quod fit cum Patena à fronte ad pectus, fit integrè cum signo Crucis, post quod debet deosculari. S. R. C. 13. *Martii* 1627. *in Panormitana.*

6. In fine Missæ, ad quodcunq; Altare celebratæ fiat reverentia Cruci infra gradus, capite semper aperto. S. R. C. 28. *Augusti* 1627. *in una Urbis.*

7. Insignis Reliquia est Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut alia pars Corporis integra & non parva, in qua passus est Martyr, & quæ sit legitimè ab Ordinariis approbata. S. R. C. 8. *Aprilis.* 1628. *in una Missalis ex Decr: generali.*

8. Qui

8. Qui præ timore, vel balbutie non pronuntiat Evangelium S. Joannis, quod legitur in fine Missæ, sed eius loco aliud suo arbitratu recitat, debet à Missarum Celebratione suspendi, quousq; illud ritè pronuntiare assvescat. S. R. C. 5. *Julii.* 1631. *in Salernitana.*

9. Ubi non est aurora Physicè pro licita Missarum celebratione, attendatur ea moraliter, & politicè, quando scilicet terminari solet hominum quies, & inchoari labor, juxta probatam Regionum consvetudinem. S. R. C. 18. *Septembris* & 2. *Novembris* 1634. *in una Miss. Rom:*

10. In Canone omnino facienda est commemoratio de Episcopo, etiam ab exemptis. S. R. C. 25. *Septembris* 1649. *in Tornacen.*

11. Quando SS. Eucharistiæ Sacramentum publicè discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntes, cuiuscunq; conditionis, & ordinis sint, seu ad illud accedentes, seu ab eodem recedentes, semper utroq; genu flectere debent. S. R. C. 19. *Augusti.* 1651. *in una Urbis.*

12. Missa non potest celebrari cum Cæsarie ficta. S. R. C. 3. *Augusti.* 1652. *in Mediolana.*

13. Crux parva cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum, in quo asservatur inclusum SS. Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux, in medio Candelabrorum. Et in Altari in quo est magna statuä SS. Crucifixi, non est necesse ut ponatur alia Crux dum Celebratur Missa. S. R. C. 16. *Junii* 1663. *in Rosanen.*

14. Cruces quæ fiunt à Sacerdote super Oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in trnsversa parte Crucis. S. R. C. 4. *Augusti* 1663. *in una Dalmat.* & 24. *Julii* 1683. *in Albiganen.*

15. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur* &c: debent ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis, supra manus, non vero infra manus. S. R. C. 4. *Augusti* 1663. *in una Dalmat.*

16. Pars inferior Hostiæ præcidi debet, non autem Superior, quando dicitur: *Pax Domini sit semper vobiscum.* S. R. C. 4. *Augusti* 1663. *in una Dalmat.*

17. Missam in Altari maiori ubi est expositum publicè SS. Sacramentum non licet celebrare, præsertim si in Ecclesia adsint alia Altaria, in quibus celebrari possit S. R. C 9. *Augusti* 1670. *in Bononien.*

18. Qui recitat Officium de Sancto de quo habet insi-

gnem

gnem Reliquiam in propria Ecclesia, si celebret eo die in alia Ecclesia, debet omittere *Credo.* S. R. C. 2. *Decembris* 1684. *in una Canonic: Regul. Lateran.*

19. Jn Missa privata de S. duplici, vel semiduplici, de quo tali die fit Officium, potest quidem fieri commemoratio de SS. Sacramento exposito occasione Quadraginta horarum, sed omittenda in Festis 1mæ, & 2dæ Classis. S. R. C. 2. *Decembris.* 1684. *in una Can: Reg. Later.*

20. Jn Missa privata de Festo semiduplici, simplici, seu votiva, vel de infra Octavam, sive de Feria non privilegiata potest in penultimo loco dici collecta pro particulari Defuncto, puta: *Jnclina* &c: vel *Deus qui nos Patrem* &c: & similia, sed ob id non est omittenda ulla ex collectis pro tempore assignatis, puta: *A cunctis* &c: vel *Ecclesiæ* &c: S. R. C. 2. *Decembris.* 1684. *in una Canon. Regul: Lateran.*

21. Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missa, veluti 3. *A cunctis.* si 2da esset de Festo simplici, ut eius loco dicatur Oratio imperata, veluti *Deus refugium* &c: sed post tertiam orationem: *A cunctis* &c: potest & imperata dici, cum in Missa de semiduplici, vel simplici, vel Votiva, non sint necessario dicendæ Collectæ impares, puta 3. 5. vel 7. S. R. C. 2. *Decembris.* 1684. *in una Canon. Regul. Lateran.*

22. Quando dicitur Oratio *A cunctis* &c: vel *Ecclesiæ* &c: non est dicenda Oratio contra Paganos, vel alia huiusmodi, quia sufficienter una continet, quod & altera. S. R. C. 16. *Aprilis.* 1688.

23. Ante Versiculum qui dicitur *Communio* cooperiendus est Calix Velo in anteriori parte, prout ante Confessionem. S. R. C. 1. *Martii* 1698. *in Pragen.*

24. Sacerdos Missam celebraturus transiens ante Altare ubi fit Populi communio, non debet permanere genuflexus, donec, & quousq; terminetur Communio S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

25. Jn Sacrificio Missæ non est adhibenda Palla, à parte Superiori drappo serico cooperta. S. R: C. 22. *Januarii* 1701. *in una Camald. Mont. Cor.*

26. Sacerdotes in Missæ Sacrificio congruentiùs utuntur Cingulo Lineo, quam serico. S. R. C. 22. *Januarii* 1701. *in una Camaldul. Montis Coronæ.*

27. Sacerdotes etiam Regulares, diebus, quibus propria Officia recitant sub ritu duplici, celebrantes in alienis Ecclesiis, quando peragitur festum cum Solemnitate, & concursu popu-

populi, debent celebrare Missas conformando se ritui, & colori earundem Ecclesiarum. Jn aliis vero diebus possunt, sed quando prohibentur Missæ Votivæ, vel Defunctorum, debent se uniformare saltem quo ad colorem. S. R. C. 11. *Junii* 1701. *in una Tertii Ord. S. Franc.*

28. Jn Ecclesiis Regularium diebus Dominicis, quibus tam Regulares, quam exteri celebrant de Dominica, possunt exteri uti coloribus Paramentorum, quibus utuntur Regulares, ratione alicuius Octavæ. Et Regulares celebrantes in alienis Ecclesiis, uti coloribus juxta Ritum eorundem, & tam exteri in Ecclesiis Regularium, quam Regulares in alienis possunt apponere commemorationem Octavæ, ut supra occurrentis, servata Rubrica de publici oratione habenda in Dominicis infra Octavam. S. R. C. 11. *Junii* 1701. *in una Tertii Ord. S. Franc.*

29. Jn Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concessa fuerint, non licet Regularibus cujusvis Ordinis, aut Jnstituti, seu Congregationis, etiam S. J. aut etiam cuiuscunq; Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hierosolimitani, aut aliis quibuscunq; Sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, celebrare in diebus: Paschatis, SS. Resurrectionis D. N. J. C. aliisq; anni festis Solemnibus, ac diebus in Jndulto exceptis: in reliquis vero diebus, prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscunq; etiam Episcopis in præfatis Oratoriis celebrare non liceat, ubi etiam unica Missa, quæ in Jndulto conceditur, celebrata fuerit, super quo celebraturus tenetur diligenter inquirere, & de eo se optime informare. Atq; illam etiam in casibus permissis celebrare nequeat post meridiem, & in omnibus hujusmodi casibus personæ quæcunq; dictas Missas audientes, nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfaciunt. S. R. C. 15. *Decembris* 1703. *approb. Clem. XI.*

30. Sacerdotes non debent deferre manutergium super Calicem, tam eundo, quam redeundo ab Altari. S. R. C. 1. *Septembris* 1703. *in Pisauren.*

31. Cruces Altarium, seu Processionum non sunt benedicendæ de præcepto, potest tamen simplex Sacerdos eas benedicere privatim, & non solemniter. S. R. C. 12. *Julii* 1704. *in una Urbis.*

32. Cingulus, tertium indumentum Sacerdotale, potest esse coloris Paramentorum. S. R. C. 8. *Junii* 1709. *Jn Bracharen.*

33. Quando Altare fuit consecratum admodum Altaris

fixi, cum facris figillis, & unctionibus, inter ftipitem, & Altare, fi motus fuerit lapis Superior, qui format menfam Altaris, à fuo ftipite, tunc execratur Altare. Si vero fuit confecratum ad modum Altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, fed tantum quando frangitur fepulchrum Reliquiarum. S. R. C. 21. *Junii* 1710. *in una Ord: Capuc:*

34. In Altari fub quo funt fepulta Cadavera Defunctorum non poteft celebrari. S. R. C. 11. *Junii* 1629. *in una Turnitana.*

35. Patena ad Miffam, in extremitate, feu ora Patenæ congruentiùs eft ofculanda S. R. C. 24. *Julii* 1683. *in Albiganen.*

36. Non poffe Celebrari Miffas etiam pro animabus purgatorii una hora poft meridiem, ftatutum fuit à S. R. C. 24. *Novembris.* 1661. *in Neapolitana.*

Cætera Decreta S. R. C. huc pertinentia vide infra Cap: fequenti.

CAPUT VIII.

De Miffa privata, quæ fit coram Prœlato feu D. Abbate, in loco fuæ jurisdictionis.

1. NOn dicimus hic de omni Miffa quibus præfens effe poteft D. Abbas, alias nimia pareretur inter Celebrantes confufio, fed de unica hic tantum dicimus, cui voluerit intereffe, & quam audire intenderit, idcirco anticipativè moneat talem Sacerdotem, ipfeq; obligatus erit in tali Miffa fervare ea, quæ fervanda funt. Abbas itaq; in fuo Monafterio, five fit perpetuus, five quinquennalis, in loco tamen fuæ Jurifdictionis, feu in propria Ecclefia, gaudet his prærogativis, quibus & Epifcopus in fua Ecclefia, præfertim ex parte reverentiarum fibi præftandarum, ita fentit *P. Bauldry P.* 3. *c.* 9. *n.* 1. Multomagis his gaudet prærogativis. Jll: D. Præfidens Generalis Congregationis in Ecclefiis omnium Monafteriorum, etiam Præpofiturarum fuæ Vifitationi fubiectarum, cui fimiliter, & fpecialiter præftandæ funt reverentiæ, de quibus hic agimus.

2. Celebraturus itaq; Sacerdos coram D. Abbate, dum tempus eft accedit ad Altare manibus junctis, fine Calice, tecto vero capite, (prius enim Calix paratus effe debet in medio Altaris, fuper Corporale, ficut & Miffale apertum, ac fignatum

tum in cornu Epiſtolæ) factaq; profunda D. Abbati reverentia diſcooperto capite, quando venit ad conſpectum ejus, accedit ad Altaris infimum gradum, ibiq; debitam facit reverentiam; vertensq; ſe aliquantulum ad Prælatum in eodem loco, expectat ſignum incipiendi, quo dato, iterum inclinat ſe D. Abbati profunde, & converſus ad Altare incipit Miſſam ſolito more.

3. Si vero Calix non ſit paratus ad Altare, Celebrans illum deferat, & tunc propter impeditas manus non detegit caput, facit tamen ſolitam cooperto capite reverentiam: in priori vero caſu, quia manus non habet impeditas aperto capite Prælato præſtandam dicimus reverentiam. Veniendo ergo Celebrans ad Altare, caput diſcooperiat, Cruci, ſeu Tabernaculo præſtet debitam reverentiam, aſcendat ad Altare, Corporale expandat, Calicem deſuper collocet, ad Librum in cornu Epiſtolæ accedat, Miſſam præparet, redeat ad medium, ibiq; facta Cruci reverentia, deſcendat in planum, ubi converſus ad Prælatum expectet ſignum, quo accepto incipiat Miſſam.

4. Omnia prædicta, quantum fieri poteſt, debent eſſe parata, ut ſtatim ac D. Abbas acceſſerit ad Altare, Celebrans abſolute incipiat; non enim convenit ut Prælatus expectet Celebrantem, ſed potius Celebrans debet Prælatum expectare. Imo præſtat, ut Celebrans prius accedat ad Altare, quam D. Abbas ad Eccleſiam, ſi monitus ſit antea de adventu Prælati, ut ſtatim ac ipſe acceſſerit, incipiat Miſſam, quod certe convenit. Et ſi D. Abbas nondum advenerit, Celebrans cum acceſſerit ad Altare parat omnia, & in cornu Epiſtolæ ſtans verſus Altare, ipſum Prælatum expectet, & eo adveniente, in cornu Epiſtolæ adhuc ſtans ſalutet D. Abbatem, ſtatimq; deſcendat, & in plano converſus expectet ſignum, eo dato incipiat Miſſam.

5. D. Abbas jubeat ſibi præparare genuflexorium aliquod cum cuſſino, coopertum panno violaceo, aut viridi, illudq; præcipiat locare aut ante medium Altaris, aut ad cornu Epiſtolæ, vel ad cornu Evangelii, ubi commodius erit, & ſitus loci permiſerit. Ubi genuflexus audiat totam Miſſam, nec ſurgat, niſi cum legitur Evangelium. *Ex Cærem: Ep: L. 1. c. 30.* Si etiam adeſſent alii Prælati digniores, aut æquales, illis quoq; non nuda parentur genuflexoria, digniori tamen ſpeciale, aliis autem æqualia, & in una linea, ut ſic commode poſſent omnes ſimul audire Miſſæ Sacrificium.

6. In facienda Confeſſione Celebrans, ubi dicit: *Vobis Fratres.* & *Vos Fratres*, converſus ad D. Abbatem ſuum, vel ad digniorem, ſi plures ſint, cum profunda inclinatione dicat: *Tibi*

Pater, & *Te Pater.* Ad *Misereatur*, & *Indulgentiam* nihil mutatur, neq; de iis quid speciale in Cærem: Episc: notatur.

7. Finita Confessione, & dicto: *Oremus*; dum ascensurus est ad Altare facta prius Cruci, vel Tabernaculo debitâ reverentiâ, convertat se ad D. Abbatem, eiq; profundè se inclinet, ac tum ascendat ad Altare, resumendo: *Aufer à nobis &c.* cætera peragit ut in aliis Missis, nullâ factâ posthac reverentiâ.

8. Perlecto Evangelio non osculatur Librum Celebrans, nec dicit: *Per Evangelica dicta &c.* sed Religiosus Ministrans tali Missæ, accipiens Missale, defert illud ad D. Abbatem, vel si sint plures Prælati ad digniorem tantum, qui, osculato initio textûs Evangelii, dicat *Per Evangelica dicta &c.* Si autem sunt plures Prælati æquales, & nullus dignior, Liber Evangeliorum nulli datur osculandus, sed nec ipse Celebrans deosculatur.

9. Dicto *Agnus DEI &c.* atq; terminatâ prima Oratione, Celebrans osculetur Altare, & ambabus manibus accipiens Pacis Instrumentum cum SS. Reliquiis intrò, quod ad cornu Epistolæ, in Altari, penes Corporale stare debet in tali Missa, illudq; osculetur, ac Ministro tradat. Minister vero Religiosus, nunquam sæcularis accipiet dictum Pacis Instrumentum non nuda manu, sed per velum, & deferet D. Abbati, nullam ante faciens reverentiam, nisi post osculum. Si autem sint plures Prælati, Minister Religiosus deferat per ordinem ad osculum incipiens à digniori, cuilibet post, non ante faciens reverentiam; reportet postea ad Altare, ibiq; collocabit ubi prius fecit.

10. Antequam Celebrans det Benedictionem, dicto *Placeat &c.* & *Benedicat vos omnipotens DEUS*, conversus ad D. Abbatem, eiq; profundè se inclinans, & quasi petens ab eo licentiam benedicendi, prosequitur: *Pater & Filius*, ✠ *& Spiritus Sanctus*, benedicens tantum assistentes à parte illâ, ubi non est Prælatus. Post finem ultimi Evangelii Celebrans ad D. Abbatem conversus, adhuc stans in cornu Evangelii, facit illi profundam reverentiam, & eo discedente, redit in Sacristiam. Si vero D. Abbas needum discesserit, Celebrans recedendo ab Altari descendit in planum, ubi facta prius Altari debitâ reverentiâ, conversus ad Prælatum, ei se profunde inclinat, & operto capite, redit in Sacristiam, ad deponenda paramenta.

11. De Patenæ ad osculum delatione, nulla est in Decretis S. R. C. mentio, nullusq; Author de tali Cæremonia scribit, sed hic in Regno Poloniæ mos tantum invaluit ab antiquo, qui potius corruptela, & abusus dici debet, & nunquam pro usu approbari; præsertim, quia Pacis Instrumentum, & Liber E-

van-

vangeliorum deferri debeant ad osculum, quæ Cæremoniæ sufficere possunt distingvendi Prælatum à simplici Sacerdote. Nullus ergo favor est prœstandus consvetudini Regni, cum nullum concessionis hujus appareat fundamentum, maximè quia S. R. C. districtè præcipit: *Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec antiquæ immutandæ, absq; expressa licentia, quam dare debet S. R. C.* 12. *Maii*, 1612. *in una Urbis.*

12. Si autem Sacerdos celebret coram Prælatis extraneis, vel coram suo D. Abbate, extra locum tamen suæ Jurisdictionis, Missam dicat ac si nulli essent Prælati; cum etiam ipsis Capellanis Episcoporum præcipitur, ut extra eorum Diæcesim, ab hujusmodi ritibus absineant. Sed accedens ad Altare si est propè D. Abbas, & transeat ante illum faciat illi profundam inclinationem sed capite recto, cum sint manus impeditæ, propter Calicem, quem portat, simili modo in recessu ab Altari post Missam, dictam faciet reverentiam. Ante tamen Evangelium ultimum, priusquam benedicat populo, versus eundem D. Abbatem tantum inclinabit caput. Plura facere non tenetur, quemadmodum & Minister.

13. Sub tempus Capituli Generalis Sacerdos celebraturus Missam, conspiciens multos Abbates in Choro præsentes, accedendo ad Altare, si transeat per Chorum Ill. D. Præsidenti Generali, vel Definitorii, utpote his omnibus pro eo instanti digniori, seorsivè profundam faciet reverentiam; cæteros autem DD. Abbates capitis inclinatione mediocri semel in unam partem, & semel in alteram salutabit, reliquos vero, si dispersi per Ecclesiam apparebunt, non animadvertet, quia oculis demissis incedendo, non debet ad scamna, aut alias Ecclesiæ partes eosdem oculos vertere, sed viam, qua graditur, attendere. Et si propè illud Altare, ubi celebrat, sedeant nonnulli DD. Abbates, Missam suo ordine peragat, absq; ullis reverentiæ signis, quia S. R. C. omnesq; Rubricistæ in congressu multorum Prælatorum sibi æqualium præcipiunt, ut Celebrans ad hæc non attendat, sed quemadmodum in absentia eorum, ita celebret, quod in pari casu procedendum est.

Decreta S. R. C. ad Caput VII. Spectantia.

6. 37. Quando tertia Oratio in Missis est ad libitum, & ex jussu summi Pontificis, vel Episcopi debet apponi aliqua specialis oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turcas, vel

ad petendam Serenitatem, aut Pluviam &c. hæc oratio debet recitari tanquam ex præcepto quarto loco, non omissa tertio loco illa, quæ est ad libitum, seu pro devotione Sacerdotis eligenda. S. R. C. 17. *Augusti* 1709. *in Bergomen.*

38. Cum in Missali ultra primam in principio, detur & altera Rubrica in ordine, & Canone Missæ, & inter has videtur aliqua discrepantia, præcipuè in inclinationibus, & manuum junctionibus, quæritur, quænam sequenda? Responsum fuit: pari forma sequendas esse tum Rubricas generales; tum particulares Missalis Romani, præcipuè ad Cæremonias inclinationibus, & manuum junctione recte peragendas. S. R. C. 21. *Martii* 1744. *in Bergomen.*

39. Quando frequenter fiunt expositiones SS. Sacramenti publice in Altari majori, & præter Missam solemnem, dicuntur etiam Missæ privatæ ad idem Altare majus, an etiam in Missis privatis ad Altare Majus, & ad alia Altaria minora, durante expositione Sanctissimi, poterit fieri commemoratio de Sacramento? Responsum fuit: Poterit fieri commemoratio de SS. Sacramento durante expositione. S. R. C. 7. *Maii* 1746. *in Varsavien.*

40. Genuflexio utroq; genu est facienda à transeuntibus ante SS. Sacramentum, etiamsi fuerit in Pixide patenter expositum. S. R. C. 7 *Maii* 1746. *in. Varsavien.*

41. Utrum Sacerdos Sæcularis, vel Regularis habens officium duplex, & quid si duplex 1mæ, vel 2dæ Classis, celebrans in aliena Ecclesia ex devotione, ubi celebratur Festum Solemne, debeatne celebrare Missam, conformando se illi Ecclesiæ, ubi celebrat, etiam quod ad Solemnitatem, & Colorem Paramentorum? Utrum etiam Sacerdos Sæcularis, vel Regularis habens Officium duplex, & quid si duplex 1mæ, vel 2dæ Classis celebrans in aliena Ecclesia ex obligatione, in sepultura solemni alicuius Cadaveris, vel exequiis solemnibus, debeat se conformare illi Ecclesiæ, celebrando Missam de Requiem? Responsum fuit: serventur Decreta alias edita *in una Lutii Ord. S. Franc. die* 11. *Junii* 1701. Et Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares conformare se debent Ritui Ecclesiæ, in qua celebrant S. R. C. 29. *Januarii* 1752. *in una Ord. Carmel. Discalc. Prov. Poloniæ.*

42. Mandavit, & præcepit servari ad ungvem Cæremoniale Episcoporum, S. R. C. 4. *Septembris* 1678. *in Colaritana. Annuente Urbano VIII. in Constit:* quæ incipit: *Exponi nobis fecerunt.*

C A-

CAPUT IX.

De Cæremoniis in Missa Solemni, ac Vesperis præsente D. Abbate parato.

I. QUod attinet Missam Solemnem à simplici Sacerdote Celebratam præsente D. Abbate parato, non denegat Rubrica speciales Cæremonias, & veluti Episcopis prærogativas factas, hoc tamen omnino prærequirit, ut DD. Abbates ad talem Missam sint induto Rochetto, & Mozzetta, quia ut P. Merati refert *P. 2. tit. 3. in Notis ad Rubr: 2. n. 4.* hæc sunt plenariæ Jurisdictionis signa, sic enim dicit loc. cit. *In Ecclesiis Regularium, in quibus,* (DD. Abbates, seu Prælati) *habent usum Rochetti nudi & Mozzettæ, quæ sunt plenariæ Jurisdictionis signa, debet Sacerdos Celebrans coram prædictis adimplere ea, quæ tradit Gavantus supra.* Et paulo post, *Idem præstare debet, quod præstat ad præsentiam supradictorum,* (videlicet Cardinalium, Archiepiscoporum, & Episcoporum in illorum Diæcesibus) *si Celebret coram Abbate benedicto, & habente usum Mitræ, & Baculi--ex paritate dignitatis, in loco tamen suæ Jurisdictionis.* Pariter sentiunt. *P. Bauldry P. 3. c. 9. n. 1. & tit: 6. Rubr. 6. n. 3. Hyppolitus à Portu P. 2. c. 4. tit 3. Rubr. 2. in adnot: n. 5. Corsettus. Tonellius.* inhærentes Gavanti, & Communi sententiæ.

2. Ut etiam deferatur Liber Evangeliorum à Subdiacono, DD. Abbatibus, ad osculum, post decantatum à Diacono Evangelium, probat concessum P. Merati *P. 2. tit. 6. in adnot. ad Rubr. 2. n. 9.* ubi explicando textum Gavanti sub Litera R-*Ob reverentiam Prælatorum, datur eisdem Liber osculandus.* adducit plura S. R. C. Decreta, per quæ maioribus Prælatis, iis videlicet, qui habent usum Mitræ, & Baculo in loco suæ Jurisdictionis, allegat debere deferri Librum Evangeliorum ad osculum, Decreta autem vide in serie, infra. Et quod Abbatibus Commendatariis ob non habitam Jurisdictionem, est denegatum, illud Abbatibus Regularibus præsupposita Jurisdictione gratiose concessum est, una cum insigniis Jurisdictionis.

3. Confirmat hoc late P. Bauldry *P. 5. in 1. L. Cærem: Episc. c. 9. n. 33. 34. & 35.* ubi inter alia hæc habet: *Notandum obiter, quod in Ecclesiis Regularium Abbates Commendatarii non debe-*

debeant osculari Librum Evangeliorum, in fine Evangelii etiam in Monasteriis, quæ dantur illis in Commendum, de jure; nec incensari ullo modo à fortiori, cum Episcopus non paratus non debeat incensari eo loco, nec initio Missæ, sed tantum post Oblata. Aliter autem sentire jubet de Abbatibus benedictis, habentibus usum Mitræ & Baculi, consequenter usum Rochetti & Mozzettæ tanquam plenariæ jurisdictionis Signa. Abbates Quinquennales electi, quia per confirmationem Ill. D. Præsidentis gaudent omnibus, quibus benedicti Abbates privilegiis, ut declarant *Constit: Congr. nostræ. P. 2. c. 1.* ideoq; dictæ prærogativæ iisdem debito ordine competere debent.

4. Itaq; D. Abbas indutus Rochetto, & Mozzetta, sedebit in parato scamno tapetibus cooperto, prope Altare, non autem à longe, ne forte Ministris Sacris accedentibus, propter longam viam, sit molestia, & incommodum, ac debeant contra Rubrum nimio citiùs deambulare, quod repugnaret gravitati, & modestiæ, quam, tam Celebrans quam Ministri præseferre debent. Habeat ergo D. Abbas prope Altare sedem suam, & tunc facta Confessione in Missa solemni & deosculato Altari, Subdiaconoq; penes Celebrantem remanente; Diaconus accepta navicula, cum Thuriferario à sinistris suis, accedat (solitis servatis reverentiis) ad sedem D. Abbatis, petatq; benedictionem pro imponendo thure dicens: *Benedicite Pater Reverendissime.* non prætermissis etiam debitis osculis cochlearis, & Manus D. Abbatis. Qui surgens in sede sua, stando ter immittit thus in thuribulum, benedicitq; dicens: *Ab illo benedicaris in cuius honorem cremaberis. Amen*, ac facit super eo signum Crucis dextera. Diaconus ac Thuriferarius benedicto incenso, cum paribus ut supra reverentiis recedunt, & accedunt ad Celebrantem, qui sumpto thuribulo incensat solito more Altare. Finitâ incensatione Altaris, Diaconus recepto à Celebrante thuribulo, eum in cornu Epistolæ incensat prius duplici ductu, tum una cum Thuriferario procedit ad sedem D. Abbatis, cum solitis reverentiis, quem trino ductu incensat, receditq; cum solitis inclinationibus, & nullum amplius incensat.

5. Dum terminatur Oratio Missæ, Subdiaconus cantaturus Epistolam genuflectat prius Altari, dein D. Abbati profundam facit reverentiam, & accedit ad cornu Epistolæ, ibiq; cantat Epistolam. Qua finita tenens Librum Epistolarum ante pectus clausum, factaq; in medio Altari genuflexione, cum debitis reverentiis accedit ad D. Abbatem, ubi manum eius

supra

ſupra Librum poſitam oſculatur, & ab eo ſigno Crucis facto benedicitur, poſtea cum debitis reverentiis ad Celebrantem revertitur, qui Subdiaconum expectat ad cornu Epiſtolæ quousq; venerit. Transfert deinde Subdiaconus Miſſale, more ſolito, & alia debito Ordine peraguntur.

6. Perlecto à Celebrante Evangelio, ipſe Celebrans procedit ad medium Altaris ibiq; ſtat, & Diaconus accepto à Cæremoniario Libro Evangeliorum, collocat eum in Altari, & deſcendens in planum, accipit naviculam, proceditq; cum Thuriferario ad D. Abbatem, qui imponit, & benedicit incenſum more ſolito ut prius, Diaconus vero cum Thuriferario factis debitis ante, & poſt reverentiis accedunt ad Altare, Diaconus aſcendens ad 2. Altaris gradum, genuflectit in ſuppedaneo, dicit: *Munda Cor meum* &c: accipit Librum de Altari, & medius inter Ceroferarios Cereos accenſos in Candelabris portantes, accedit cum ſolitis reverentiis ad D. Abbatem, à quo ſtante Benedictionem accipit, manum illius oſculatur, & revertitur eodem quo venerat ordine ad locum ſuum. Subdiaconus autem perſiſtit immobiliter in loco ſuo, in plano ante medium Altaris.

7. Finitis à Choro Tractu, vel Graduali, Diaconus ad locum cantandi Evangelii; ubi ita conſiſtunt, ne ullus eorum terga vertat Altari, vel D. Abbati. Decantato per Diaconum Evangelio Ceroferarii facientes D. Abbati ſemel profundam reverentiam, recedunt ad loca ſua; Subdiaconus directe portat Librum apertum non Celebranti, ſed D. Abbati ad oſculum, nulla prius facta reverentia, niſi in receſſu poſt oſculum, nec iam alteri datur ad oſculandum prædictus Liber Evangeliorum. Diaconus vero dato manu ſigno, ubi initium eſt Evangelii, una cum Ceroferariis hinc inde conſiſtentibus genuflectit ante medium Altaris, & ſtatim accipit Thuribulum à Thuriferario, & incenſat non iam D. Abbatem, ſed ipſum Celebrantem ut infra ex deciſione S. R. C. patebit.

8. Poſt oblationem Calicis, data in manus Subdiaconi Patena, eaq; velo oblongo obtecta, Diaconus accepta Navicula una cum Thuriferario procedit ad D. Abbatem, non omiſſis ſolitis reverentiis, eiq; porrecto Cochleari cum debitis oſculis, petit benedictionem imponendi incenſi, dicendo: *Benedicite Pater Reverendiſſime.* D. Abbas imponit incenſum in Thuribulum, illudq; benedicit dicens Orationem *Per intercessionem* &c: Miniſtri ergo accepta benedictione cum debitis re-

verentiis recedunt ad Celebrantem, qui accepto à Diacono thuribulo incensat Oblata, & Altare more consveto. Incensatione finita à Diacono primo Celebrans bino ductu, deinde D. Abbas in sede trino ductu incensatur, & accepta, per signum Crucis, erga se formatum benedictione Diaconus, prosequitur suam incensationem Chori, & Ministrorum. Interim Celebrans omnia peragit absq; ullo respectu, usq; ad *Agnus Dei.*

9. Post *Agnus Dei* &c: Subdiaconus accepta pace post Diaconum ab ipso Celebrante defert illam vel per osculum, vel per Instrumentum, ut mos fert receptus, primo D. Abbati, qui si per Instrumentum, accipiens illud, in manibus suis osculatur, si autem per osculum subponenti Subdiacono manus suas, Manibus suis D. Abbas faciat complexum, & ab eo recipiat pacem. Si plures sint in Choro DD. Abbates, ut sub tempus Capituli generalis fieri consvevit, & Ill. D. Præsidens Celebraverit, tunc non Subdiaconus, sed Archidiaconus Pacem deferre tenetur, & tribuendo uni ad unam Chori partem, reliqui in eadem parte, vicissim à semetipsis accipient, deinde accedet ad alteram Chori partem ibiq; primo tantum tribuet, ut vicissim consequenter à semetipsis accipiant sive per Osculum, sive per Instrumentum.

10. Dicto *Placeat tibi S. Trinitas* &c: Celebrans facta Cruci reverentia, convertens se ad populum, vertit se aliquomodo erga D. Abbatem, cui profunde se inclinans benedicit semel populo dicens: *Pater, & Filius, ✠ & spiritus Sanctus*, non ad eam partem ubi D. Abbas habet sedem, sed ad aliam, & legit ultimam Evangelium. Quo finito descendit cum Ministris in planum, ubi facta Altari, seu Tabernaculo debita reverentia, statim ex opposito sedis Abbatialis omnes efficiunt quasi lineam rectam, sic constituti, omnes simul profunde se inclinant, & tecto Capite Celebrans cum Sacris Ministris eodem quo venerat, ordine revertuntur in Sacristiam.

11. Hoc tamen Ministri animadvertere debent, quod, quando D. Abbas non est paratus, hoc est Rochetto, & Mozzetta non est indutus, sed aut in quotidiana, aut alia ordinaria veste appareat in Choro, non debet fieri prædictæ præeminentiæ ostentatio, sed tantum in accessu, & recessu Missæ, atq; ante benedictionem, debet fieri congrua reverentia, ut cap: præcedenti dictum est. Nam & Episcopus, si non est paratus, scilicet Cappa Episcopali, aut Pluviali indutus, nullomodo potest prætendere prædictos honores, ut & Decreta S. R. C. & omnes Rubricistæ testantur. Tunc tantum

dictos

dictos actus reverentiales D. Abbas exigere potest, quando advenit paratus, Rochetto, & Mozzetta indutus, Birretoq; caput coopertum habens, sedeat in sede seperata prope Altare, non vero in Stallis choralibus; magnum enim causaretur incommodum Ministris, si deberent usq; ad Stalla choralia procedere, ibiq; gradus aliquos conscendere.

12. Pariter ad Vesperas parato ut supra D. Abbate, Celebrans egressus de Sacristia antequam ad medium venerit Altaris, consistens cum Ministris ex opposito sedis ejus in una recta linea, aperto capite simul omnes profundam faciunt ei reverentiam, postea accedentes ad gradus Altaris genuflectunt parumper orantes, surgunt dein & facta prius Altari, postea D. Abbati debita reverentia, recedunt ad sedem sibi paratam, quæ debet esse ex opposita parte sedis Abbatiali, paulo tamen inferius, remanentibus tantum Ceroferariis in locis suis. Dicto Celebrans in sede sua *Pater. & Ave,* versus D. Abbatem profundam faciat reverentiam, quasi licentiam ab eo petens incipiendi; cui D. Abbas nutu quodam Capitis annuit, reliqua peraguntur, ut suo loco dictum est.

13. Capitulum vel per Celebrantem, vel per unum ex Clericis, aut Cæremoniarium paratum superpelliceo, in loco ubi Epistola cantari solet, decantetur; si autem per Celebrantem in sede sua, & si per Clericum, nullus ei assistit, sed ipse debitas facit reverentias Altari, & D. Abbati ante, & post Capitulum. Hymnus, & Antiphonæ à Cantoribus intonantur, & dum Antiphona ad *Magnificat* à Choro decantatur, primus Assistens loco Diaconi, accedit cum Thuriferario ad D. Abbatem cum debitis inclinationibus, cui erecto, ministrat, naviculam, & inclinatus porrigit cochlear cum debitis osculis, dicendo: *Benedicite Pater Reverendissime.* Imposito, ac benedicto more consveto incenso à D. Abbate, Assistens cum Thuriferario præstitis debitis reverentiis revertuntur ad Celebrantem, qui cum cæteris Ministris procedit ad Altare, facta ut initio solita reverentia D. Abbati.

14. Incensato Altari, Celebrans descendit cum Ministris, & facta in transitu profunda reverentia, revertitur ad sedem suam, ubi ab Assistente primo Celebrans bino ductu ad Altare prius thurificatur, mox D. Abbas in sede sua cum debitis inclinationibus ab eodem incensatur, triplici ductu, postea alii de Choro, deinde Assistentes ac cæteri Ministri. Reliqua ad Vesperas peragit Celebrans ac si nullus Prælatus esset. In fine

ſine tamen revertendo in Sacriſtiam eodem ordine facient ſolitas reverentias, ſicut ab initio.

15. Si autem Completorium ſtatim poſt Veſperas ſolemniter eſt peragendum, Celebrans non recedit de loco ſuo, ſed in eodem permanet, peracturus ea omnia, quæ ſupra P. I. c. 11. *de Completorio ſolemni* dictum eſt. Hæc tantum ex parte D. Abbatis præſentis, & parati obſervanda ſunt, quæ ibidem n. 5. ſunt prænotata, ut ſcilicet Celebrans antequam dicat: *Indulgentiam* &c: & ℣. *Benedicat vos* &c: prius erga D. Abbatem profunde ſe inclinet, ac ſi licentiam benedicendi ab eo petat, ad quæ D. Abbas nutu quodam Capitis annuere debet.

Decreta S. R. C.

1. Evangelium non traditur oſculandum, niſi Epiſcopis, Prælatis majoribus, & Principibus magnis; non autem Gubernatoribus, & aliis Miniſtris. S. R. C. 28. *Auguſti* 1589. *in Melphitana.*

2. Commendatario ſive eius Procuratori non debet deferri liber oſculandus in Miſſa. S. R. C. 17. *Septembris.* 1611. *in una nullius Marubii.*

3. Finito Evangelio Miſſæ Solemnis cui aſſiſtit Epiſcopus cum cappa, thurificandus eſt Celebrans, non verò Epiſcopus. S. R. C. 4. *Auguſti.* 1663. *in una Dalmat.*

4. Abſente Epiſcopo thurificandus eſt Celebrans triplici ductu thuribuli. S. R. C. 30. *Januarii* 1616. *in Comen. Vallurier.*

5. Modus benedicendi alios, vel rem aliquam debet eſſe cum manu recta, & digitis ſimul junctis, & extenſis. S. R. C. 24. *Julii.* 1683. *in Albiganen.*

C A P U T X.

De Miſſa prima novi Sacerdotis.

I. CUm aliquis ex noſtris Religioſis, ad Sacerdotii gradum promotus, primo eſt Miſſam celebraturus, ornetur Altare paramentis coloris feſto vel tempori convenientis. Veſperæ tam primæ, quam ſecundæ ab ipſo ſolemni-

lemniter celebrabuntur, prout in Festis Solemnibus, Campanæ quoq; solemniter pulsabuntur, ut populus congregari valeat. Jn 1. tamen Vesperis Neo-mysta paratus cum Ministris procedit ad Altare, & genuflexus in infimo gradu, solus inchoabit Hymnum: *Veni Creator Spiritus*. Choro reliqua prosequente, & ipse novus Sacerdos genuflexus permanebit cum omnibus Ministris, etiam Ceroferariis, ut innuit *Cærem: Monast. Bened: Rom:* L. 1. c. 25. n. 3. Finito Hymno assistentes decantabunt ℣. *Emitte Spiritum* &c: & responso à Choro, ipse Neo-Mysta erectus decantabit Orationem *DEUS qui corda* &c: concludendo: *Per Christum Dominum nostrum*, & non aliter.

2. Jn crastinum adveniente hora Missæ solemnis, Neo-Mysta accedet ad D. Abbatem, vel in eius absentia ad P. Priorem, coram quo genuflexus petet benedictionem Superioralem, pro explendo tanto munere, dicendo: *Benedicite Pater Reverendissime*, vel *Pater Reverende*, & accepta benedictione, recedet in Sacristiam ad sumenda Sacra Paramenta, ibi honoris gratia, novo Sacerdoti præstanda, ex antiquioribus, & perfectioribus Sacerdotibus duo inservient, Officia Diaconi, & Subdiaconi suscepturi; & tertius ex Senioribus Patribus, maximè, qui dederat perfectam informationem Celebrandi, dictumq; Neo-mystam edocuerat Cæremonias, superpelliceo, & Stola indutus, ministrabit, ut præsto ei esse in omnibus possit. Et si novus Sacerdos sit in aliqua iam dignitate constitutus, vel alia de causa, poterit ei assistere dictus P. Senior cum Pluviali, ut notat *P. Bauldry P.* 3. *c.* 10. *n.* 1.

3. Neo-Mysta parat se itaq; ad Missam ordine superiùs P. 2. c. 2. §. 1. n. 6. præscripto, imponit incensum in thuribulum, & procedit cum Sacris Ministris, veniensq; ante Altare, genuflectit in infimo gradu, ubi sic genuflexus, manibus ante pectus junctis, intonat ut in 1. Vesp. Hymum *Veni Creator Spiritus*, imploratq; gratiam S. Spiritus, ut digne officium Sacerdotale, non tantum hac die, verùm usq; in finem Vitæ explere valeat, & manet genuflexus cum omnibus suis Ministris, donec Chorus prædictum Hymnum compleverit. Quo finito, & decantato ℣. per Diaconum, & Subdiaconum ipse Neo-Mysta decantat Orationem: *DEUS qui Corda fidelium* &c: nec aliter concludit nisi: *Per Christum Dominum nostrum*. quia conclusio Orationis longior tantum uti-

tur

tur ab Ecclesia in Missis, & Officio Divino. Tum ordine suo inchoat & perficit Missam, inter cujus solemnia, conveniret, ut fieret sermo ad populum: de dignitate, & reverentia Ordinis Sacerdotalis.

4. Finita Missa juxta morem in Ecclesia usitatum, & in nostro Regno Poloniæ receptum, curabit omnibus præsentibus manus suas imponere super capita eorum, dicendo *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Imprimis verò si præsens fuerit D. Abbas, ob reverentiam Prælato Superiori suo exhibendam, accedet ad sedem eius, & superimponens manus capiti illius proferet supradicta verba, osculabiturq; manum eius. Tum revertetur ad Altare, ubi accedentibus Religiosis ordine suo, pariter imponet manus, ut supra, cuilibet Sacerdoti dans osculum in vertice. Et deinde deposita Casula seu Planeta, ac Manipulo, sæcularibus personis, & omni populo imponet manus supra capita eorum, non iam ambas cuilibet, sed saltem unam, & hoc magis per tactum, ut citius dictam peragat Cæremoniam, maxime ubi fuerit concursus populi, repetendo prædicta verba, non tamen post quamlibet impositionem manuum. His peractis revertetur in Sacristiam, & depositis sacris paramentis, factaq; brevi oratione recedet in pace. Eadem ipsa Cæremonia celebritatis observari debet, dum aliquis in Ordine Presbyterali Quinquagesimum Annum inchoaverit; & tunc 2das Primitias Ecclesia celebrare concessit, cum iisdem Indulgentiis, cum quibus & primæ Primitiæ sunt absolutæ. Excepta sola manuum impositione, quæ non est in usu.

FINIS
PARTIS SECUNDÆ.



PARS

* * * * *

PARS III.

De Ministris ad Celebranda Sacrificia Missæ.

CAPUT I.

De Officio Archidiaconi, seu Presbyteri assistentis.

1. Ex Decreto S. R. C. 10. *Julii* 1604. *in Mantuana*, ut refert Barbosa non tantum Episcopis, sed etiam Prælatis Episcopo inferioribus, uti DD. Abbatibus, insuper etiam non Prælatis, uti Canonicis, ubi talis est consuetudo, potest dari aliquis Presbyter Assistens, qui aliter appellatur Archidiaconus, ministrans Missæ Solemni, præter Diaconum, & Subdiaconum; nec non ad Vesperas, aut actum Ordinationis Clericalis, aliosq; Actus extraördinarios, sed solemnes.

2. Itaq; ut D. Abbati aliquis assistat Archidiaconus, dignior ex Communitate, ad hoc Officium explendum, eligatur: quia *Cærem: Monastico-Benedictinum exemptæ Congr. Bavaricæ SS. Angelorum Custodum* idem declarat in addit: §. I. his verbis: *Archidiaconus, secundum Cæremoniale Episcoporum, sit semper dignior ex Presbyteris in Choro, atq; adeò in nostris Monasteriis P. Prior, vel Supprior, Priore forsitan impedito.* Cæremoniale autem Episcoporum L. 1. c. 7. sic innuit: *Inter omnes Episcopi Ministros, qui ei in Divinis assistunt, & serviunt, primus, & Dignior est Presbyter assistens, qui idcirco debet esse dignior ex Presbyteris, tam Canonicis, quam dignitatibus, qui in Choro cum aliis sedere solent; nec refert quo nomine nuncupetur, an Archidiaconus, an Archipresbyter? sed attenditur ut sit dignior omnino ex omnibus, & in Sacerdotio constitutus, atq; in Sacerdotalibus Officiis expertus, ut digne, & decenter officium suum exercere valeat, & opportune Episcopo rem Divinam agenti, ministrare possit.* Idem sentit & P. Bauldry P. 5. c. 7. a. 1. n. 1. atq; *Cærem: Monast: Viennæ editum. P.* 1. *dist* 4. *c.* 1. *n.* 7.

3. Sive assistat ad Vesperas, sive ad Missam, semper tamen indutus sit superpelliceo, stola, & Pluviali coloris convenientis: Ita *Cær: Bav. P.* 1. §. 1. *pag.* 2. Locus ejus, nisi aliter sitûs ratio requirat, semper à dextris, vel quasi ante faciem D. Abbatis, magis ad dexteram semiversus: quando sedendum erit, super scabellum, pictum quidem, sed nudum sedere debet. Si ali-

aliqua specialis Cæremonia explenda erit, uti collatio Minorum Ordinum, aut quid aliud publicùm Actum concernens; priùs omnia perfecte prævideat, ut innuat per ordinem quæ sunt agenda in tempore. Officium suum communiter & ordinarie tantum peragere debet ad Missam Solemnem, Vesperas pariter Solemnes, & Ordinationem, non tamen ad Matutinam licet solemniter peragatur, nec ad Missam pro Defunctis, neq; ad absolutionem ad castrum doloris.

4. Dum se parat D. Abbas, sive pro Vesperis, sive pro Missa, Archidiaconus lavanti manus debet annulos extrahere, manutergium porrigere. Crucem pectoralem, & annulum imponere. Ad Altare ordinariè procedit ante D. Abbatem à dextris Diaconi junctis ante pectus manibus, & capite discooperto, veniendo in planum ante gradus Altaris, recedit parum ad cornu Epistolæ, & inclinans se, convertit faciem ad D. Abbatem venientem, quasi eum ad Altare invitaturus, & statim simul cum D. Abbate facie versa ad Altare consistit. Veniendo ad sedem, dum D. Abbas Vesperas incipit, dicens *Pater*, & *Ave*, inclinatus, erigit se & signat cum D. Abbate dicente: *DEUS in adjutorium &c.* Sedente D. Abbate ipse quoq; sedebit, nisi nimis parvo spatio, aut dum officium suum explet, stare cogatur.

5. Si D. Abbas inchoabit Hymnum, Archidiaconus librum supra caput sustinebit, pariter si orationem, unam, vel plures decantabit in fine Vesperarum. Finito tamen Hymno & D. Abbate sedente, Archidiaconus capiet naviculam de manu Ministri, seu Cæremoniarii, de qua extrahet cochlear, illudq; osculatum, una cum manu D. Abbatis, porriget ad imponendum thus, ac simul benedicendum dicens: *Benedicite Pater Reverendissime.* Imposito ac benedicto incenso, factisq; ante & post inclinationibus, reddet naviculam Ministro, & inchoato Cantico *Magnificat*, sequetur, & non præibit ad Altare D. Abbatem, manibus ante pectus junctis. Ubi post osculum Altaris, stans à dextris D. Abbatis cum debitis osculis præbet ei thuribulum, & recedit ad cornu Epistolæ, ibi in 2. gradu expectat finem incensationis; quia ex Decr: S. R. C. referente *Barbosa in suis Collect.* Diaconus & Subdiaconus assistere debent D. Abbati, hinc inde elevantes Pluviale ejus. Incensatione peracta thuribulum in cornu Epistolæ à D. Abbate receptum Thuriferario reddit, sequiturq; D. Abbatem ad sedem suam redeuntem, eo quo prius modo.

6. Consistente D. Abbate in solio suo, Archidiaconus ascendit ante infimum sedis gradum, accipit thuribulum à Thurifera-

ferario, & facta semel profunda inclinatione incensat triplici ductu D. Abbatem stantem cum Mitra (nisi sit expositum Sacramentum) facta dein post debita inclinatione, reddit thuribulum Thuriferario, receditq; ad locum suum, in quo à Diacono bino ductu incensatur.

7. Si autem ex rationabili causa præter majus Altare, aliud incensandum est, tunc finita incensatione Altaris, & D. Abbate recedente ad sedem suam, Archidiaconus facta debita reverentia D. Abbati in solio, præcedentibus Thuriferario, & Cæremoniario, atq; Ceroferariis cum candelis accensis, procedit ad dictum Altare, illudq; thurificat debito ordine. Incensato illo Altari revertitur ante sedem D. Abbatis, ubi inter Ceroferarios medius constitutus, facta debita reverentia thurificat D. Abbatem solito more, & postea recedentibus Ceroferariis ad loca sua ipse quoq; incensatur.

8. Finito *Magnificat*, dum dicit D. Abbas *Kyrie eleison*. Archidiaconus accepto Breviario, tenet illud supra caput suum, tam ad Orationem Dominicam, quam ad alias orationes competentes, quia quidquid D. Abbas est cantaturus, officium Archidiaconi est, ut sustineat Librum, quidquid autem planè recitat, ad Capellanum de Libro spectat. Finitis Orationibus non priùs demittet Librum, quam terminato *Per omnia sæcula sæculorum*, & tunc facta D. Abbati reverentia, sicut & ante, recedit ad locum suum, & finitis Vesperis eodem, quo venerat ordine, in Sacristiam revertetur.

9. Ad Missam, quam Celebraturus est D. Abbas, Archidiaconi præcipua cura erit, totam Missam prævidisse, omnesq; Cæremonias, & actus, quos D. Abbas facturus est, observasse, signacula in Missali disposuisse, ut illi præsto omnia sint, suggerendo voce submissa, vel modeste nutu indicando, si in aliquo forte deficeret, præsertim apud Altare, dum Missam peragit. Ad manuum lotionem antequam D. Abbas sacris se induat porrigat illi manutergium, osculans illud priùs: pariter adjuvabit ad alias lotiones manuum tempore Missæ, quoties opus erit, si fieri potest commode, & non sit impeditus.

10. D. Abbati sacris paramentis induto, ac sedenti Archidiaconus accedens imponet Annulum Pontificalem, in digitum annularem dextræ manûs, illius annulo, & manu priùs deosculatis. Mox naviculam administrabit, petetq; benedictionem thuris, sicut in Vesperis. Cum D. Abbas procedit ad Altare, ipse ante illum incedet, ad dexteram Diaconi de Evangelio, capite nudo, manibus ante pectus junctis, venientem ad Altare

recipiet ut prius conversa ad eum facie. Facta Altari genuflexione, ad Confessionem stabit ad dexteram D. Abbatis, cui respondebit, se signans, & inclinans cum eo, ac pectus percutiens, & cum dicit in Confessione *Tibi Pater*, & *Te Pater*, & *Misereatur Tui*, profundius se versus D. Abbatem inclinabit.

11. Finita Confessione dum D. Abbas ascendit ad Altare, elevat vestes anteriores illius, à parte sua, & statim recedit ad cornu Evangelii, ubi D. Abbati osculanti prius Altare, porrigit una cum Subdiacono Librum Evangeliorum ad osculandum, apponendo manum pro indicatione initii Evangelii diei; Et statim retrahit se ad cornu Evangelii, ubi in 2. gradu consistit, aut in plano, expectans finem incensationis. Redeunte D. Abbate ad sedem suam, ipse eum sequitur, & ad dexteram ejus stat, ad Introitum cum eo se pariter signat, nec tunc Librum tenet, quia planè recitatur Introitus.

12. Lecto Introitu cum D. Abbas dicit *Kyrie*, ad illud respondet cum duobus Diaconis assistentibus. Sedente D. Abbate, & ipse sedet super scabellum paratum à dextris. Finito à Choro *Kyrie*, dum surgit D. Abbas, & ipse surgit, capit Librum & facta inclinatione eundem supra caput sustinet, & intonato: *Gloria in excelsis DEO*, mox Librum Capellano de eo reddit, & ipse veniens ad dexteram D. Abbatis, cum eo Hymnum prosequitur submissa voce. Idem præstabit ad intonationem Symboli: Dum Hymnus Angelicus cantatur à Choro, sedebit in scabello suo, quemadmodum D. Abbas in solio suo. Ad Orationem, seu Orationes quas in cantu absolvet D. Abbas, Archidiaconus Librum supra caput sustinebit, non tamen ad Lectionem, aut Evangelium, cum hoc munus competat Capellano de Libro.

13. Si D. Abbas eget perspiciliis, vel Sudariolo, observabit, & ministrabit illi prout opus erit. Sub tempus Gradualis, aut Tractûs, antequam Diaconus venerit pro benedictione Evangelii, accedente Thuriferario, cum Cæremoniario ad sedem D. Abbatis, accipit à Cæremoniario Naviculam, & cum debitis osculis porrigendo cochlear, petit benedictionem incensi, qua obtenta, reddit Cæremoniario Naviculam, & ipse facta D. Abbati reverentia revertitur ad locum suum, atq; sedet. Adveniente Diacono erigit se, & stat donec acceperit benedictionem, recedente Diacono, si adhuc tempus superest iterum sedet. Ad Evangelium una cum D. Abbate stat manibus ante pectus junctis, & se signat initio Evangelii, cum Diacono, in fronte, ore, & pectore. Hoc tamen advertendum est, quod Archidiaconus,

tunc

tunc ſtare debet, quando Diaconus, vel Subdiaconus, vel aliquis alius pro benedictione venerit, aut quando D. Abbas Lectionem, ſeu plures, una cum Tractu, vel Graduali, & ſequentia leget, non enim convenit tunc illi ſedere.

14. Decantato per Diaconum Evangelio, & porrecto per Subdiaconum ad oſculum Libro Evangeliorum, accedet ante ſedem Archidiaconus, & ſumpto de manu Cæremoniarii, aut Thurifèrarii thuribulo, factaq. reverentia, incenſat D. Abbatem trino ductu, & dum poſtea facit profundam inclinationem, benedicitur à D. Abbate. Mox aſſumpto à Capellano Libro ſuſtinebit ſupra caput ſuum ad intonationem Symboli, ſcilicet per hæc tantum verba: *Credo in unum DEUM*, quem ſtatim reddet Capellano. Et D. Abbas poſtquam benedixerit Archidiaconum, non ſtatim intonabit *Credo*, ſed expectabit, donec ille Librum apertum, ſupra Caput locabit.

15. In Symbolo dum à Choro canitur ℣. *Et incarnatus eſt*. Sedendo in ſuo ſcabello, profunde ſe tantum inclinabit. In Feſto tamen Annuntiationis B. M. V. & in die Natali Domini ad omnes tres Miſſas propè ſuum ſcabellum genuflectere tenetur. Sub tempus totius Symboli ita ſedet, quemadmodum ad Hymnum Angelicum. Eo autem finito ſurgit, priùs tamen ſemper, quàm D. Abbas. Perlecto Offertorio præmittit cum Libro Capellanum ad Altare, ut illum ſupra cuſſinum, in Altari, ad cornu Evangelii collocet, & ipſe miniſtrat mantile D. Abbati ad lotionem manuum.

16. Cum D. Abbas redit ad Altare, ipſe à ſiniſtris eundem, gradus Altaris aſcendentem, adjuvat, & miniſtrans ad Altare, in cornu Evangelii, ſiniſtrâ tenebit Librum, & dexterâ manu tranſverſa indicabit dicenda. Ad incenſationem Oblatorum & Altaris, ipſe ad dicenda ita commodè ſuſtinebit Librum, ut D. Abbas in promptu ſemper habeat ad legendum ea, quæ ad incenſationem dicenda ſunt. Finita thurificatione Altaris, deponet Librum ſuper Altare in cornu Evangelii, vel reddet Capellano de eo, ut ad Pſalmum *Lavabo &c.* ſuſtineat. Quando incenſatur D. Abbas à Diacono Evangelii, ſtat à tergo quaſi ejus, & dum ipſe ab eodem Diacono incenſandus eſt, (quod immediate fieri debet) Diaconus recedit parum de loco ſuo, ut det locum miniſtrantibus ad lotionem, Archidiaconus convertit ſe ad eum, & facta mutua inclinatione ante, & poſt, duplici ductu incenſatur, ſtans ad dexteram D. Abbatis incenſati.

17. Redeunte D. Abbate ad medium Altaris, ipſe ad cornu Evangelii, ſeu à ſiniſtris ejus miniſtrabit ad Librum conti-

nuò, ostendens successivè dicenda D. Abbati. Post Præfationem submissa voce dicit *Sanctus* cum Celebrante, & Diacono. idemq; præstabit ad *Agnus DEI &c.* Ad elevationem genuflectit tantum, neq; à Libro discedit, nisi quando danda est Pax à Celebrante.

18. Dicto *Agnus DEI &c.* factis debitis genuflexionibus, accedit ad dexteram D. Abbatis, & Diaconus parum recedit ad cornu Epistolæ, dans ei locum. Subdiaconus statim accedit ad Librum, quia jam tunc non est occupatus. Archidiaconus, dum Celebrans dicit orationem: *Domine JESU Christe, qui dixisti &c.* genuflectit ad illius dexteram, usq; ad finem dictæ primæ Orationis. Qua dicta surgit, & dum D. Abbas osculatur Altare, illud etiam ipse osculatur extra corporale manibus ante pectus junctis. Et statim D. Abbas sinistram genam suam, sinistræ pariter genæ ipsius Presbyteri assistentis appropinquans, reliquisq; manuum digitis brachia ejus tangens, dat ei Pacem dicens: *Pax tecum.* Archidiaconus vero appropinquante genâ sua sinistrâ, junctis tantum ante pectus manibus, recipit Pacem dicens: *Et cum Spiritu tuo.* Et iterum genuflectens ante Sacramentum, & statim surgens, si aderunt DD. Abbates plures, prout contigit in Capitulo Generali, comite Cæremoniario, tribuit primo tantum ex utraq; parte, ut dictum est supra. *P. 2. c. 9. n. 9.*

19. Si dederit Pacem Prælatis, hoc advertat ut nulli ante faciat reverentiam, sed tantum post datam Pacem, quam pari modo dabit, sicut ei dederat Celebrans ad Altare. Si autem non adsunt Prælati, quibus Archidiaconus posset dare Pacem, redibit ad Librum, ministrabitq; ut prius. Facta ablutione digitorum in Calice, transferet Librum cum cussino ad cornu Epistolæ cum debitis reverentiis, & ministrabit manutergium ad lotionem manuum, stabitq; à dextris D. Abbatis ad Librum, demonstrans ei cætera, quæ supersunt ad dicendum, vel Cantandum.

20. Data Benedictione Solemni, ad quam profunde se tantum inclinat, & non genuflectit, ex Decreto S. R. C. accedit ad cornu Evangelii, ubi ministrat Librum ad Evangelium, sive ordinarium, sive aliquod peculiare, ad quod ipse transfert Librum â cornu Epistolæ. Finita Missa descendit in planum, ad dexteram D. Abbatis, ut initio Missæ stabat, & facta cum aliis simul Altari reverentia. eodem, quo venerat ordine, recedit in Sacristiam ad deponenda sacra Paramenta.

21. In Communione Fratrum, & fidelium retrahit se ad cornu Evangelii, ne aut Communicantes, aut alios Ministros impediat, ibiq; stat manibus junctis conversa facie ad D. Abbatem distribuentem Communionem. Pariter junctis manibus inclinatus permanebit ad Librum, quando D. Abbas se in Missa communicaverit. Ad *Nobis quoq; peccatoribus &c.* & ad *Domine non sum dignus &c.* percutit pectus suum.

22. In Processionibus, præsertim cum SS. Sacramento, quia non habet locum, ubi procedere debeat, ideo potius abstineat ab ea, sic enim *P. Bauldry* declarat *P. I. c.* 3. *n.* 13. his verbis: *Ad absolutionem post Missam pro Defunctis, regulariter non accedit, sed finita Missa recedit in Sacristiam; item nec ad Processiones, etiam SS. Sacramenti, nec ad Benedictiones.* Si autem post Concionem in medio Missæ, fieri debeat Processio, non est conveniens ut Archidiaconus recedat in Sacristiam, & denuo finita Processione accedat ad complendum Ministerium suum, ideoq; incedat potius cum Diacono Evangelii, & tunc Subdiaconus non in medio, sed à latere sinistro ante Diaconum procedere debet. Si ergo assistat tali Processioni, Naviculam cum incenso ministrare, thuribulum D. Abbati porrigere, & recipere, quoties opus fuerit, atq; velo oblongo manus, ac pedem Ostensorii contegere tenetur.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Assistens Presbyter debet Episcopum thurificare ad sedem, quicunq; ille sit, non verò Diaconus Evangelii. S. R. C. 19. *Maii* 1607. *in Placentina.*

2. Canonici, & dignitates non tenentur ad benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare. S. R. C. 4. *Maii* 1613. *in Oscen.*

3. Presbyter assistens, licet non sit prima dignitas, thurificandus est ante Archidiaconum, à dextris Episcopi assistentem, quamvis idem Archidiaconus sit prima dignitas. S. R. C. 23. *Junii* 1607. *in Vercellen.*

4. Prima dignitas officium Presbyteri assistentis, Episcopo Divina Pontificaliter peragente faciens, tenetur sustentare Librum, quando solum Episcopus cantat, non verò quando legit, quod spectat ad Capellanum. S. R. C. 16. *Martii* 1658. *in Ragusina.*

CAPUT II.

De Ministris Sacris.

1. NOmine Ministrorum Sacrorum veniunt tantum Diaconus Evangelii, & Subdiaconus Epistolæ, hi enim proprie dicuntur Sacri Ministri, quia propiores sunt Celebranti, Sacrificium incruentum immolanti. Illi itaq; Diaconus, & Subdiaconus sumptis suis paramentis tempestivè, exceptis manipulis, Celebrantem adjuvant dum se Paramentis induit, præcipuè tamen Diaconus. Manus ante pectus ita junctas tenent, ut non sint sub Dalmatica, aut Tunicella reconditæ, & dum sedent, manus extensas super genua ponant, supra Dalmaticam, vel Tunicellam, non tamen servent eas.

2. Quoties Celebrans genuflectit in medio eorum, aut surgit, ambo eum adjuvant, brachia ejus sustentando, & si fiat genuflexio cum causa, Planetæ ejus posteriorem partem aptant super pedes ejus, ut ad ℣. *Et incarnatus est*, & ad alia. Dum aliquid offerunt, prius illud, deinde manum Celebrantis osculantur; cum vero recipiunt, prius manum, deinde rem ipsam pariter osculantur, præterquam in officio Defunctorum, & quando est expositum Sanctissimum Sacramentum.

3. Accedentes ad Altare, licet ibi non adsit Tabernaculum SS. Sacramenti, & licet Celebrans tantum se profunde inclinet, Ministri tamen Sacri omnino genuflectant simul; signant se cum Celebrante, simul respondent, simul se inclinant, & non prius, neq; profundius unus, quam alius, dicentes *Tibi Pater*, & *Te Pater*, ac *Misereatur Tui*. inclinati simul se vertant ad Celebrantem. Qui cum ascendit ad Altare, illi elevant hinc, inde vestes anteriores ejus, non nimium, sed tantum, ut non impediant ascensum ejus; quod semper in pari casu faciant. Pro primo accessu ad Altare ambo simul genuflectunt, licet Celebrans se tantum inclinet.

4. Sub tempus incensationis adjuvant Celebrantem, elevantes aliquantulum circa brachia hinc inde posteriorem partem Planetæ, aut Pluvialis extremitates, si in Vesperis. Ambo simul respondent *Kyrie eleison*. simul pariter dicunt Hymnum

mnum Angelicum, Symbolum, *Sanctus* & *Agnus Dei*, quando autem recitant, æquali dicent voce, non unus altius altero, sed ambo uniformitatem gestus, & vocis in omnibus, quantum fieri potest, servabunt.

5. Nullus ex iis Librum, aut Diurnum, aut globulos teneat precatorios in manibus, sub tempus Missæ, imo nec Missale ipsum extra Lectionem, & Evangelium, sed ante Missam omnia ita prævideant, ut in eo inutcenter quærere, & investigare non sit opus ea, quæ cantare debent. Neq; etiam memoriter tunc aliquas dicant preces, ne Celebrantem murmuratione, vel sibilatione impediant, & sibi ipsis sint impedimento, ad peragenda sua officia; sed attente ita ministrent, ut non obliviscantur omnium Cæremoniarum, eaq; perfectè expleant, quæ ipsorum officia concernunt.

6. Si sedeant, cum unus surgit aliquid commode acturus, surgat & alter, & stet nudo capite in loco, ubi sedebat, donec redierit socius: sibi ipsis aliquantulum faciant inclinationem, ante, & post discessum. Quando veniunt cum Celebrante ad locum sessionis, prius Celebrans sedeat, & illi postea sedeant, facta illi prius iam sedenti reverentia, adhuc nudo capite, & dum surgendum est, illi prius surgant, & deponant Birreta sua, quam Celebrans.

7. Dum in medio ante Altare in locis suis consistunt, & ascendere debeant ad latera Celebrantis, prius simul in locis suis genuflectunt, & Diaconus in suo gradu 2do aliquantulum recedat ad partem Epistolæ, expectetq; Subdiaconum, ut ambo simul pari gressu ascendant ad Altare. Antequam recedant ab Altari, ibidem genuflectant, non verò in locis suis, nisi aliter notetur; genuflectentes tamen manus Altari non admoveant, sed eas teneant junctas ante pectus.

8. Quotiescunq; percutiunt pectora sua, uti ad *Mea culpa.* ad *Nobis quoq;* &c: ad *Agnus DEI*, & ad *Domine non sum dignus* &c: semper manum sinistram pectori admovere debent. Quando à lateribus stant Celebrantis, ambo æqualiter distent ab eo; unde decet. ut uno saltem palmo, brachia Ministrorum distent à brachiis Celebrantis, & non se contingant.

9. Quando Celebrans Pluviali indutus incedit, ambo simul gradiuntur hinc, inde ad latera ejus, elevantes anteriores fimbrias Pluvialis. Neq; in Processionibus cum SS. Sacramento deferant candelas. sed tantum dictas fimbrias Pluvialis elevent. Pariter faciant in regressu ad Sacristiam. Unusquisq; diligenter attendat ad Socium suum, ut uniformitatem in omnibus

büs servent, sive in inclinationibus, sive sessionibus, sive genuflexionibus, aut aliis huiusmodi.

10. Caveant diligenter, quando retrocedere debent, vel quando debent descendere ab uno gradu, ad alium licet proximum, ut non directè retrocedant, sed aliquantulum recedant ad latus, aut saltem se convertant, ut videant locum, ad quem descendunt, vel accedunt, cum indecens sit retrocedere. Neq; etiam descendentes directè incedant ne terga vertant Altari, sed lateraliter aliquomodo, propter reverentiam Crucis, aut Tabernaculi, multomagis Sanctissimi Sacramenti expositi. Quod pariter dicendum est de omnibus aliis inferioribus Ministris. Explanatis, seu adnotatis iis, quæ ambos Sacros Ministros concernunt, ad ea nunc descendimus, quæ in particulari ad unumquemq; spectant. Sit itaq;

CAPUT III.

De Diacono Evangelii, eiusq; Officio.

§. I.

De Officio Diaconi in Missa Solemni usq; ad Evangelium.

1. Diaconus diligenter advertat, se esse ex præcipuis Ecclesiæ Ministris, & nobiliorem gradum obtinere inter eos, qui Sacerdoti Sacra facienti Ministrant; quapropter maxima puritate tam Corporis, quam Animæ ad ea, quæ ad Diaconatûs Officium pertinent, inservire debet. Igitur in Missa Solemni Evangelium cantaturus, hora congrua tempestivè accedere debet ad Ecclesiam, ubi orat aliquantulum, & veniendo in Sacristiam, accipit Missale Celebrantis, perquirit Missam, & signacula eius deponit; tum accipit aliud Missale in quo Evangelium suum perquirit, illudq; legit, ne forte postea erret cantando, ac signaculo notat, sic utrumq; Missale paratum, per aliquem ex Acolythis, aut potius per Cæremoniarium transmittit, ut primum ponatur in Altari super Cussino, ad cornu Epistolæ, & alterum

super

ſuper Credentiam deponatur, vel ſi id fieri non poſſit, in aliquo loco honeſto deponatur ad cornu Epiſtolæ, non tamen ad gradus Altaris.

2. Lavat poſtea ac tergit manus in Sacriſtia, & adjuvante aliquo Acolytho, induit ſe Paramentis Ordinis Levitici, poſitis in latere dextro paramentorum Celebrantis. Amictum ergo accipit per latera ambabus manibus, cujus Crucem oſculatur, non ſe ſignans cum eo. Mox Albam, Cingulum, Stolam, cujus Crucem etiam oſculatur, eamq; ſupra humerum ſiniſtrum imponit, & ſub brachio, in modum Crucis ligari facit, demum Dalmaticam imponit, & manicarum Chordulos curat ligari. Poteſt ad ſingula paramenta Orationes in Miſſali poſitas recitare, ſed tamen ex peritorum Authorum judicio, nulla eſt neceſſitas. Manipulum hic adhuc non capit, ſed poſtquam Celebrans ex integro ſit indutus, tunc aſſumet, cum debito oſculo Crucis illius. Si opus ſit, Sudariolum appendit cingulo, ſubtus Dalmaticam.

3. Sic paratus ſtans ad dextram Celebrantis, adjuvat eum, dum S. Paramenta accipit, ordine, & modo ſupra P. 2. c. 2. n. 6. & 7. deſcriptis. Et quamvis uterq; adjuvet cum opus eſt, præcipuè tamen in his operatur Diaconus, tanquam præcipuus, & proprius Miniſter. Celebrante parato manipulum ſuum capit cum oſculo Crucis ipſius. Antequam egrediantur de Sacriſtia, Diaconus ſtans à dextris Celebrantis parati, nudo capite, miniſtrat Naviculam, ut thus in thuribulum immittat, petens benedictionem ſolito more, non omiſſis debitis oſculis manus, & cochlearis ante, & poſt. Impoſito, & benedicto incenſo, ſtans in eodem loco nudo adhuc capite, profundam ſimul cum aliis facit Cruci, vel Imagini, quæ eſt in Sacriſtia, reverentiam, tum poſtea Celebranti, quaſi ſe commendans ejus precibus in Miſſa. Mox operto capite, ac manibus ante pectus junctis procedit poſt Subdiaconum, immediatè ante Celebrantem.

4. At verò ſi ob Aſperſionem Aquæ benedictæ, Candelarum benedictionem, vel Proceſſionem, aut alia hujuſmodi Celebrans Pluviali indutus ſit, à dextris illius incedit, ſimbriam dextram Pluvialis ejus attollens manu ſiniſtra, dexteram ſupra pectus poſitam tenet. Dum procedunt, ſi tranſire contingat ante Tabernaculum SS. Sacramenti, conſiſtit à dextris Celebrantis nudo capite, flectit unicum genu, ſed ſi eſt expoſitum, utrumq; Si Sacriſtia unde diſcedunt ſit in parte Epiſtolæ,

ſtolæ, ipſe Diaconus cum primo Ceroferario retrocedat paululum, ut Celebranti tranſeunti ante eos, det locum, eiq; ſe inclinat.

5. Cum pervenerit ante infimum gradum Altaris, caput detegit, & de manu Celebrantis Birretum accipit, cum quaſi oſculo ipſius Birreti, illudq; cum ſuo tradit ſtatim Cæremoniario, moxq; cum Celebrante, licet tantum inclinato, ſemper tamen genuflectit, ut Rubrica generalis præſcribit. Et ſtatim aſcendit ad cornu Epiſtolæ, ibiq; aperit Miſſale in eo loco, ubi Miſſa diei invenitur, quo facto deſcendit ad dexteram Celebrantis in planum, ibi iterum genuflectit.

6. Dum Celebrans ſe ſignat initio, Diaconus etiam ſe ſignat cum eo, pariter ad ℣. *Adjutorium noſtrum*, &c: ſicut & ad *Indulgentiam* &c: Pſalmum *Judica me Deus* &c, alternatim cum Celebrante dicit, & quando opus eſt, inclinat ſe cum eo. Qui dum facit Confeſſionem, Diaconus ſtat erectus, ſed ea finita profundè ſe inclinat, & converſus ad Celebrantem dicit *Miſereatur* &c: perſiſtendo ſic usq; ad finem. Dicto à Celebrante *Amen*, ad *Confiteor* inclinatus manet verſus Altare, & ter percutit pectus ad *Mea Culpa*, manu ſiniſtra infra pectus poſita. Dicendo *Tibi Pater*, & *Te Pater* ſic inclinatus convertit ſe ad Celebrantem, & taliter inclinatus verſus Altare manet; donec Celebrans totum *Miſereatur* &c: recitaverit. Ad *Indulgentiam* &c: erectus ſtat & ſe ſignat, ad *DEUS tu converſus* &c: denuò ſe inclinat, profundius aliquomodo quàm Celebrans, ad *Oremus* non disjungit, nec elevat manus, quia hic actus ſolius eſt Celebrantis. Aſcendente Celebrante ad Altare, ipſe Diaconus ſiniſtrà Albam, & veſtem in parte anteriori ejuſdem Celebrantis, elevat, dextrâ infra pectus poſità, comitaturq; eum ad Altare, ubi manibus ante pectus junctis, genuflectit, propter primum acceſſum ad Altare.

7. Et ſtatim in eodem loco ſumens naviculam de manu Thuriferarii, miniſtrat Celebranti cochlear, eo modo, quo dicetur infra P. 4. c. 2. petens ab eo benedictionem per ea verba: *Benedicite Pater Reverende*, ſicq; impoſito, ac benedicto incenſo, accipit à Thuriferario Thuribulum, & cum debitis oſculis tradit illud Celebranti. Tum poſteriorem Planetæ partem paulo infra humeros, aliquantulum elevat ſiniſtrà, & adjuvat ipſum Celebrantem incedens cum eo, & ſemper genuflectens dum tranſit ante Crucem, licet Celebrans ſe tantum inclinet.

8.

8. Thurificato Altari ſtans à latere Epiſtolæ, in 2. gradu recipit à Celebrante thuribulum, recedensq; extra gradus in planum in eodem cornu Epiſtolæ, triplici ductu ipſum Celebrantem incenſat, facta ei debita ante & poſt inclinatione. Si autem tanta ſit Presbyterii tenuitas, ut aut propter Stalla Chori, aut alia ratione ſit planum impeditum, potius tranſeat ad medium plani, ibiq; converſum ad ſe Celebrantem incenſet, eodem modo, quo penes expoſitum SS. Sacramentum thurificatur. Reddit poſtea thuribulum Thuriferario, ambabus manibus prout tenebat, & accedit ad dexteram Celebrantis, ibiq; in 2. gradu ſtat ad *Introitum*, & ſe ſignat cum eo; ad ℣. *Gloria Patri* Cruci ſe inclinat, nihil tamen dicit. In eodem loco ad *Kyrie eleiſon* alternatim Celebranti reſpondet ſubmiſſa voce, manus ante pectus junctas tenens.

9. Dicto *Kyrie*, ſi ſedendum erit, ſedebit cum Celebrante, vel cum eodem in dicto cornu Epiſtolæ perſiſtet: Sed dum à Choro ultimum *Kyrie eleiſon* cantatur, per eundem ſecundum gradum accedit ad medium, eodem, quo Celebrans paſſu, ibiq; ſcilicet poſt Celebrantem, in medio ſecundi gradus manibus junctis ſtat, dum ille intonat *Gloria in excelſis DEO*, & caput inclinat, dum dicitur *DEO*. Hoc intonato, ſtatim in dicto loco genuflectit, & aliquantulum in eodem 2. gradu ſecedit ad partem Epiſtolæ, expectat Subdiaconum, & ut pervenerit ad 2. gradum, ſtatim ſimul aſcendunt hinc, inde ad latera Celebrantis, ibiq; junctis ante pectus manibus, absq; nova genuflexione ſtat, cum quo, & Subdiacono ſubmiſſa voce proſequitur Hymnum, non præveniendo; ſed potius ſubſequendo vocem ipſius Celebrantis, usq; ad finem, quando opus eſt inclinat Caput; dicens vero *Cum Sancto Spiritu* &c: ſe ſignat, & in fine dicens *Amen* iungit manus.

10. Hymno Angelico recitato, ſi ſedendum ſit facta genuflexione in loco, deſcendit per breviorem viam, nudo capite, ſequens Subdiaconum, & præcedens Celebrantem ad ſedem paratam in plano ad cornu Epiſtolæ, ubi accipit Birretum Celebrantis, porrigit ei, cum quaſi oſculo illius, & elevat partem poſteriorem Planetæ ne ſuper eam ſedeat. Poſtea accepto ſuo Birreto, elevataq; etiam parte poſteriori Dalmaticæ ſuæ, præmiſſa inclinatione Celebranti iam ſedenti, & modica Subdiacono adhuc ſtanti, ſedet à dextris ipſius Celebrantis, tecto Capite, & manibus hinc inde ſuper genua extenſis, & digitis ſimul junctis, prout Celebrans, niſi forte urgente frigore, intra manicam, eas aliquantulum recondere cogatur.

11. Dum cantatur in Choro *Cum Sancto Spiritu* &c: vel paulò citius, Diaconus depositò prius suo Birreto, Celebrantis Birretum recipit cum quasi osculo illius, illudq; & suum suprà scamnum ponit. Tum facta Celebranti reverentiâ, sequens Subdiaconum, redit per longiorem viam ad Altare, id est per planum à parte anteriori. Diaconus accedens propiùs ad cornu infimi gradus Altaris, retrocedit paululum, ut Celebranti, cui se inclinat, locum præbeat transeundi. Tum facta in infimo gradu genuflexione, ascendit ad 2. Altaris gradum, ibiq; post Celebrantem stans permanet.

12. Si vero Celebrans non sedeat, ut accidit, quando SS. Sacramentum est expositum, dicto Hymno Angelico, non recedit Diaconus de loco suo, sed cum Subdiacono hinc, inde stant quasi pares ad Altare cum Celebrante, & non unus post alium, neque tamen omnino collaterales, sed parum post eundem Celebrantem. Dum cantatur in Choro: *Cum Sancto Spiritu* &c: facta genuflexione, recedunt ad loca sua, & Diaconus in 2. gradu post Celebrantem stat, etiam ad *Dominus vobiscum*, nec se movet, nec inclinat, neq; genuflectit, licet Celebrans cogatur ratione expositionis genuflectere. Dicto *Dominus vobiscum* & facta genuflexione Diaconus per eundem 2. gradum procedit ad cornu Epistolæ.

13. Si adsit Cæremoniarius ad Librum, in eodem cornu Epistolæ stat post Celebrantem manibus ante pectus junctis, ad Orationem, sive plures, & non prius accedit ad dexteram Celebrantis, nisi prius Subdiaconus inceperit canere Epistolam. Si vero desit Cæremoniarius, Diaconus statim accedit ad Librum, quem tenet, & folia vertit, atq; genuflectit cum Celebrante si opus sit, & in fine Lectionis lectæ à Celebrante respondet submissa voce: *Deo gratias*. nec à dextera Celebrantis recedit, donec Subdiaconus finita Epistola accedat ad osculum manus, & tunc Diaconus accedit ad 2. gradum post Celebrantem, cedens locum in quo erat prius Subdiacono, ut ab eo benedicatur.

14. Quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, post *Kyrie eleison*, dicto à Celebrante *Oremus*. Diaconus dicit: *Flectamus genua*, & utrumq; genuflectit primus omnium, dum vero Subdiaconus dicit *Levate* surgit, & tunc consistere debet post Celebrantem, & non ad dexteram ejus. In fine conclusionis Orationum, quando Chorus cantat, non respondet *Amen*, nec ad alia, ad quæ Chorus respondet, quod servandum est in aliis quibuscunq; similibus circumstantiis.

15.

15. Deficiente Cæremoniario poſtquam Subdiaconus oſculatus fuerit manum Celebrantis, recipit ab eo Miſſale. Si verò inſerviat Cæremoniarius, ille à Subdiacono recipit Librum, & dum Celebrans dicit: *Munda Cor meum &c.* Diaconus ſtans in ſuppedaneo Altaris, prope cornu Epiſtolæ, convertit ſe ad Cæremoniarium, a dicto cornu Epiſtolæ advenientem, & ab eo cum debitis inclinationibus accipit Librum ambabus manibus per angulos inferiores, duobus pollicibus ſuper partem exteriorem, reliquis digitis ſub Libro poſitis, ita, ut pars quæ aperitur ſit verſus latus ſuum ſiniſtrum, & pars Libri ſuperior, ſit parum ſuper pectus inclinata.

16. Accepto ſic à Cæremoniario Libro Evangeliorum, Diaconus deſcendit per gradus laterales, & procedit per planum, ad illum locum, ubi Celebrans Confeſſionem faciebat, ibiq; genuflexus aſcendit ad Altare, & reponit in medio Altari, quaſi jacentem Librum Evangeliorum, ſupra petram ſanctam, ita, ut pars quæ aperitur, reſpiciat cornu Evangelii, & facta ibidem genuflexione, accedit ad ſiniſtram Celebrantis: & ad dexteram Subdiaconi, quaſi medius inter Celebrantem legentem Evangelium, & Subdiaconum tenentem Miſſale, ibiq; aſſiſtit manibus ante pectus junctis, genuflectens, aut ſe inclinans, quando opus eſt

§. 2.

De Officio Diaconi ab Evangelio, uſq; ad Præfationem.

1. PErlecto à Celebrante Evangelio, Diaconus accipit à Thuriferario Naviculam, miniſtrat incenſum, petitq; benedictionem, qua data, & impoſito thure, reddit Naviculam, deſcendit ad 2. gradum Altaris, ubi genuflexus in ſuppedaneo, manibus junctis profunde ſe inclinans dicit: *Munda Cor meum &c.* Hoc dicto ſurgit, accedit ad medium Altaris, ambabus manibus capit reverenter Librum Evangeliorum, & iterum deſcendens ad 2. Altaris gradum, genuflexus, & inclinatus petit benedictionem à Celebrante, dicens intelligibili voce: *Jube Domne benedicere*, non autem *Domine*, hoc enim tantum convenit Sacerdoti Celebranti dicere, qui à ſolo DEO petit benedictionem: Diaconus verò cum eam poſcat à Celebrante, non aliter quam *Domne* dicere tenetur, licet petat à D. Abbate, quinimo licet ab Epiſcopo, aut Archiepiſcopo.

2. Obtenta à Celebrante benedictione, Diaconus manum ejus dexteram Libro ſuperpoſitam, quem aliquantulum deflectit

ver-

versùs eum, in parte exteriori reverenter osculatur, & non digitos. Surgit deinde, inclinat se Celebranti iterum, & portans ambabus manibus ante pectus Librum Evangeliorum, descendit in planum, ibiq; genuflectit in medio, à dextris Subdiaconi, tunc recedentis parum versùs cornu Evangelii, Diaconus consistit in eo loco, ubi cum Celebrante fecerat Confessionem, ac expectat, quousq; Graduale, vel Tractus, aut Symphonia finiatur à Choro, quibus finitis iterum genuflectit, & procedit cum Libro ad locum, ubi cantari debet Evangelium.

3. Cum pervenerit Diaconus ad locum, ubi cantari solet Evangelium, tradit Librum apertum Subdiacono inter duos Ceroferarios consistenti, & in proportionata distantia consistens, ut commode legere possit, junctis ante pectus manibus, incipit sonora voce *Dominus vobiscum*, cum dicit, *Initium*, vel *Sequentia Sancti Evangelii &c.* signat principium Evangelii pollice dextro, non quidem ungve, aut latere ejus, sed ipsa pulpa, manu tota extensa, una cum digitis, & conversa ad Librum, & tunc manum sinistram tenet supra Librum extensam, quam statim retrahit, & infra pectus ponit, dum se ipsum signat eadem pulpa pollicis in fronte, ore, & pectore, dextera tota extensa, & ad se conversa, digitis pariter extensis & simul junctis. Advertat, ut non signet tunc os suum, quando cantat, sed postquam signaverit frontem dicendo *S. Evangelii*, signet os, & quandam tantisper faciat repausationem, ita, ut circumstantes id minime advertant, & statim pectus signando dicit: *Secundum N.* Statimq; accipit thuribulum à Ministro stante a tergo, vertendo se aliquomodo ad dexteram, sine ulla Altaris, etiam expositi Sacramenti reverentia, Librum triplici ductu incensat, 1. in medio, 2. à dextris, 3. à sinistris ipsius Libri, inclinans se ante, & post versùs Librum, propter sacri textùs reverentiam, ita tamen tempestivè id peragat, ut eo tempore, quo Chorus respondet: *Gloria Tibi Domine*, tota peragatur incensatio. Deinde reddito thuribulo, eodem latere se vertit quo priùs, sine ulla Altaris reverentia, junctisq; manibus incipit textum Evangelii, inclinans se, & genuflectens versus Librum, quando opus est, profundiùs tamen ad nomen JESUS inclinat se, quam ad alia.

4. Finito Evangelio, indicat initium ejus Subdiacono, manu transversa tangendo, & si illud principium sit in pagina præcedenti volvit folium, postea aliquantulum recedit, ne Subdiaconum transeuntem impediat, & statim per planum Presbyterii sequens Ceroferarium primum, manibus junctis accedit ad medium, ubi facta in infimo gradu genuflexione, & accepto thuri-

bulo

bulo Celebrantem ſtantem in cornu Epiſtolæ, & ad ſe converſum triplici ductu incenſat, cum debitis inclinationibus ante, & poſt; non prius tamen, quam oſculato Libro à Celebrante.

5. Reddito thuribulo miniſtro de eo, aſcendit ad 2. Altaris gradum, ibiq; ſtat dum Celebrans incipit *Credo*, inclinans caput ad verbum *DEUM*, ſtatim genuflectit, ut ſupra ad *Gloria*, ſimul cum Subdiacono aſcendit, a ceditq; ad dexteram Celebrantis, cum quo & Subdiacono dicit Symbolum, ſicut hymnum Angelicum. Ad ℣. *Et incarnatus eſt*, genuflectit, ad verba *Homo factus eſt*, etiam caput inclinat. Dicendo: *adoratur* [illegible] inclinat, ad *Vitam venturi &c.* ſe ſignat, dicens: *Amen*, junctis manus.

6. Dicto Symbolo, adhuc ibidem ſtat, vel procedit ad ſedendum ut ad Hymnum Angelicum, at ſi ſtat ad Altâre, quando in Choro canitur *deſcendit de Cœlis* ſimul cum Celebrante, vertendo faciem ad cornu Evangelii, deſcendit ad 2. gradum Altaris, & in ſuppedaneo genuflectit ad ℣. *Et incarnatus eſt &c.* & ſtatim à parte ſua poſteriorem partem Planetæ Celebrantis adaptat ſuper pedes ejus; ſurgunt poſtea omnes, & Diaconus deſcendit in planum, vadit ad Credentiam, defert Burſam cum Corporali ad Altare, accipiendo eam ambabus manibus per latera ejus, pollicibus, & indicibus deſuper, reliquis digitis ſubtus eam poſitis, ita, ut pars, quæ aperitur, faciem reſpiciat, elevatam teneat: ſicq; per planum gravi, & decoro inceſſu ſolus procedit ad medium Altaris, & facta ſuper infimo gradu genuflexione, aſcendit per medium ad Altare, ibiq; in medio, quia tunc Celebrans cum Subdiacono parum ad cornu Evangelii recedere debent, extrahit corporale de burſa, quam primo collocat erectam in cornu Evangelii, & Corporale extendit in medio Altaris, ſtatimq; ibidem genuflectens, recedit parum ad cornu Epiſtolæ, ut medium Altaris cedat Celebranti, ubi ſtat ad finem Symboli.

7. Si vero ſedent ad Symbolum, dum in Choro canitur ℣. *Et incarnatus eſt*, profunde ſe inclinat nudo Capite, exceptis tribus Miſſis Nativitatis D. N. J. C. & Annunciationis B. V. MARIÆ, in quibus ſemper à ſeſſione recedit, ad gradus laterales, ubi propius, ibiq; in infimo gradu genuflectit cum Celebrante, & Subdiacono. In prædictis Miſſis ſi ſtent ad Altare, deſcendit cum Celebrante, & Subdiacono ad planum, & in infimo gradu Altaris genuflectit. Dum canitur ℣. *Et incarnatus*, in ſeſſione Diaconus Birretum deponit, ſurgit, & facta Celebranti inclinatione, vadit ad Credentiam, accipit ut ſupra Burſam

cum Corporali, & dum transit ante Celebrantem inclinat se ei, cæteraq; peragit ut num: præcedenti dictum est, revertitur tandem per viam breviorem ad Celebrantem, cui profunde se inclinans, & mediocriter Subdiacono, sedet in loco suo.

8. In fine Symboli dum canitur, *Et vitam venturi sæculi*, si sederint redeunt ad Altare, sicut in fine Hymni Angelici, ibiq; stant unus post alium. Si vero stant ad Altare, ad dicta verba, genuflectentes in loco, accedunt ad loca sua, ut stent unus post alium, sicq; stat Diaconus, donec dicatur *Oremus*. Inchoato Offertorio, & non prius, Diaconus in loco genuflectit, accedit ad dexteram Celebrantis, & ibi expectat Subdiaconum, quo accedente, calicem accipit de manu ipsius, prius tamen detegendo eundem; Patenam cum Hostia accipit, Pallam deponit, & utraq; manu eandem Patenam tribuit Celebranti, quam prius in extremitate osculatur reverenter, deinde manum ejus. Si autem non dicatur Symbolum, Subdiacono afferente super Calice, Bursam cum Corporali, Diaconus eam sumit, expandit Corporale, ut supra, patenamq; offert cum Hostia, quod non prius facere debet, nisi dicto Offertorio à Celebrante.

9. Si adsint particulæ consecrandæ pro Communione fidelium, delata Pixide, seu Calice ad Altare paulo ante, Diaconus illud vas cum particulis detegit, antequam tradat Celebranti Patenam, dictumq; vas parum elevat, dum Celebrans Hostiam in Patena offert, qua super Altare deposita, ipse etiam Diaconus, eandem Pixidem, seu Calicem ponit super Corporale, ita tamen, ut non impediat collocationem Calicis Vini, eamq; cooperiat.

10. Tum Calicem extersum à Subdiacono accipit, & ampullam vini de manu ipsius, ex qua infundit Vinum in prædictum Calicem, in quantitate mediocri, ita, ut tantum contegat fundum cuppæ interioris; huncq; Calicem sinistra per nodum tenet, Celebrante interim inspiciente, quantum Vini sufficiat. Et post admixtas Vino per Subdiaconum paucas guttas Aquæ, à Celebrante benedictæ, ipse Diaconus, si guttæ appareant dispersæ intra Calicem, eas vel circumacto Vino congregat, vel purificatorio abstergit, ne post Consecrationem oriatur dubium, an sint consecratæ? Non tamen in 2da, & 3tia Missa Nativitatis D. N. J. C. propter remanentes adhuc quasdam species Sangvinis Dominici, tunc enim porrigat ipse Diaconus Celebranti ampullas Vini, & Aquæ, ut ipse tenens super Corporale Calicem solus infundat, quia protunc non potest amoveri extra corporale.

11.

11. Infuso iam Vino, & Aqua in Calicem, eum porrigit Celebranti in manus, cum osculis pedis illius Calicis, & manus Celebrantis, dextera scilicet pedem, & finistra nodum ipsius tenens; ita, ut Celebrans facilius illum dexterà per nodum, & finistra per pedem accipere valeat, & tenere. Cumq; Celebrans dicit: *Offerimus tibi Domine* &c: Diaconus cum eo, dicit eandem Orationem, dexterà pedem Calicis, finistra brachium Celebrantis sustentans, usq; ad hæc verba: *pro nostra* &c: & non amplius.

12. Reposito Calice à solo Celebrante, Diaconus palla illum cooperit, & statim accipit nudam Patenam fine purificatorio, quam ponit in dextera manu, pariter nuda Subdiaconi, stantis adhuc ibidem, eamq; extremitate veli à brachio dextro eiusdem Subdiaconi pendentis contegit; ita ut pars Patenæ inferior pectus Subdiaconi respiciat, & non aliter appareat, nisi velo tecta.

13. Dicto per Celebrantem: *Veni Sanctificator* &c: Diaconus stans adhuc in cornu Epistolæ, naviculam ministrat Celebranti, ab eoq; petit benedictionem, ut supra, qua obtenta, & imposito thure, Naviculam reddit Thuriferario, & ab eo thuribulum accipit, quod tradit Celebranti cum debitis osculis. Dum incensantur oblata, ipse pedem Calicis dexterà tenet, ita tamen ut non impediat Celebrantem in faciendis Circulis incensi, & finistra elevat aliquantulum partem posteriorem Planetæ eius, circa humeros. Incensantis oblatis, antequam Celebrans incenset Crucem, facta prius genuflexione, amovet Calicem de medio, aliquantulum ad partem Epistolæ, non tamen extra Corporale, si est satis amplum, sed incensata Cruce reponit illum in loco suo, & facta postea genuflexione, ministrat Celebranti ad totam incensationem. Qua finita recipiens in cornu Epistolæ ab eodem thuribulum, dum concludit per hæc verba Orationem incensationis: *flammam æternæ Charitatis*, respondet *Amen*, & descendens in planum thurificat Celebrantem trino ductu, ut supra dictum est.

14. Quod si tamen D. Abbas esset præsens huic Missæ, bino tantum ductu incensatur Celebrans, & tunc ipse Diaconus genuflectens priùs ad dexteram Subdiaconi in infimo gradu, accedit ad sedem D. Abbatis, congruamq; faciens reverentiam ante, & post ter illum thurificat; Progreditur dein ad Chorum, ubi omnes de Choro, ab utraq; parte prius capitis inclinatione salutat, postea, quos invenerit in Choro præsentes Sacerdotes, unico quemlibet incenset ductu, non se-

cundum dignitatem Personarum distinctim, sed incipiendo ab eo qui invenitur Senior, aut Superior, consequenter in una parte thurificabit, postea in altera, Chori parte. Si autem Rel. Fratres adsunt in choro præsentes, non iam quemlibet seorsivè, sed tantum semel ad unam, & semel ad alteram partem, ductum quasi circularem thuribuli faciat. Hæc tamen via Diaconi ad sedem D. Abbatis, & Chorum non erit solus, sed adjuncto comitè Thuriferario, qui naviculam portabit, ut si defecerit fumus, thus sine benedictione imponat, à sinistrisq; Diacono assistat.

15. Finita Chori incensatione (quam etiam absente D. Abbate perficere Diaconus tenetur) factaq; utriq; parti salutatione per inclinationem capitis, nec non transeundo ante sedem Abbatialem (si adest præsens) profunda inclinatione; revertitur Diaconus ad gradus Altaris, ubi facta ad dexteram Subdiaconi genuflexione, eum parùm recedentem ad cornu Evangelii ac conversum ad se, Diaconus bino incensat ductu in eodem plano, & reddit Thuriferario thuribulum. Ipse vero ascendens ad 2. Altaris gradum post Celebrantem, genuflectit, & statim retrahit se ad partem Evangelii, convertitq; faciem suam ad Thuriferarium, à quo bino etiam ductu incensatur. Hoc factó redit ad medium dicti gradus ibiq; stat usq; ad præfationem, nisi deficiente Cæremoniario cogatur adesse Libro.

§. 3.

De Officio Diaconi à Præfatione, usq; ad finem Missæ.

I. AD Præfationem dum Celebrans dicit *Deo nostro* caput in loco inclinat, & statim accedit ad Librum, vertens folia, dum opus erit. Circa finem Præfationis genuflectit, accedit ad dexteram Celebrantis, ubi inclinatus cum eo, dicit: *Sanctus* &c: manibus ante pectus junctis, postea erectus signat se & dicit cum Celebrante: *Benedictus* &c: quo dicto genuflectit ibidem, & accedit ad Librum, ubi iterum genuflectit & non in medio. Idem semper facit, quoties transit, genuflectens in recessu, & accessu, ad Altare. Dein assistit erectus Celebranti dicenti Canonem, non junctis manibus, sed Missale tenens sinistra aliquantulum elevatum, & dextera vertens folia, aut demonstrans Celebranti, quæ dicen-

tæ sunt, si opus est. Ad *Memento* parum tantum retrocedit, non vero stat post Celebrantem.

2. Cum autem Celebrans dicit: *Quam oblationem* &c: genuflectit, & accedit ad eius dexteram, ubi genuflexus manet, aliquantulum tamen retro post eum, in ipso suppedaneo; & dum Celebrans genuflectit post consecrationem Hostiæ, statim posteriorem Planetæ partem; in ipsa extremitatis ora capit sinistra, & elevat. Facta elevatione Hostiæ, postquam Celebrans adorando depositam Hostiam, surgit, & ipse pariter surgit, discooperiat Calicem, Palam reponat extra Corporale, & iterum egnufleat.

3. Si adest Pixis, vel Calix cum particulis consecrandis, dum Celebrans dicit: *Qui pridie* &c: Diaconus erectus eam detegit, & collocat prope Hostiam ante consecrationem, deposita vero Hostia post elevationem, statim surgit, Pixidem cooperit, & collocat in pristino loco, statimq; discooperto Calice genuflectit. Et dum Celebrans consecrato Calice genuflectit, ipse iterum capit Planetam, & eam ut prius sublevat, surgensq; Calicem repositum cooperit, & cum Celebrante genuflectit. Redit dein ad Librum, ubi iterum genuflectit, & ministrat Celebranti, stans ut prius, signans se ad hæc verba: *Omni benedictione* &c: & pectus percutiens cum Celebrante, dum dicit: *Nobis quoq; peccatoribus.* &c:

4. Dum vero Celebrans dicit; *Per quem hæc omnia* &c: Diaconus genuflectit, & vadit ad dexteram Celebrantis, ac ita opportune accedit, ut statim accedens prius Calicem detegat, & simul cum Celebratte genuflectat, & statim surgat, atq; dum Celebrans signat Calicem Hostiâ, dicens *Per ipsum* &c: duobus digitis dextræ manûs tenet pedem Calicis; repositâ Hostia super Corporale, Calicem iterum tegit, genuflectit, surgit, accedit ad Librum non omittens genuflectere,

5. Quando Celebrans incipit: *Pater noster*, & non prius, genuflectit ad Librum, & vadit ad medium 2. gradûs Altaris, ibiq; stat post Celebrantem, qui dum canit: *Et dimitte nobis* &c: genuflectit in loco suo, & ascendit ad dexteram ipsius Celebrantis, ubi adveniente Subdiacono, removet partem veli, quo obtegebatur Patena, quod tamen non facit in via, quando ascendit Subdiaconus, sed quando iam ad Altare consistit, dictamq; Patenam capit à Subdiacono, & extersam purificatorio, ponit inter pollicem, & indicem dextræ

manus ipsius Celebrantis, postquam dixerit: *Amen*, cum osculo ipsius Patenæ in extremitate; & manus Celebrantis.

6. Cum Celebrans submittit Patenam Hostiæ, Diaconus detegit Calicem, genuflectit, surgit, & jam hic non tenet pedem Calicis. Immissa per Celebrantem particulâ Hostiæ in Calicem, eundem tegit palla, cum Celebrante genuflectit, & surgit. Postea inclinatus erga Sanctissimum Sacramentum, dicit cum eodem Celebrante ter: *Agnus Dei* &c: ter etiam pectus percutiens dexterâ, sinistrâ infra pectus positâ.

7. Dum Celebrans inchoat Orationem primam: *Domine JESU Christe, qui dixisti* &c. Diaconus statim genuflectit, sicq; genuflexus manet usq; ad finem ejusdem Orationis: qua dicta, surgit, & cum Celebrans osculatur Altare, ipse quoq; illud etiam osculatur, manibus junctis ante pectus, & non super Altare positis. Tum sinistram genam, sinistræ etiam genæ Celebrantis jungens, ab eodem dicente: *Pax tecum*, modeste per brachia complexus, ipse vero manus junctas habens accipit Pacem, respondetq; *Et cum Spiritu tuo*, advertens, ut brachia sua supponat brachiis Celebrantis.

8. Si vero cum Instrumento datur Pax, tunc facta genuflexione, Diaconus accipiet Instrumentum Pacis, (quod collocatum esse debet penes Candelabra Altaris, ad latus Epistolæ) illudq; porriget Celebranti. Qui illud accipiens reliquis manuum digitis, indicibus, & pollicibus non disjunctis, ipsemet prius osculatur, & statim Diacono porrigit manibus suis ad osculandum, dicens interim: *Pax tecum*. Diaconus verò osculando dictum Pacis instrumentum, recipiensq; illud, respondet: *Et cum Spiritu tuo*.

9. Accepto Pacis osculo, Diaconus conversus ad Subdiaconum per latus suum sinistrum, similiter dat ei pacis osculum, quemadmodum Celebrans dederat ei, approximando genam sinistram, sinistræ genæ Subdiaconi, & per brachia modeste complectendo. Si vero per Instrumentum solus accepit, pariter per Instrumentum tribuit Subdiacono Pacem, porrigendo nempe ad osculum Instrumentum, & dicendo *Pax tecum*, quod relinquet in manibus Subdiaconi, ad dandam inferioribus Pacem, & ipse facta in loco genuflexione, accedit ad Librum, ubi genuflectit, surgit, & Celebranti ad Librum ministrat. Hoc tamen in danda Pace notet Diaconus, quod quando D. Abbas adest paratus Missæ Sacrificio, non tribuat Subdiacono pacem, sive per Osculum, sive per Instrumentum, quia ille immediate à solo Celebrante accipere debet pacem, qui eam tribuit, sive affert Prælato,

10. Quando Celebrans dicit: *Domine non sum dignus &c.* Diaconus manibus ante pectus junctis inclinat se profundè, dicens illud ter submissa voce cum Celebrante, & ter percutit pectus. Sub tempus Communionis sub utraq; specie, non genuflectit, sed profunde se tantum inclinat, versùs Altare, non omnino versùs SS. Sacramentum, & mediante tempore inter utramq; Communionem stabit erectus. Sumptâ à Celebrante S. Hostia, si officium Subdiaconi expleat ille, qui tantum 4. Minores habet, ipse Diaconus Calicem discooperiat, quia tunc detegere Calicem spectat omnino ad Subdiaconum Ordine, non tantum Officio, quod in præsenti casu non valet.

11. Sumpta à Celebrante Purificatione, & facta digitorum in Calice ablutione, ipse Diaconus Librum clausum cum cussino transfert ad cornu Epistolæ, per gradum 2. Altaris procedendo, & in medio genuflectendo. Delato Libro ad cornu Epistolæ aperit illum, ubi legenda est Communio, quam indicat Celebranti, eiq; assistit. Dicta Communione vadit eodem passu, quo Celebrans per 2. Altaris gradum, usq; ad medium, & ibi stat dum ille dicit: *Dominus vobiscum*, deinde cum eo procedit ad cornu Epistolæ eadem via, ubi stat ad Librum vertens folia ad Postcommunionem, vel plures, quando opus est.

12. In Quadragesima incipiendo à Feria IV. Cinerum, usq; ad Feriam IV. Majoris Hebdomadæ inclusivè, in Missa de Feria tantum, dictis Postcommunionibus, ante Orationem super Populum, dicto à Celebrante *Oremus* ipse Diaconus stans in 2. gradu post Celebrantem, vertit se ad Populum (eo modo quo Celebrans vertit se dicturus *Dominus vobiscum*, non tamen per latus suum dextrum, sed per latus sinistrum, propter reverentiam Crucis) in eodem loco, manibus itaq; ante pectus junctis, & oculis demissis canit: *Humiliate capita vestra DEO*, quo dicto vertit se per eandem viam, ad idem Cornu Epistolæ, & accedit ad Librum.

13. Finita Oratione Postcommunionis, seu pluribus, si ordinarium tantum legatur Evangelium ultimum, ipse Diaconus, & non Celebrans, finita conclusione claudit Librum, & statim sua via, per 2. Altaris gradum redit ad medium, ubi dicto à Celebrante: *Dominus vobiscum*, genuflectit, & conversus ad populum, prout Celebrans, in eodem loco, manibus junctis cantat *Ite Missa est*, in tono convenienti, quod à Celebrante dici non debet. At si non sit dicendum: *Ite Missa est*, sed vel *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*, tunc non vertit se ad populum, sed ad Altare versa facie stans decantat ea.

14.

14. Dum Celebrans inclinatus dicit: *Placeat Tibi Sancta Trinitas &c.* Diaconus cum Subdiacono genuflectit in suppedaneo Altaris, in æquali cum Subdiacono distantia, à dextris tamen ejus, signat se ad Benedictionem, deinde surgit, & accedit ad cornu Evangelii, ubi quasi medius inter Celebrantem, & Subdiaconum tenentem tabellam stat, signans se, inclinans, & genuflectens quando opus est, ut ad primum Evangelium.

15. Finito Evangelio, & dicto per Subdiaconum *DEO gratias.* Diaconus accedit ad cornu Epistolæ, à dextris Celebrantis, & facta Cruci inclinatione descendit in planum, convertens se per eam partem, quæ respicit cornu Evangelii, ubi cum aliis genuflectit, surgit, Birretum à Ministro acceptum Celebranti porrigit cum quasi osculo, & suo Birreto etiam accepto, redit eodem modo, & ordine in Sacristiam, quo venerat initio Missæ. Facta deinde Cruci, vel Imagini in Sacristia profunda reverentia, ac postea Celebranti, eundem deponentem Paramenta sua adiuvat. Acolythi vero adjuvant Diaconum dum se exuit. Postea lotis manibus, factaq; brevi Oratione cum aliis Ministris discedit in pace.

§. 4.

De Officio Diaconi in Missa Solemni Pontificali.

1. LIcet multa ad observandum habeat porrecta, Diaconus Evangelii, superioribus tribus §§§. quomodo se gerere debeat in Missa Solemni, supersunt adhuc nonnulla quæ observare debeat in Missa Solemni D. Abbate Pontificaliter Celebrante. Itaq; Diaconi Officium suscepturus, potius esse debet ex Sacerdotibus, quam Diaconis, quia & prærogativa D. Abbatis id exigit, & Rubrica omnino requirit, nam de assistentia Episcopo in Officio Diaconi Evangelii *Cærem: Episc: L. 1. c. 9.* decidit his verbis: *Et ipse* (scilicet Diaconus) *ex Canonicis esse debet.* Hoc ipsum affirmant omnes Rubricistæ. Pari modo sentiendum esse censeo in Monasteriis respectu DD. Abbatum.

2. Expleturus ergo Officium Diaconi, eodem se modo paret, quo supra expressum est, prius tamen, antequam D. Abbas venerit in Sacristiam. Hic postquam laverit manus, Diaconus accedet ad ejus dexteram cum debitis reverentiis, & simul cum Subdiacono stante à sinistris capiet Pontificalia Paramenta de manibus Acolytorum, ea suo ordine afferentium, & iisdem D. Abbatem induet adjuvante Subdiacono, non omissis debi-

debitis osculis prope Cruces. Imponet postea Chirothecam dexteram, in ejus dextera, quam prius osculatur, & postea eandem Chirothecam. Sic parato D. Abbate sumet suum Manipulum, cum osculo Crucis in eo.

3. Procedens ad Altare, incedit nudo capite, à sinistris Archidiaconi, veniens ad gradus Altaris stabit ad sinistram D. Abbatis, in loco, ubi Subdiaconus ordinarie consistit, faciens Confessionem cum D. Abbate, & dicens *Tibi Pater*, & *Te Pater*, & *Misereatur Tui*, conversus ad eum profunde se inclinabit. supradicta tamen verba non immutabit, nec addet *Reverendissime*, esset enim expresse abusus contra Rubricam generalem. Ascendentem ad Altare adjuvabit D. Abbatem & statim transibit ad dexteram ejus. Ubi osculato Libro Evangeliorum à D. Abbate, statim ad Altare ministrabit Naviculam ad ponendum incensum in thuribulo, petetq; benedictionem incensi dicens de more: *Benedicite Pater Reverendissime*; reddita Navicula, accipit thuribulum, quod cum debitis osculis porrigit D. Abbati ad incensandum Altare, eumq; adjuvat in dicta thurificatione. Qua finita ipsum D. Abbatem in cornu Epistolæ cum Mitra stantem trino ductu incensabit, inclinans se profunde ante, & post. Non prius tamen eum incenset, quam Mitra capiti ejus imponetur.

4. Recedente D. Abbate ab Altari ad sedem suam, ipse Diaconus cum Subdiacono vel remanebit ibi ad infimum gradum, si stare debeant ad Altare, vel si habent paratum scamnum ex opposito sedis Abbatialis, accedet cum socio ad dictum sedile, ibiq; dicent alternatim *Kyrie eleison*. Et cum D. Abbas sedet in sede sua, ipse Diaconus vel ascendit ad 2. gradum Altaris ibiq; stabit ut in aliis Missis, vel si sunt parata sedilia sedebit cum socio ex opposito D. Abbatis, non tamen in linea recta cum eo, sed quasi è regione primi Diaconi assistentis, propiùs Altari figendo sedile.

5. Postquam D. Abbas intonaverit Hymnum Angelicum, sive *Gloria in excelsis DEO*, si stat Diaconus ad Altare, ascendat cum Subdiacono ad illud, ibiq; recitet cum illo submissa voce, sicut cum Celebrante reliqua Hymni Angelici. Quo dicto, cum debitis genuflexionibus descendit ad 2. gradum, ibiq; stabit ad finem. Si autem habent sedilia sua Ministri sacri, antequam D. Abbas surrexerit ad intonandum *Gloria &c.* prius Diaconus cum suo socio surgere tenetur, & sic ante sedile suum stando in loco dicent Submissa voce Hymnum Angelicum. Quo dicto sedente D. Abbate, & ipse sedet.

6. Dum

6. Dum à Choro canitur *Cum Sancto Spiritu &c:* Diaconus si stat ad Altare, descendit in planum, & facta cum Subdiacono genuflexione, accedit ad sedem D. Abbatis, consistitq; a latere dextro Archidiaconi ad Orationem. Si autem sedent, tunc Diaconus ad finem Hymni Angelici erigit se, & stat in loco suo, quod magis consonum esset. *Cærem: Episc: L. 2. c. 8.*

7. Decantata à Subdiacono Epistola, & accepta benedictione, revertenti ab osculo manus Subdiacono, adjunget se Diaconus, & procedet cum eo ad Altare, si stabat propè sedem D. Abbatis, quod pariter faciet licetsi fuerit in loco suo prope sedile suum, non intermissis debitis inclinationibus. Ubi ante infimos gradus accipiens Librum Evangeliorum, eodem modo deferet ad Altare, ibiq; ponet, quemadmodum supra dictum est c. 3. §. 1. n. 16. ipse interim in 2. gradu consistit. Perlecto à D. Abbate Evangelio, benedictoq; incenso, deberet quidem priùs Diaconus absq; Missali solum ad osculum manus venire, ut præcipit *Cær: Episc: L. 2. c. 8.* ne tamen cujusdam confusionis in Ministris detur occasio, subticeo de his, melius tamen facient illi qui hoc observabunt, hoc autem fieri debet ante benedictionem incensi.

8. Diaconus notificatus à Cæremoniario in infimo gradu genuflectit, dicit *Munda Cor meum &c.* & surgens ascendit ad Altare, capit Librum, descendit, genuflectit cum aliis, & præcedentibus Ceroferariis, comite Subdiacono accedit ad sedem D. Abbatis, ubi genuflexus dicit: *Jube Domne benedicere*, inclinans aliquomodo Librum versùs D. Abbatem, & accepta benedictione reverenter manum ejus osculatur, receditq; cum iis, cum quibus venerat, servatis solitis reverentiis, acceditq; ad gradus Altaris, ubi in plano una cum Subdiacono consistit, expectans, donec sit tempus eundi ad Evangelium cantandum.

9. Decantat Diaconus Evangelium ut supra, hoc tamen advertere debet, quia ita se locare tenetur, ut neq; Altari, neq; D. Abbati terga vertat. Decantato Evangelio non incensabit D. Abbatem, sed redibit ad gradus Altaris, expectans Subdiaconum, quo adveniente, ad decantatum Symbolum pariformiter facient, sicut ad Hymnum Angelicum fecerunt. Ad ℣. *Et incarnatus est*, si stabant ad Altare, descendit Diaconus in planum, & cum Subdiacono in infimo gradu genuflectunt. Si vero sedebant, tunc non surgunt, nec genuflectunt, sed sedendo profunde se inclinant versus Altare.

10. Dum canitur ℣. in Choro: *Et resurrexit.* Diaconus surgit, accedit ad Credentiam, defert bursam cum Corporali, & expli-

explicat illud in medio Altaris. In via transeundo ante sedem D. Abbatis profundam in transitu, & regressu facit reverentiam, postea ad locum suum ubi prius stabat, vel sedebat revertitur. Ad finem Symboli, seu ad illum ℣. *Et vitam venturi sæculi.* Si stabant, Diaconus descendit in planum, & stat à dextris Subdiaconi ante infimum gradum; si vero sedebant, surgit, & facta D. Abbati reverentia accedit ante infimum gradum, ubi primo genuflexus surgit, & expectat adventum à sede D. Abbatis.

11. Accedentem D. Abbatem ad Altare Diaconus excipit, Mitram aufert, & à dextris adjuvat eum ascendentem, cum quo simul ascendit, stans ad cornu Epistolæ, ubi allatum à Subdiacono Calicem discooperit, tum porrigit patenam cum Hostia, non absq; osculis Patenæ, & dexteræ D. Abbatis. Pariter in oblatione Calicis, omnia ut supra dictum est, de Missa Solemni, peragit. Patenam in manus Subdiaconi tradit, tegens eam extremitate veli oblongi, ab ejus humeris pendentis.

12. Tum accedente Thuriferario, ministrat naviculam, petit benedictionem incensi, & adjuvat D. Abbatem thurificantem oblata, & Altare; qua finita, & recepto Thuribulo incensat D. Abbatem cum Mitra stantem, ad cornu Epistolæ, cum debitis reverentiis ante, & post. Mox benedictione ab eo accepta, parumper recedens de loco suo, incensat Archidiaconum stantem à dextris D. Abbatis. Tum veniens ad medium plani genuflectit, surgit, & incensat Diaconos assistentes ad se conversos, postea Chorum, deinde rediens Subdiaconum patenam sustentantem, & reddit thuribulum Ministro de eo. Tandem ipse à Thuriferario incensatur, & usq; ad Præfationem persistit in 2. gradu.

13. Circa finem Præfationis cum debitis reverentiis accedit ad dexteram D. Abbatis, ubi cum eo dicit *Sanctus &c.* de more, & statim redit ad prædictum locum scilicet 2. gradum Altaris, facta Cruci reverentia post Celebrantem. Sub tempus Canonis omnia observare debet quæ superius dicta sunt, præsertim circa Calicem cooperiendum, vel discooperiendum, quando opus fuerit, atque retinendum duobus digitis Calicem, dum S. Hostia eundem signat. Non accedit tamen ad Librum, sed ad 2. Altaris gradum revertitur, ubi continuo stat.

14. In Oratione Dominica, dum decantat D. Abbas: *Et dimitte nobis &c.* facta in loco genuflexione, accedit ad dexteram D. Abbatis, ubi Patenam sumptam de manu Subdiaconi, extersam, & osculatam in extremitate porrigit ei cum osculo ma-

 nus

nus ejus, ut supra, & in eodem loco dicit: *Agnus DEI &c.* percutiendo pectus. Quo dicto removet se magis ad cornu Epistolæ, cedens locum Archidiacono ad osculum pacis venienti. Ad primam Orationem Diaconus non genuflectit, quia Archidiaconi tunc est Officium, cum ipse primò recipiat Pacem. Archidiaconus recepta Pace recedit, & Diaconus in locum ejus succedens genuflectit, surgit; & accipit à D. Abbate pacem, eodem, quo supradictum est, modo. Denuo recedit ad cornu Epistolæ propter Subdiaconum venientem ad accipiendam pacem, & eo recedente propius accedit ad dexteram D. Abbatis, ibiq; consistit, & ministrat solito more.

15. Sumpta S. Hostia ipse Diaconus detegit Calicem, & factis debitis genuflexionibus, transit ad sinistram D. Abbatis, ubi post Archidiaconum, aut ad latus ejus sinistrum stabit, vel si placet recedente Archidiacono ad cornu Evangelii, ipse ad Librum stabit, & sumpta purificatione, atq; facta digitorum in Calice ablutione, transferet Librum clausum cum cussino ad cornu Epistolæ, imponet Mitram D. Abbati ad lotionem manuum, & extersis manibus eam auferet, stabitq; in 2. gradu post eum, agens reliqua ut superiori §. dictum est.

16. Dicto: *Placeat Tibi Sancta-Trinitas &c.* imponit Mitram capiti D. Abbatis, & nec dicit, nec cantat: *Humiliate capita vestra ad benedictionem*, quia nec Rubrica generalis, nec specialis in Cærem: Episc: nec Decreta S. R. C. nec demum Authores quicunq; de his mentionem faciunt, adeoq; nihil est addendum ex mente Decreti S. R. C. Data benedictione statim extrahit Mitram, statq; ad Evangelium ut supra. Quo finito descendit cum D. Abbate in planum, ubi imponit Mitram, & factis debitis Altari reverentiis, eodem modo, & ordine redit in Sacristiam, quo venerat ad Altare; exuit demum D. Abbatem sacris Paramentis retrogrado ordine, quo induerat, quo exuto, & non prius, etiam sua deponit Paramenta, & recedit in pace.

§. 5.

De Officio Diaconi in Missis de Requiem.

1. IN Missa defunctorum Diaconus, dum Celebrans accedit ad Altare post Confessorem (quam facit ut in aliis Missis, excepto Psal: *Judica me DEUS,*) etiam ascendit cum eo, ubi genuflectit, & vadit statim ad cornu Epistolæ, ad dexteram Celebrantis, quia Altare non incensatur, ibiq; in 2.

gra-

gradu stat, non tamen se signat ad Introitum, nec quidquam osculatur, quod Celebranti porrigit, quia oscula non dantur in Officio Defunctorum, Ministrat tamen respective, ut in aliis Missis.

2. Dum Celebrans incipit Evangelium, Diaconus capit Librum Evangeliorum, & ad Altare defert, solito, non tamen ponit super Altare. Si cantetur in Choro sequentia Mortuorum, ipse cum Celebrante & Subdiacono stat ad Altare, ut ad Hymnum Angelicum in aliis Missis. Ad finem Prosæ descendit ad 2. Altaris gradum, ubi in suppedaneo genuflexus dicit: *Munda Cor meum &c.* non tamen petit benedictionem, surgit, descendit in planum, ibiq; procedit ad cantandum Evangelium, ad quod non deferuntur lumina, neq: adhibetur incensum.

3. Finito Evangelio Diaconus procedit directe ad 2. gradum, ubi stat dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum*, & dum incipit Offertorium, accedit ad dexteram Celebrantis, explicat Corporale delatum cum bursa in Calice, non tamen prius, nisi Offertorio finito. Postea Celebranti porrigit Patenam cum Hostia, sine tamen osculis, ministrat vinum more solito cum Calice, non dat Patenam Subdiacono, sed statim facta oblatione Hostiæ, eandem Patenam ponit aliquantulum subtus Corporale, & reliquam partem ipsius Purificatorio cooperit. Ministrat incensum ad Oblata sine osculis, petit tamen illius benedictionem, finita incensatione, thurificat tantum Celebrantem.

4. Cum Celebrans dicit: *Orate Fratres* &c: ipse stans in 2. gradu cum Subdiacono inclinatus, solus tantum respondet: *Suscipiat Dominus* &c: quo dicto accedit ad Librum cum solitis reverentiis, ubi folia vertit si opus est. Ad Præfationem stat à tergo Celebrantis, *Sanctus* &c, dicit ad dexteram eius. Reliqua circa Canonem ministranda peragit ut in aliis Missis.

5. Circa finem Orationis Dominicæ ascendit ad dexteram Celebrantis, Patenam de subcorporali sumit, extergit, & porrigit Celebranti sine osculis. Ad *Agnus Dei* non percutit pectus, sed eo dicto, & facta genuflexione accedit ad Librum, ubi iterum genuflectit, & ministrat ut in aliis Missis.

6. Dicta ultima oratione à Celebrante, quæ dicitur *Postcommunio*, atq; postea *Dominus vobiscum*, ipse Diaconus in loco suo consistens, versa facie ad Altare, sonora voce canit: *Requiescant in pace*, & non se vertit ad populum. Animadvertat tamen, ut hunc ℣. semper dicat in plurali, nunquam vero in singulari, licet sit officium pro uno Defuncto,

7. Si D. Abbas in Pontificalibus Missam pro Defunctis celebrabit, præter superius specificata Diaconus hæc observare debet: dum D. Abbas ad Introitum dicendum procedet ad sedem suam, præcedet eum cum Subdiacono, ibiq; permanebit, donec dicatur totum *Kyrie eleison*, ubi semper & imponere, & deponere Mitram curabit, quia iam non sunt Diaconi assistentes, & hoc munus pertinet ad Diaconum. Dum adhuc à Choro canitur *Kyrie* accedit ad Altare, ibiq; in 2. gradu consistit, quo finito accedit ad sedem, ibiq; permanet usq; ad finem Epistolæ.

8. Dum vero Sequentia, seu Prosa in Choro canitur, & D. Abbas finivit Evangelium, accedit ad Altare, ibiq; ad 2. gradum subsistit, & circa finem dictæ Prosæ genuflexus ut supra dicit. *Munda Cor meum &c.* & descendit in planum, stans à dextris Subdiaconi expectans tempus eundi ad Evangelium, quod eodem modo, ut supra, cantat, sine luminibus, & sine incenso.

9. Finito Evangelio accedit ad sedem D. Abbatis, eumq; adiuvat in lavandis manibus, porrigens manutergium. Tum comitatur eum ad Altare. ascendentem adiuvat, cæteraq; omnia peragit, ut supra dictum est, usq; ad finem Missæ. Finita Missa præcedit eundem D. Abbatem, vaditq; in Sacristiam, ubi eum adjuvat ad deponenda sacra Paramenta, sicut adjuvabat ad induenda.

10. Ad Absolutionem, si facienda est, deposito tantum suo manipulo in cornu Epistolæ, adiuvat Celebrantem in eodem latere: (aut D. Abbatem in sede) exuentem se Planeta, & Manipulo, eiq; imponit Pluviale Nigrum. Deinde ante medium Altaris veniens cum Celebrante, à sinistris eius, genuflectit, surgit, & procedit ad Lecticam nudo Capite, ubi stat aliquantulum retro post eum, semper tamen ad sinistram. Et dum Cantores cantant in ℟. *Libera me* &c: ℣. *Requiem æternam* &c: Ministrat naviculam accedens ad dexteram Celebrantis, porrigendo sine osculis cochlear, dicendo tamen: *Benedicite Pater Reverende*, vel D. Abbati *Pater Reverendissime.*

11. Inchoato à Celebrante *Pater noster*, accipit de manu Ministri Aspersorium, & illud Celebranti porrigit sine osculis, elevansq; sinistrâ, fimbriam Pluvialis dextram, facta Altari genuflexione procedit aliquantulum post eum, sed à dextris ejus, genuflectens Cruci, & SS. Sacramento in Tabernaculo, licet Celebrans Cruci tantum se inclinat. Completo circulo Aspersorium recipit, & reddit Ministro de eo. Tum acci-

accipit thuribulum porrigit Celebranti, & eodem modo illum comitatur, quo ad aſperſionem.

12. Reverſus ad locum erga Altare genufleĉtit, recipit thuribulum, illud reddit Thuriferario, deinde accipit Librum, & ſtans ante faciem Celebrantis, facta ei prius debita inclinatione, paulo tamen a ſiniſtris eius tenet Librum apertum, ex quo dicit Celebrans ℣℣. & Orationem, cum ℣. *R. quiem æternam* &c: quibus dictis recedit, claudit Librum, & facta Celebranti iterum inclinatione, Librum Miniſtro reddit, ac decantato à Cantoribus ℣. *Requieſcant in pace*, prout venerant redeunt in Sacriſtiam, ibiq; deponunt ſacra Paramenta. Eodem modo miniſtrat Diaconus ad Sepulturam, vel Exequias ſolemnes, exceptis paucis, ut ſuo loco dicetur infra.

§ . 6

De Officio Diaconi in Proceſſionibus.

I. IN Proceſſionibus cum SS. Sacramento, hoc ſemper obſervare debet, ut non deponat de Tabernaculo Oſtenſorium, priusquam incenſetur à Celebrante in ſuppedaneo genuflexo, ad cuius latus dextrum, in eodem Suppedaneo ipſe Diaconus genufleĉtere debet, incenſum miniſtrare. Facta incenſatione, recipit thuribulum, ſine oſculis (quia in præſentia SS. Sacramenti non debent fieri oſcula) illudq; reddit Thuriferario. Tum ſurgens, & ad Altare faciens genuflexionem, conſcendensq; ſcabellum, à Cæremoniario porrectum, & ſuſtentatum, deponit Oſtenſorium, collocat illud in medio Altaris ſuper corporale. Amoto ſcabello iterum genufleĉtit, accipitq; in manus Oſtenſorium, vertens eius faciem erga ſe, & ſtans quaſi lateraliter propè medietatem Altaris, ita, ut terga vertat ad cornu Epiſtolæ, faciem verò ad cornu Evangelii, Celebranti prius genuflexo, tum ſtatim erecto tradit in manus diĉtum Oſtenſorium, ita portandum à Celebrante, ut Imago Chriſti, quæ eſt in Hoſtia, omnes ante faciem ſuam procedentes, reſpiciat. Quo facto manus Celebrantis tegit extremitatibus veli oblongi, ut nullomodo appareant, & denuò in loco ſuo genufleĉtens, recedit ad 2. gradum, ad eum locum ubi prius Subdiaconus genufleĉtebat, ne poſtea fiat confuſo in permutatione eorum, ibiq; manet genuflexus, quouſq; non progrediatur proceſſio.

2. Deſcendente Celebrante cum Oſtenſorio ad Proceſſionem

onem, ſublevat ex parte ſua brachia ejus, procedit tamen Diaconus ſemper à dextris, ſine intortitio, ſeu Candela, ſed ſiniſtra manu fimbriam Pluvialis elevans, dextera ſupra pectus poſita, recitat ſubmiſſa voce Pſalmos & Hymnos cum Celebrante, nec cantat cum aliis. Feria tamen V. in Paraſceve, quia Celebrans tunc tantum utitur ad Proceſſionem Planeta, & non Pluviali, ideoq; Diaconus ſiniſtra manu brachium dextrum Celebrantis ſuſtentat.

3. Cum vero pervenerit ad locum ubi reponendum eſt SS. Sacramentum, accepturus de manibus Celebrantis Oſtenſorium genuflectit ſuper ſuppedaneo aliquomodo ad latus Epiſtolæ, & ſtatim ſurgens accipit ambabus manibus dictum tabernaculum geſtatorium, perſiſtitq; in eodem loco, ut Celebrans SS. Sacramentum genuflexione adoret. Mox ſuper Altare deponit, iterum genuflectit, accedit ad dexteram Celebrantis, miniſtrat thuribulum, & adjuvat dictum Celebrantem, dum Sacramentum incenſat, elevando fimbriam Pluvialis.

4. Si Celebrans dicturus eſt aliquam Orationem ex Libro, ipſe genuflexus ad Celebrantis dexteram & non erectus ſuſtinet Librum cum Subdiacono pariter genuflexo ad ſiniſtram ejusdem Celebrantis. Qua decantata Librum claudit, eumq; clausum reddit Cæremoniario, vel Acolytho reponendum in Credentia, aut deportandum.

5. Ad benedictionem fimbriam Pluvialis à parte ſua elevat aliquantulum, & non porrigit tunc Celebranti Sacramentum, niſi quando cum velo oblongo accedit ad Altare, ut portet illud in Proceſſione. Pariter poſt benedictionem ſolus Celebrans reponit Oſtenſorium ſupra Altare. Poſtea genuflexo Celebranti in ſuppedaneo, porrigit Diaconus thuribulum, ut Sacramentum incenſet, qua incenſatione finita Diaconus cum debitis genuflexionibus Oſtenſorium vel reponit in Tabernaculo, vel Sacram Hoſtiam deponit in Pixide.

6. Si ergo S. Hoſtia ſervanda eſt, aperto Tabernaculo, extrahit Pixidem, qua aperta, pariterq; aperta feneſtrella Oſtenſorii, extrahit Lunulam, quam deponit in Pixide cum Hoſtia, altera die in Miſſa purgandam. Advertat autem diligenter ne in ipſo Oſtenſorio aliqua remaneat particula, ſed (ſi eſt Sacerdos) indice in Pixidem extergat, ſi autem Diaconus, interim occludat, & poſtea notificet Sacerdoti ut eandem particulam deponat in Pixidem. Depoſita S. Hoſtia,

Oſten-

Ostensorium ad latus Evangelii collocet lateraliter, Pixidem autem occlusam statuat in medio Altaris supra Corporale, & cum debitis genuflexionibus accedat ad Celebrantem, aut statim occlusum locet in Tabernaculo, ac occludat, quod convenientius esset.

7. In aliis Processionibus Communibus, ubi Subdiaconus cum Cruce procedit, Diaconus à sinistris Celebrantis incedere debet tecto Capite prout Celebrans, nisi aliter notetur, & ideò non elevat Pluviale ejus. In Processionibus vero pro Defunctis portat Librum ante pectus, pro recitandis Orationibus ad stationes. In Processionibus Rogationum Diaconus procedit à dextris Celebrantis, quia tunc Subdiaconus non portat Crucem, sed Celebrans, & Ministri debent portare sacras Reliquias, quilibet seorsivè ferens cum SS. Reliquiis Instrumentum, juxta morem Provinciæ, & jam tunc non elevant fimbrias. Reliqua suggeret Rubrica generalis.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Assistens Presbyter debet Episcopum thurificare ad sedem, quicunq; ille sit, non vero Diaconus Evangelii. S. R. C. 16. *Maii* 1607. *in Placentina*.

2. Diaconus Evangelii debet thurificare Chorum, nec ab eo munere excusatur, sub prætextu contrariæ consvetudinis. S. R. C. 15. *Martii* 1608. *in Alexandrina*.

3. In Missa Conventuali quando decantatur Evangelium, Ceroferarii cum cereis accensis assistere debent, & Diaconus quoties thurificatur Altare, incensum ministrare tenetur. S. R. C. 5. *Septembris* 1648. *in Beneventana*.

4. Aspersio die Dominico semper facienda est à Celebrante, etiam quando superior celebrat. S. R. C. 16. *Novembris* 1649. *in Januen: Ergo à Diacono nunquam.*

5. Diaconus ministrans thus Canonico Celebranti, ut benedicat, debet dicere: *Benedicite Pater Reverende*, & non *Pater Reverendissime*. S. R. C. 4. *Aprilis*. 1699. *in una Burgi S. Sepulchri.*



CAPUT IV.

De Subdiacono Epistolæ.

§. 1.

De Officio Subdiaconi in Missa Solemni usq; ad Evangelium.

1. SUbdiaconus, quia in sacris inservit, sicut Diaconus, eadem animi puritate, & Sanctitate ministrare debet. Legat diligenter ea, quæ supra de Diacono dicta sunt, multa enim sunt utriq; communia, quæ seorsivè hic retexere nimis longum esset. Ea tamen quæ specialiter concernunt Officium Subdiaconi recensere non dubitamus. Sciendum tamen est imprimis, quod ad explendum Subdiaconi Officium, non omnino debet esse Subdiaconus ordine, quia sæpius non posset celebrari Missa Solemnis propter defectum talis Ministri, sed sufficit ut habeat 4. Minores ex decisione S. R. C. ut videre est infra. Sine tamen necessitate non est dispensandum in dicto dubio, quia si est aliquis in ordine Subdiaconatus constitutus, officium suum explere tenetur. Jlle tamen substitutus solum absq; manipulo inservire tenetur. Vasa tamen Sacra tangere, propter Officium permissum, potest, ideoq; & patenam in Missa tenere.

2. Hora itaq; competenti cum Diacono accedit ad Ecclesiam, vel Sacristiam, ubi aliquantulum orat, postea Epistolam perquirit, eam prælegit, & signaculo notat. Tum lavat, & tergit manus. Postea Calicem aptat. Purificatorium super eum expandens, desuper ponit Patenam cum Hostia integra, munda, ac bene ab extremitatibus tersa, deinde Pallam postea velum parvum, ac bursam cum Corporali intus, desuper ponit. Sicq; ornatum Calicem asportat vel ipse, vel Cæremoniarius ad Credentiam.

3. Capit postea Paramenta sua adjuvante aliquo Acolytho, quæ fuerant posita à sinistris Celebrantis, eo modo quo Diaconus à parte sua: Scilicet Amictum, cujus crucem osculatur, Albam, Cingulum, & Tunicellam, nullas dicens Orationes ad Paramenta, quia nulla videtur necessitas. Celebrantem sumentem Sacra Paramenta adjuvat cum Diacono; postea jam

parato Celebrante ſumit Manipulum, & non prius, oſculando Crucem ejus in medio.

4. Sic paratus Subdiaconus ſtat ad ſiniſtram Celebrantis, donec incenſum benedicatur, ad quod non debet miniſtrare Thuribulum, (ut pluribus in locis fit contra Rubricam generalem) ſed Thuriferarius, quod ſemper animadvertere, & obſervare debet. Tum factâ cum aliis Cruci, ſeu Imagini principaliori in Sacriſtia, reverentiâ, ac poſtea Celebranti, procedit ante Diaconum, junctis ante pectus manibus, capite cooperto. Si procedat Celebrans in Pluviali, ipſe Subdiaconus à ſiniſtris ejus incedit, elevans dexterâ ſua ſiniſtram fimbriam Pluvialis, ſiniſtram ſuam ſupra pectus ponens.

5. Si tranſeat ante majus Altare, ad quod non celebrabitur dicta Miſſa Solemnis, ſemper genuflectit nudo capite, licet non ſit ibi Tabernaculum SS. Sacramenti, ſed ſolâ Crux. Et ſi eſſet ibi expoſitum SS. Sacramentum, vel in alio loco, ante quod tranſeat, utrumq; genuflectit à ſiniſtris Celebrantis. Si Sacriſtia ſit in parte Evangelii, exeundo, ipſe cum erit prope cornu Evangelii, paululum retrocedet, cum 2do Ceroferario, ut det locum Celebranti tranſeunti ante eum, cui facit reverentiam.

6. Cum pervenerit ad Altare, conſiſtet à ſiniſtris Celebrantis, Birretum ſuum tradet Cæremoniario, & genuflectet, licet ſit ſola Crux, una cum Diacono pari voce reſpondet ad confeſſionem, ſe ſignans, inclinans, percutiens pectus, convertens ſe ad Celebrantem, aſcendens ad Altare, ibi genuflectens, & alia faciens cum eo; ideo ad Diaconum diligenter attendere debet. Non extendit manus ſuas dum Celebrans dicit: *Oremus* ante *Aufer à nobis &c.* ſed junctas ante pectus ſemper tenet.

7. Quando Celebrans ad Altare ponit thus in thuribulum, ſtat quaſi à ſiniſtris ejus, aliquantulum poſt eum, & facie verſa ad Altare; cum vero Altare thurificat, dexterâ aliquantulum elevat eam partem Planetæ, quæ eſt circa brachium ſiniſtrum Celebrantis, ſiniſtra intra pectus poſita, ſemper Cruci genuflectens cum Diacono comitando Celebrantem, dum tranſit ante eam. Finita Altaris incenſatione, ſine nova genuflexione accedit per breviorem viam in planum ad cornu Epiſtolæ, ubi dum Celebrans incenſatur, ſtat à ſiniſtris Diaconi manibus junctis, non ſe inclinans.

8. Deberet quidem ſtare ad dexteram Diaconi in plano, dum Celebrans legit Introitum, ſed quia pluribus in locis ob anguſtiam loci non poſſet hanc Rubricam explere, & mos in

Regno Poloniæ invaluit, quia in eo loco consistit ad Introitum, in quo cantaturus est Epistolam, deoq; & nos ob varias rationes huic consuetudini consentimus, ut ipse Subdiaconus ad Introitum consistat, post Celebrantem; in plano, manibus junctis, ubi advertat, dum Celebrans dicit ℣. *Gloria Patri* &c. inclinet caput, & signet se initio Introitus cum Celebrante, atq; ad *Kyrie* respondeat alternatim, eadem voce qua Diaconus, Post hæc si sedendum erit, procedatur, ut ad *Gloria* infra dicetur, alias in loco expectari debet cantus in Choro ultimi *Kyrie eleison.*

9. Dum cantatur ultimum *Kyrie.* Si sedebant in banco, surgit cum aliis, & primus omnium per longiorem viam, quia per planum ad medium Altaris. non tamen veloci, sed proportionato cum aliis passu progreditur, remanetq; in plano, ante infimum gradum. Si stabant in latere Epistolæ æquali cum Celebrante passu, per planum tamen, accedit ad medium, ubi in supradicto loco persistit.

10. Inchoato à Celebrante *Gloria in excelsis DEO*, permanet in loco, ad *Deo* inclinat Caput. Deinde & non prius, facta genuflexione simul cum Diacono in suo loco, accedit simul e in eodem Diacono ad Celebrantem, ad sinistram ejus, cum quo, & Diacono dicit submissa voce Hymnum Angelicum; usq; ad finem inclinans se, & in fine signans se cum eis. Hymno dicto si standum erit parum retro recedens stat à sinistris Celebrantis, æqualiter quemadmodum Diaconus.

11. Si sedendum sit, facta prius Altari genuflexione, præcedit Diaconum per gradus laterales Epistolæ, ibiq; expectat ante sedem suam, stans antequam Celebrans sedeat, ejus Planetæ posteriorem partem adaptat, tum sedente Celebrante, sumit Birretum, & facta cum Diacono simul Celebranti, profunda reverentia, nec non Diacono modica, sedet à sinistris Celebrantis, tecto capite, manibus super Tunicellam extensis, & digitis simul junctis, supra genua positis, sicut de Diacono dictum est.

12. Dum canitur in Choro: *Cum Sancto Spiritu* &c. Subdiaconus deponit Birretum, prior omnium surgit, & facta Celebranti inclinatione præcedit Diaconum lento passu non veloci, procedendo per planum ad medium, ubi in infimo gradu à sinistris Celebrantis genuflectit; dum Celebrans ad Altare ascendit, Subdiaconus ad 2. Altaris gradum ascendit elevando aliquantulum Vestium anteriores fimbrias ejus, moxq; descendit in planum consistitq; in medio ante infimum gradum; quod semper in pari casu ascensus Celebrantis à Subdiacono servari debet.

Si

Si verò stant ad Altare, tunc ad finem Hymni, Angelici facta genuflexione simul cum Diacono, descendit in planum, vertendo se per eam partem quæ respicit Celebrantem.

13. Dicto à Celebrante *Dominus vobiscum*, ad quod stant unus post alium, nec se inclinant, statim recedente eodem Celebrante ad cornu Epistolæ, eodem passu per planum procedit & Subdiaconus permanet, in eo loco, ubi cantaturus est Epistolam. Circa finem Orationis, seu Orationum, accepto tempestivè à Cæremoniario Libro Epistolarum, aut à Ceroferario 1mo, ambabus manibus, facie ad illum conversa, mutuaq; inclinatione ante, & post præstita, comite eodem Cæremoniario, vel Ceroferario accedit ad medium, portans librum elevatum ambabus manibus, ante pectus suum, in infimo gradu genuflectit, & revertitur ad locum cantandæ Epistolæ. Ita tamen tempestive genuflectat, ut ad ea verba in conclusione *JESUM Christum* non sit in via, sed genuflectat.

14. In Feriis Adventus, & Quadragesimæ, atq; Quatuor temporum, quando dicuntur in Missa Prophetiæ, dicto à Celebrante *Oremus*, & à Diacono *flectamus genua*, ipse Subdiaconus statim cum aliis genuflectit, utroq; genu, & primus omnium surgens canit in tono convenienti *Levate*, ad quæ multum attendere debet, ideoq; tempestivè revideat, quando hæc, & quoties peragi debent.

15. Finitis Orationibus Subdiaconus tenens sibi Librum ambabus manibus incipit alta, & sonora voce Epistolam, paulatim cum distinctione commatum, periodorum, ac interrogationis notarum. Qua finita, claudit Librum, & eo modo quo supra eum portans, quemadmodum etiam Diaconus, habet præscriptum supra Cap. 7. §. 1. n. 15. accedit ad medium, genuflectit in infimo gradu, postea per planum accedit ad cornu Epistolæ, ascendensq; ad Celebrantem, genuflectit ante eum, deflectit partem superiorem Libri versus eum, & superpositam Celebrantis in Libro manum reverenter osculatur in parte exteriori, & non digitos, à quo signo Crucis benedicitur.

16. Accepta benedictione Subdiaconus surgit, & reddito Libro suo comiti, scilicet Cæremoniario, capit Missale Celebrantis cum Cussino, & illud clausum supra cussinum defert per planum, ante pectus ad cornu Evangelii, genuflectens in medio, ibiq; ministrat Celebranti ad eius sinistram stans, tenens Librum elevatum manu sinistra, dextera vertens folia si opus est, eademq; indicans Evangelium conveniens, caput inclinans,

nans, non tamen genuflectens, licet si Celebrans genuflecteret. Respondet etiam *Et cum Spiritu tuo. Gloria tibi Domine.* & in fine *Laus tibi Christe.*

§. 2.

De Officio Subdiaconi ab Evangelio usq; ad initium Canonis.

1. LEcto Evangelio à Celebrante, Subdiaconus appropiat Missale cum cussino propè medium Altaris cavens ne corporale impediat, sed commodius iaceat ad legendum Celebranti, ut stans in medio legere bene valeat. Tum facta genuflexione, ad planum Altaris descendit, ubi stat retro post Celebrantem, ita, ut si Celebrans stat in medio, ipse quoque stet in medio; si Celebrans stat inter medium ipsum, & cornu Evangelii, ipse pariter stet respectivè. Cum Celebrans benedicit Diaconum, Subdiaconus immobilis stare debet.

2. Descendente Diacono recedit ad sinistram de medio, ubi facta simul cum illo genuflexione, super infimo gradu, procedit iunctis ante pectus manibus à sinistris Diaconi nudo capite ad locum cantandi Evangelii; ubi conversus ad dictum Diaconum accipit ab eo Librum apertum ambabus manibus, quem etiam postea tenet elevatum ante pectus, ita ut pars Superior ipsius Libri, sit oculis suis aliquantulum altior, ne Diaconum videat in facie; statq; in medio Ceroferariorum, vertens renes ad eam partem, quæ respicit Aquilonem: Nec ibi unquam se inclinat, aut genuflectit, nec se signat, cum immobile lectorile repræsentet. Si vero aut SS. Sacramentum est expositum, aut D. Abbas Celebret, ita se vertat Subdiaconus, ne aut ipse, aut Diaconus terga vertat Sacramento, aut D. Abbati.

3. Finito Evangelio Subdiaconus statim recta via defert Librum Evangeliorum apertum, & elevatum ad Celebrantem, sine ulla prorsus reverentia, etiam SS. Sacramento, licet sit expositum propter Sacri Textùs reverentiam, eiq; ostendit principium Evangelii osculandum. Tum clauso Libro paululum retrocedit, & Celebranti se inclinat profunde, & sine mora descendit in planum, non per medium, sed quasi ad latus Epistolæ, ibiq; in infimo gradu genuflectit, quasi à dextris Diaconi tunc incensantis, & prædictum Librum Evangeliorum tradit Cæremoniario ad Credentiam reportandum.

4.

4. Incensato Celebrante Diaconus dum ascendit ad 2. Altaris gradum, Subdiaconus in plano remanet post eum. etiam dum Celebrans inchoat Symbolum stat, ad Verbum *DEUM*. inclinat cum aliis caput. Mox facta genuflexione in eodem plano, ascendit simul cum Diacono, ad sinistram Celebrantis consistit, ubi prosequitur submissa voce Symbolum, genuflectens, & se inclinans manibus junctis, & in fine se signans, & iterum iungens manus cum Celebrante.

5. Dicto Symbolo vel remanent stantes ad Altare, vel sedent, pariformiter ut ad Hymnum Angelicum; At si stant, Subdiaconus ad ℣. *Et incarnatus est* descendit cum Celebrante ad 2. gradum, & in suppedaneo genuflectit, (nisi sit Festum Nativitatis D. N. J. C. in omnibus tribus Missis, & Festum Annuntiationis B. V. M. quia tunc ad planum descendit, & in infimo gradu cum Celebrante, & Diacono genuflectit) atq; ad verba ista *Et Homo factus est*, caput inclinat, prius tamen cum Diacono posteriorem partem Planetæ adaptat super pedes Celebrantis.

6. Si autem sedent, dum cantatur ℣. prædictus à Choro, inclinat se profundè cum aliis, aperto capite, & permanet inclinatus, quousq; à Choro terminetur *Et Homo factus est*. Quo dicto surgit, & stat in loco ad sedem suam, dum Diaconus defert Bursam Corporalis ad Altare, ei transeunti se inclinat, & non prius sedet, quam Diaconus explicato in Altari Corporali revertens ad sedem suam, in eadem consideat. Et tunc ipse Subdiaconus facta ei mediocri reverentia, sedet, & caput contegit. Ita *Cærem: Episc: L. 1. c. 18. & Jacob. c. 17. n. 8.*

7. Circà finem Symboli quod cantatur à Choro, scilicet ad ℣. *Et vitam venturi sæculi*, redit cum Celebrante & Diacono ad Altare, eo modo, quo ad finem Hymni Angelici. Si verò stat, circa finem eiusdem Symboli, facta prius genuflexione descendit post Diaconum in planum, ubi stat etiam immobiliter, dum Celebrans dicit: *Dominus vobiscum.* Dicto *Oremus* à Celebrante, genuflectit in loco, accedit ad Credentiam, ubi adiuvante Cæremoniario imponit humeris suis velum oblongum, sericeum, & coloris Paramentorum, licet si non sit ordine Subdiaconus sed Clericus tantum, ita ut à latere dextro longius pendeat, & aciculis, aut spinulis, ita firmetur, ut postea non defluat, nec decidat. Accipit dein Calicem manu nuda sinistra per nodum, velum parvum amovet, nisi simul ferat cum Bursa Corporalium; tum accipiendo dexte-

ra

ra, partem illam longiorem Veli à collo pendentis, Calicem obtegit, & desuper manum extensam dexteram apponit, tenetq; bene, ne aliquid decidat. Sic procedit ad Altare, per breviorem viam, id est per latus Epistolæ à dextris Cæremoniarii, ibiq; deponit Calicem à Diacono discooperiendum.

8. Detecto per Diaconum Calice, & accepta pro Celebrante Patena cum Hostia, Subdiaconus sumit per nodum sinistra Calicem, & dextera purificatorium, qui immissis dextræ digitis cum dicto purificatorio, extergit eundem Calicem, & extersum porrigit Diacono absq; osculis. Mox ampullam vini porrigit, quam accepit ab Acolytho, & solus ampullam Aquæ ab eodem Acolytho accipiens, elevatam per manubrium monstrat Celebranti, petitq; benedictionem inclinato mediocriter capite per verba: *Benedicite Pater Reverende*, tum paucas guttas ipsius Aquæ à Celebrante benedictæ cautè & modestè in Calicem immittit, & postea ampullam utramq; reddit Acolytho.

9. His peractis, remanet stans ad Altare, in eodem loco, donec Diaconus post oblationem Calicis, illum tegerit, quo tecto ab eodem Diacono accipit in nudam dexteram Patenam, quam ille Diaconus oblongi veli extremitate, adiuvante Cæremoniario, tegit, ita, ut nulla pars nuda ejus appareat; pars vero interior Subdiaconum omnino respiciat. Vitet tamen, ne accipiat purificatorium cum Patena, quia hoc cum sit semper necessarium, in Altari prope Corporale remanere debet. Quo facto sine genuflexione redit post Celebrantem, ad medium Altaris in planum, ubi facta prius genuflexione in infimo gradu, stat sustinens eandem Patenam elevatam ob oculos, usq; ad finem Orationis Dominicæ, nisi notetur aliter, sinistra manu brachium dextrum sustentans, si opus sit.

10. Advertat autem, ut non genuflectat, nec se inclinet, dum Celebrans incensat Altare, aut dum genuflectit cum Diacono, neq; ad Missale accedat absente Diacono, ut folia vertat, sed in loco suo quasi immobilis consistit. Respondet tamen Celebranti dicenti: *Orate fratres*, & dicit in loco suo: *Suscipiat Dominus* &c: inclinato tantum capite; quod prius non incipit, quam converso iam Celebrante ad Altare.

11. Facta incensatione Chori, incensatur Subdiaconus à Diacono duplici ductu; qui Subdiaconus recedens aliquantulum in

in eodem plano ad cornu Evangelii, & semiconversus ad Altare, versus dictum Diaconum, stantem in parte Epistolæ, inclinans se eidem Diacono ante, & post incensationem; ad quam tantillum demittit patenam ad pectus, eamq; postea iterum elevat, & ad locum suum revertitur.

12. Dum Celebrans dicit in Præfatione *DEO Nostro*, Subdiaconus etiam inclinat caput. Paulo antequam dicatur *Sanctus &c*, etiamsi Subdiaconus Patenam sustineat, genuflectens in loco suo accedit ad sinistram Celebrantis, ubi inclinatus cum illo dicit: *Sanctus &c.* Et dum dicit: *Benedictus qui venit &c.* erigit se, nec tamen se signat, quia Patenam sustinet. Quo dicto genuflectit & descendit post Celebrantem, ibiq; stat. Magis tamen convenit ut immobilis persistat, & non accedat ad Altare.

§. 3.

De Officio Subdiaconi ab initio Canonis, usq; ad finem Missæ.

1. AB initio Canonis Subdiaconus stat in loco suo immobilis; & paulo antequam elevetur SS. Sacramentum, scilicet tunc, dum Diaconus, post illa verba, *Quam oblationem &c.* genuflectit, ipse quoq; in infimo gradu genuflectat, maneatq; genuflexus, usq; ad genuflexionem Celebrantis, post elevatum Calicem; nec unquam Planetam Celebrantis elevat, sed solus Diaconus. Postea surgit, & stat, nec se signat, nec genuflectit, nec se inclinat, nisi post depositam Patenam.

2. Cum in Oratione Dominica Celebrans dicit: *Et dimitte nobis debita nostra &c.* tunc, & non prius genuflectit, accedit ad cornu Epistolæ, & stans ad dextram Diaconi, offert illi Patenam, qui solus detegit, recipit, extergit, & porrigit Celebranti. Subdiaconus amoto per seipsum Velo de humeris suis, tradit illud Cæremoniario deferendum ad Credentiam. Postea genuflectit, & descendit in planum post Celebrantem.

3. Dum Celebrans dicit: *Pax Domini &c.* genuflectit & ascendit ad sinistram ejus, iterum genuflectens cum eo, ad Altare, cooperto Calice, & inclinatus junctis manibus ter dicit: *Agnus DEI*, percutiens ter pectus cum ipso Celebrante, manu sinistra infra pectus posita, deinde facta iterum genuflexione redit post Celebrantem, ubi stat, donec Diaconus Pacem acceperit à Celebrante.

4. Post-

4. Postquam Diaconus accepit à Celebrante Pacem, ipse Subdiaconus ascendit ad 2. gradum, post Celebrantem, ubi parum accedens ad cornu Epistolæ accipit à Diacono Pacem, sinistram scilicet suam genam, sinistræ illius genæ jungens, manibus junctis ipsius amplexum per brachia suscipiens, dicentiq; dicto Diacono: *Pax tecum*, respondet: *Et cum Spiritu tuo*, quod etiam Subdiaconus, in danda aliis pace, observare debet.

5. Si autem danda sit pax per Instrumentum, Subdiaconus osculatur illud in manibus Diaconi, & pariter dicenti *Pax tecum*, respondet: *Et cum Spiritu tuo.* Postea acceptum Instrumentum tradit inferioribus Ministris osculandum, eodem modo, quo ipse acceperat. Si autem D. Abbas paratus adesset, Subdiaconus tunc non à Diacono, sed ab ipso Celebrante accipiat Pacem, qui statim facta Altari genuflexione, procedit ad sedem ejus, & absq; ulla reverentia defert supradicto modo, vel per osculum, vel per Instrumentum Pacem, non tamen sedenti, vel flectenti, sed omnino stanti; Tum factis debitis D. Abbati reverentiis, accedit ad Chorum, & tantum primo de ordine Seniori in qualibet tribuit parte. Deinde factis post Choro reverentiis, accedit ad Altare, ibi genuflectit, surgit, & dat Pacem pariter reliquis inferioribus Ministris.

6. Insuper advertat, ut nulli det pacem cum osculo, nisi stanti, ideoq; si quis sederet, aut genuflecteret, quod nullomodo fieri debet, moneatur ut surgat, quod si facere renuerit, Pax ei deneganda est. Ita *P. Baudry P.* 1. *c.* 13. *art.* 1. *n.* 37. Finita vero Pace redit ad dexteram Celebrantis, ubi genuflectit, cum eo, si forte tunc genuflectat, alias non; Et dum dicit: *Domine non sum dignus &c.* illud etiam dicit submissa voce, inclinatus versus Altare, & ter percutit pectus suum. Quando Celebrans se communicat cum utraq; specie, profundè inclinatus manet versus Altare, & non versus Sacramentum, tempore autem intermedio stat erectus. Dum Celebrans incipit dicere: *Quid retribuam Domino &c.* discooperit Calicem, genuflectit, & surgit, si tamen verè est Subdiaconus, alias non detegit Calicem.

7. Si facienda sit Communio, & velit eam Subdiaconus accipere, sumpto à Celebrante SS. Sanguine, dum Diaconus facit Confessionem, vadit ad medium 2. gradûs Altaris, ubi in suppedaneo genuflexus, vel (si Diaconus etiam voluerit Communicare) à sinistris Diaconi genuflexus manebit, donec S. Synaxim sumpserit. Accepta S. Communione Subdiaconus accedit ad cornu Epistolæ, ibiq; stat quasi ad Celebrantem conversus, & eo converso ad Altare, ipse pariter ad Altare se convertit.

8. Fa-

8. Facta Communione à Celebrante, cum utraq; specie, & aliis omnibus communicatis, Subdiaconus stans à dextris Celebrantis, capit ampullam Vini de manu Acolythi, ex qua infundit Vinum in Calicem Celebrantis, super Altare ab eo porrectum, pro purificatione. Mox sumpta Ampulla Aquæ manu sinistra, infundit iterum super pollices, & indices suâ dexterâ priùs Vinum, ampullamq; statim reddit Acolytho: eademq; dextera accipit ampullam Aquæ ex qua infundit etiam parum aquæ, super eosdem indices, & pollices Celebrantis, sicut prius vinum, cum debitis tamen osculis ampullarum.

9. Redditis itaq; Ampullis Acolytho, accedit ad cornu Evangelii per planum, genuflectens in medio, ibiq; Calicem extergit purificatorio, Patenam & Pallam superimponit, plicat Corporale, illud reponit in Bursa, & allato sibi per Cæremoniarium parvo Velo, expandit illud supra dictum Calicem, deinde superimponit Bursam, super quam Velum replicat, in parte anteriori, solusq; sine Socio reportat sic ornatum Calicem ad Credentiam, per medium, sinistra scilicet per nodum tenendo, & dextera supra Calicem extensa. Collocansq; dictum in Credentia Calicem, demittit anteriorem partem Veli, ita, ut non appareat ipse Calix.

10. His peractis, redit cito ad cornu Epistolæ sine genuflexione, stans in plano ut ante ad Orationem. Accedit postea cum Celebrante ad medium, ibiq; stat unus post alium ad *Dominus vobiscum;* quo dicto, redit, quemadmodum Diaconus, & Celebrans, ad cornu Epistolæ, ad Orationes, quæ dicuntur *Postcommuniones.* His finitis revertitur ad medium, ibi ut prius consistit, non se vertens, nec inclinans, dum canitur à Diacono: *Ite Missa est.* Inclinat tamen caput in loco, dum Diaconus in Quadragesima dicit: *Humiliate capita vestra Deo,* & ad Orationem quæ sequitur.

11. Si peculiare Evangelium dicendum sit a Celebrante, dicto per Diaconum *Ite Missa est,* facta genuflexione, Subdiaconus accedit ad cornu Epistolæ, unde accipit Missale, quod defert ad cornu Evangelii, prius tamen genuflectit in Suppedaneo à sinistris Diaconi, dum Celebrans dat benedictionem, ad quam non se signat, quia est impeditus. Si vero tantum S. Joannis ordinarium Evangelium sit legendum, finito *Ite Missa est,* ascendit ad 2. Altaris gradum, ubi æqualiter cum Diacono stans, versus cornu Evangelii, dum Celebrans benedicit, genuflectit, se signat, & surgens procedit ad cornu Evangelii, ubi vel ad Missale, vel ad Tabellam ministrat, ut

ad primum Evangelium, se signans, & inclinans aut genuflectens cum eo, nisi teneat Librum, quia tunc à genuflexione, & signo Crucis abstinet, Respondet tamen cum opus est: *Et cum Spiritu tuo. Gloria tibi Domine,* atq; in fine: *Deo gratias.*

12. Finito Evangelio, & facta inclinatione cum Celebrante à sinistris ejus, versus Altare, descendit in planum, vertens faciem erga cornu Epistolæ, ibiq; super infimo gradu cum omnibus aliis genuflectit, surgit, capit Birretum, tectoq; capite, eodem quo venerat, ordine, junctis manibus, redit in Sacristiam. Ubi facta prius Imagini, tum Celebranti reverentia cum aliis capite nudo, adjuvat eundem Celebrantem cum Diacono deponentem Paramenta, quibus depositis, salutant eum iterum, ut decet; ac deinde Subdiaconus exuit se Paramentis suis, adjutus ab aliquo Acolytho. Deniq; Calicem, & alia quæ prius allata fuerant ad Credentiam, reportat in Sacristiam, adjuvantibus aliis Ministris. Ad ultimum facta Oratione, in pace recedit.

§. 4.

De Officio Subdiaconi ad Missam Solemnem in Pontificalibus.

I. PRæter ea, quæ superius de Officio Subdiaconi sunt annotata, nonnulla hic debent considerari, præsertim quia Missa in Pontificalibus, solemniores aliquomodo ritus exigit. Subdiaconus itaq; iisdem, quibus supra vestibus sacris indui debet, & quidem tempestivè, ut D. Abbati ornanti se inservire possit. Paratus ergo indumentis Ministerii sui, sine Manipulo, adveniente D. Abbate in Sacristiam, detractisq; per famulos sæculares ordinariis calceis, induit eum ipse Subdiaconus caligis, & Sandaliis, adjuvantibus sæcularibus Ministris, primo quidem dextrum pedem, deinde sinistrum. His peractis adjuvat etiam Diaconum à parte sua dum se D. Abbas ornat Sacris Vestibus, præcipuè autem Chirothecam imponet manui sinistræ, cum debitis osculis priùs manus, postea Chirothecæ.

2. Parato sic D. Abbate capiat Manipulum, & non priùs, permanebitq; à sinistris ejus donec tempus sit eundi ad Altare. Procedet autem ad Altare immediatè ante Diaconum solus, Librum Evangeliorum clausum ante pectus ambabus manibus portans, in quo erit inclusus Manipulus D. Abbatis.

tis. Accedet ad Altare cum debitis reverentiis Altari, & D. Abbati advenienti, cui facienti Confessionem, ipse stans à finistris Diaconi Evangelii, ad cornu Evangelii, respondet simul cum Presbytero assistente, & Diacono, servatis paribus reverentiis.

3. Dum D. Abbas dicit *Misereatur vestri* &c: ipse Subdiaconus Librum Evangeliorum pro interim deponit in manus Cæremoniarii, ad sinistram suam consistentis, & accipiendo Manipulum ex dicto Libro, illum prope Crucem osculatur, tum dicto à D. Abbate *Indulgentiam* &c: illum eidem D. Abbati, ubi est signum Crucis osculandum porrigit, osculando etiam prius manum ejus, deinde dictum Manipulum imponit sinistro brachio, eumq; adaptat. Tunc autem Diaconus parum retrocedit, ut Subdiaconus commodiorem locum habeat hæc peragendi.

4. His peractis, statim à Cæremoniario accipit Librum Evangeliorum, ascendensq; cum D. Abbate per partem Evangelii, eidem porrigit ad osculandum textum S. Evangelii, adiuvante Archidiacono, sed non prius, quam osculato Altari. Finito osculo dictum Librum tradit Cæremoniario, vel Capellano de eo, & stans in cornu Evangelii, adiuvat D. Abbatem, sicut Diaconus, ad incensandum Altare, sustentans aliquomodo posteriorem Planetæ partem circa brachia. Dum Diaconus D. Abbatem incensat, Subdiaconus de more stat à finistris eius; & descendente D. Abbate, atq; accedente ad sedem suam, ipse remanet in plano ad gradus Altaris cum Diacono, vel si habent parata sedilia ex opposita parte sedis Abbatialis, ad ea accedet cum Diacono, ibiq; dum tempus erit, alternatim cum eo dicet *Kyrie eleison*.

5. Dicto *Kyrie*, dum à Choro reliquum cantatur, si standum est, Diacono ascendente ad 2. gradum Altaris, ipse remanet in plano post eum stans. Et intonato à D. Abbate *Gloria in excelsis Deo*. inclinato ad *Deo* capite, genuflectit, ascenditq; cum Diacono ad Altare, ibiq; recitat Hymnum Angelicum, quo dicto recedunt ad loca sua, itatq; unus post alium. Ad finem vero Hymni Angelici, scilicet dum cantatur à Choro *Cum Sancto Spiritu* &c: Diacono descendente de 2. gradu Altaris, parum recedit Subdiaconus ad cornu Evangelii, ubi cum eo genuflectens, accedit simul ad sedem D. Abbatis, præmissa solita reverentia, consistitq; ad sinistram ejus, propè Capellanum de Libro, donec terminari debeat Oratio, vel plurium ultima.

6. Si autem in paratis sedilibus sedebant ad *Kyrie* Diaconus scilicet, & Subdiaconus, tunc antequam D. Abbas surrexerit, surgunt prius, permanentq; ad sedilia sua stantes; ubi etiam inchoatum Hymnum Angelicum prosequuntur submissa voce, sicut ad Altare, & sedente prius D. Abbate sedent in suis sedilibus. Paulò antequam finitus fuerit Hymnus Angelicus, scilicet ad illa verba: *Cum Sancto Spiritu* &c, in Choro decantata, surgit Subdiaconus, una cum Diacono, consistitq; ante sedile suum, etiam sub tempus Orationis, vel plurium, donec à Cæremoniario ad decantandam Epistolam per nutum evocatus non fuerit. Quod magis consonum videtur *Cærem: Episcop. L. 2. c. 8.*

7. Circa finem ultimæ Orationis ad nutum Cæremoniarii, factis debitis D. Abbati reverentiis in loco suo, accedit Subdiaconus ad cornu Epistolæ, ubi ab expectante Cæremoniario accipit ambabus manibus Librum Epistolarum, cum mutuis inclinationibus ante, & post. Deinde comite eodem Cæremoniario à sinistris procedit ad medium Altaris, ubi in infimo gradu parumper orat, tum surgit, & revertitur ad cornu Epistolæ in planum; ubi sibi ipsi tenens Librum cantat sonora voce Epistolam, eaq; finita, cum debitis reverentiis, & eodem Cæremoniario comite accedit ad sedem D. Abbatis, & genuflexus coram eo, super eius genibus Librum ponit, manumq; illius super Librum positam reverenter osculatur, & accepta ab eo benedictione redit ad Altare, ubi in plano ante gradus consistit, recedendo parum ad cornu Evangelii ut Diaconus habeat locum.

8. Dicto à Diacono: *Munda Cor meum* &c: postquam ille descenderit ab Altari, simul cum illo genuflectit, eumq; comitatur ad sinistram usq; ad sedem D. Abbatis, ubi dum Diaconus accipit benedictionem, ipse Subdiaconus manibus ante pectus junctis profundè inclinatus, ad sinistram eius consistit, & accepta à Diacono benedictione, Subdiaconus eo, quo venerat, modo, & ordine revertitur, persistitq; ut prius in plano ante gradus Altaris, donec tempus sit eundi ad Evangelium. Si tamen prius Diaconus ad osculum manus tantum, juxta mentem Cær: Ep: vellet accedere, non sit ei comes Subdiaconus, nisi ad accipiendam benedictionem.

9. Ad Evangelium Subdiaconus, præcedentibus Ceroferariis, solus immediatè ante Diaconum, manibus ante pectus junctis procedit, consistensq; in loco, vertit faciem suam ad eundem Diaconum, & ab eo accipit apertum Librum Evangelio-

gelio-

geliorum, quem solito more tenet ante pectus, ambabus manibus; hoc tamen advertat, ut ita sit constitutus cum Libro, ne aut Diaconus, aut ipse terga vertat Altari, sive D. Abbati.

10. Finito Evangelio tenens Subdiaconus adhuc Librum apertum, nulla prorsus facta reverentia, etiam SS. Sacramento, si esset expositum, offert illum osculandum D. Abbati in eo loco ubi est principium Evangelii diei. Et clauso Libro parum se retrahit, facit profundam inclinationem, redit ad Altare, consititq; cum Diacono ut prius ad initium Hymni Angelici.

11. Inchoato à D. Abbate Symbolo, ubi ad verbum: *Deum.* - Caput inclinat, facta genuflexione, si stare deberent, ascendit ad Altare ut prius ad *Gloria*, dictum Symbolum submissa recitat voce, & eo finito descendit ut antea ad Hymnum Angelicum. Si autem sedendum est, ad inchoationem Symboli stat ad gradus Altaris, & eo inchoato, procedit cum Diacono pariter ad sedile, ubi consistens cum eo simul recitat dictum Symbolum, caput inclinat, genuflectit, ac se signat quando opus est. Deinde sedente D. Abbate, ille pariter cum socio sedet.

12. Dum à Choro cantatur. ℣. *Et incarnatus est* &c. si stant ad Altare, Subdiaconus recedit parum ad cornu Evangelii, ut det locum Diacono, ubi in infimo gradu genuflectit cum eo, & dum dicitur *& Homo factus est*, etiam caput inclinat. Accedente vero Diacono ad Credentiam pro deferenda Bursa Corporalium, erigit se, & permanet in eodem loco, donec explicuerit Corporale Diaconus, eoq; descendente ab Altari ad 2. gradum, ipse quoq; accedit ad medium. Si autem sedent tunc ad ℣. *Et incarnatus est*, non surgunt nec genuflectunt (nisi in tribus Missis Nativitatis D. N. J. C. & in Festo Annuntiationis B. V. M. prope sedilia sua genuflexi permanent) sed sedendo inclinant se profunde. Et dum Diaconus accedit ad Credentiam, Subdiaconus erigit se, & stat, quousq; ille non revertatur ab Altari. Ad finem prædicti Symboli, scilicet dum canitur à Choro: *Et vitam venturi sæculi*, Subdiaconus cum socio erigit se, & facta D. Abbati reverentia progreditur ad Altare, ubi consistit in plano ante infimum gradum.

13. Postquam D. Abbas laverit manus, dicto Offertorio, Subdiaconus accedit ad Credentiam, & extenso sibi circa humeros velo oblongo, portat, (ut supra §. 2. n. 7.

dictum

dictum eſt) Calicem ad Altare, non tamen prius, niſi tunc, cum D. Abbas pervenerit ad Altare, aliaq; peragit, ut in alia Miſſa Solemni, offerendo tamen aquam ad benedicendum D. Abbati, priusquam infundatur in Calicem, dicere debet: *Benedicite Pater Reverendiſſime.*

14. Poſt oblationem Panis, & Vini factam, Subdiaconus accipit de manu Diaconi Patenam, quam veli extremitate contectam, elevatamq; ſuſtinet in loco ſuo, ut ſupra, ubi etiam incenſatur id eſt in plano retro poſt D. Abbatem inter duos Diaconos aſſiſtentes, nec ſe movet, nec ad *Sanctus* aſcendit, ſed in loco ſuo dicit, elevato tamen SS. Sacramento in infimo gradu genuflectit, depoſito S. Calice ſurgit, perſiſtitq; in loco ſuo.

15. Dum D. Abbas dicit: *Et dimitte nobis &c.* cum debitis reverentiis accedit ad Altare, ubi tradit Patenam Diacono in cornu Epiſtolæ, qui eam diſcoopertam accipit. Subdiaconus depoſito ſtatim Velo, eoq; tradito in manus Cæremoniarii, redit ad locum ſuum, ſcilicet planum. Ad *Agnus DEI*, accedit ad Altare, ſtatq; poſt Presbyterum aſſiſtentem, & ibi inclinatus percutit pectus ter, dicendo illud: *Agnus DEI &c.*

16. Recedente Archidiacono à Libro ad oſculum pacis, Subdiaconus manet ad Librum, ſed poſtquam ille redierit, ipſe poſt Diaconum Evangelii accedit ad D. Abbatem, ut ab eo pariter Pacem accipiat, quam Miniſtris etiam tribuit, prius tamen ad Chorum defert, ut ſupra diximus. Data Pace, quibus præſcriptum eſt, conſiſtit in loco ſuo, donec finita communione D. Abbatis, tempus venerit infundendi Vinum pro purificatione, & tunc in locum Diaconi accedit, ſuumq; præſtat Miniſterium, hoc finito tranſit, cum debitis genuflexionibus per planum, ad cornu Evangelii, ibi Calicem extergit, eumq; compte ornatum defert, ſine Velo, ad Credentiam.

17. Redit dein ad cornu Epiſtolæ in planum, & ſtat poſt D. Abbatem, cæteraq; peragit ut in aliis Miſſis Solemnibus. Ad Evangelium ultimum non miniſtrat, quia adeſt Presbyter aſſiſtens. Finito Evangelio, factis debitis Altari reverentiis, eo, quo venerat, ordine redit in Sacriſtiam, ſine Libro tamen, ſed manibus ante pectus junctis. In Sacriſtia facta Imagini, & D. Abbati reverentia, adjuvat Diaconum in exuendo D. Abbate.

§ 5
De Officio Subdiaconi in Miſſa de Requiem.

1. AD Miſſam Solemnem pro Defunctis, Subdiaconus initio ita ſe gerit, prout in aliis Miſſis, & prout Dia-

Diaconus. Ad Introitum non se signat, cantata Epistola non osculatur manum Celebrantis, nec ab eo benedicitur, sed statim facta genuflexione in medio infimi gradus, tradit Librum socio suo, & transfert Librum Celebrantis ad cornu Evangelii, ibiq; ad Evangelium ministrat, ut aliàs. Finito Evangelio dum Prosa cantatur à Choro, stat cum Diacono ad latera Celebrantis, ut ad Hymnum Angelicum, in aliis Missis. Ad finem dictæ Prosæ, descendente Diacono ad dicendum: *Munda Cor meum &c.* pariter descendit usq; ad planum, ibiq; permanet expectando tempus Evangelii.

2. Ad Evangelium sequitur Diaconum præcedentem, ita *Cærem: Episc: L. 2. c. 11.* quo finito non defert Librum ad osculum Celebranti, sed illum clausum à Diacono post finem Evangelii, facta genuflexione Altari, tradit Ministro. Ad Offertorium Calicem coopertum velo parvo, cum bursa defert ad Altare, nec petit aquæ benedictionem, sed infusa Aqua in Calicem, & redditis ampullis Acolytho, pergit ad sinistram Celebrantis, genuflectens in medio, ibiq; assistit ad incensationem Altaris. Celebrante incensato, ministrat cum Diacono manutergium ad tergendas manus. Non dicit *Suscipiat Dominus &c.* sed Diaconus tantum, ita *Gavantus P. 2. tit: 13. n. 2.* Dicit tamen *Sanctus* de more.

3. Paulò ante elevationem SS. Sacramenti, facta genuflexione in medio, accedit in planum ad cornu Epistolæ, ubi stans imponit solus thus in thuribulo, ministrante Thuriferario una manu scilicet sinistra Thuribulum, & dextera Naviculam cum Cochleari, sine tamen benedictione, quo facto, genuflexus in infimo gradu, accipit ab eodem Thuriferario thuribulum, incensat sub elevatione SS. Sacramentum, cum profundis inclinationibus ante, & post, videlicet ter S. Hostiam, & ter S. Calicem. Reddito itaq; thuribulo Thuriferario, genuflectit in loco, redit per planum ad medium, ubi facta genuflexione manet stans, & non genuflectit cum Celebrante.

4. Ad finem Orationis Dominicæ accedit ad sinistram Celebrantis, ubi *Agnus DEI* dicit tantum manibus junctis, & non percutit pectus, inclinatus tamen. Et statim mutat cum Diacono locum, hoc est a sinistra transit ad dexteram Celebrantis, genuflectens in accessu, & recessu, ibi stat, & inclinat se dum Celebrans dicit: *Domine non sum dignus &c.* genuflectit, detegitq; Calicem, quando opus est. Cætera peragit, ut in aliis Missis respectivè. Et licet si D. Abbas celebraret Missam pro Defunctis, ea ipsa præstare debet, quæ modo sunt notata, & quæ de

de Diacono in tali casu præscripta sunt, respectivè sunt observanda.

5. Ad Absolutionem in fine Missæ adjuvat, (si opus est) Celebrantem, dum exuit se Planetâ, & Manipulum deponit ad latus Epistolæ, ubi etiam ipse suum Manipulum deponit cum osculo Crucis. Dum Celebrans accipit Pluviale, Subdiaconus capit Crucem Processionalem propè Altare, ad cornu Epistolæ præparatam, & cum Ceroferariis accedit ad medium Altaris, sine ulla reverentia, ibiq; expectat Celebrantem. Deinde etiam sine ulla reverentia procedit ad Castrum doloris, post Thuriferarium cum Cruce, cujus Imago Thuriferarium aspicere debet, ut advertit: *Gavantus P. 2. tit. 13. n. 4.* Capite aperto incedere tenetur.

6. Et cum Subdiaconus ad Castrum doloris pervenerit, sistit se ad caput Lecticæ, quia tamen Caput Lecticæ variari contingit, si enim Defunctus Sacerdos sit, caput habet versus Altare, at si non sit Sacerdos, pedes habet versùs idem Altare, & non caput; ideoq; si absolutio sit prò defuncto Sacerdote, Subdiaconus propiùs ad Altare stare debet cum Cruce, aliquomodo retrocedendo versùs cornu Evangelii. Si vero pro non Sacerdote, locet se a tergo lecticæ, id est inter fores Ecclesiæ & lecticam, procedendo per latus suum dextrum ad eundem locum. Ubi stat immobilis, distando proportionate ab ipsa lectica, ita, ut Celebrans, & Diaconus facillimum inter Crucem, & Lecticam habeant transitum. Nullam transeunti Diacono, quinimo nec Celebranti faciat reverentiam. Dicto à Cantoribus *Requiescant in pace*, redit in Sacristiam eodem modo & ordine, quo venerat, non genuflectens etiam SS. Sacramento, licet ante illud transeat.

§. 6.

De Officio Subdiaconi in Processionibus.

1. SUbdiaconus ad faciendam Processionem cum SS. Sacramento, genuflectit à latere sinistro Celebrantis; dum imponit Celebrans thus in thuribulum, elevat dextram fimbriam Pluvialis, & postquam incensatum in loco suo fuerit Sacramentum, eo tempore, quo Diaconus deponit ostensorium de Tabernaculo, acceptum à Cæremoniario Velum oblon-

longum, imponit humeris Celebrantis, illudq; aciculis firmat, ne decidat in unam magis partem, quam in aliam.

2. Accepto à Celebrante in manus Ostensorio, statim ac Diaconus genuflectens descenderit, Subdiaconus mutat locum, & genuflectit in eodem loco, in quo prius Diaconus genuflectebat, ad vitandam postea in transitu confusionem, manetq; sic genuflexus, donec processio non fuerit inchoata. In qua ascendendo à sinistris Celebrantis, non deferet Candelam, sed dextera sua fimbriam pluvialis Celebrantis elevat, sinistra infra pectus posita. Caeterum non debet in Processione, sed Psalmos, & Hymnos recitabit submissa voce cum Celebrante, sicut Diaconus.

3. Dum Celebrans incedit per aliquos gradus, sinistra etiam sua sublevat anteriorem partem Albæ, & Vestis, una cum Diacono. Si vero Celebrans collocato Ostensorio in Altari, aliquid recitare debeat ex Libro, ipse Subdiaconus genuflexus tenet Librum, a parte sua, quem adjuvat Diaconus pariter genuflexus. Et cum ab eodem Celebrante datur benedictio cum SS. Sacramento, elevat à parte sua fimbriam anteriorem Pluvialis genuflexus. Data benedictione velum oblongum amovet ab humeris Celebrantis, illudq; tradit Cæremoniario. Omnibus itaq; completis recedit nudo, vel tecto Capite respective, cum Celebrante in Sacristiam.

4. In Processionibus SS. Sacramenti, vel quando aliqua insignis defertur Reliquia, si Rubrica exigat Subdiaconum ad deferendam Crucem Processionalem, alius Subdiaconus Alba, & Tunicella indutus, disponi debet ad deferendam dictam Crucem, & Subdiaconus Epistolæ à sinistris Celebrantis incedere debet. In aliis vero Ordinariis Processionibus, nunquam alius substituendus est pro eo, qui ministrat ad Missam.

5. Regulariter Crucem ferens procedit nudo capite, præsertim per Ecclesiam, nisi contingat fieri Processionem extra Ecclesiam, & vel frigus, vel ventus, aut æstus, aut aliquod incommodum illud tegere cogat: si tamen cum SS. Sacramento, etsi propter maximam inclementiam aëris, caput tegi tamen nullomodo potest. Sic procedendo in Processionibus ordinariis cum Cruce Subdiaconus, Imaginem Crucifixi habeat ante se, & non post se respicientem, medius inter duos Ceroferarios procedat, & non præeat. Ubi vero loci angustia simul cum Ceroferariis incedere non permittit, præcedant Ceroferarii, & ipse eos subsequatur.

Decreta S. R. C.

1. Deficiente Subdiacono pro Missa Solemni, data necessitate, potest permitti per Superiores & substituatur constitutus in minoribus Ordinibus ad cantandam Epistolam, paratus absq; Manipulo. S. R. C. 5. *Julii 1698. in Collen.*

2. In exequiis defuncti Sacerdotis præsente Corpore, locetur Crux ad Caput defuncti, inter feretrum, & Altare. S. R. C. 3. *Septembris 1746. in una Massæ & Populoni.*

CAPUT V.

De Officio Acolythorum, seu Ceroferariorum.

1. CEroferarii ordine Acolythatûs decorari debent, eorum enim Officium, ex ordinatione ipsa id requirit, ut ministrent Cereos, eosq; accendant, & extingvant in Ecclesia. Æqualitas in statura Acolythorum, quantum fieri potest, servari debet; pariter eorum Candelabra, atq; Candelæ pares, directè, & absq; inclinatione deferantur. Cum dicta Candelabra sumpturi sunt, semper nudis, & non coopertis manibus sumant. Is qui a parte dextra est, dictus Ceroferarius primus, ponit dexteram in medio Candelabri globo, sinistram vero in pede, qui cingulo correspondet: qui verò ad sinistram est, dictus Ceroferarius secundus, è contra, sinistra accipit globum Candelabri dextera vero pedem. Ita præcipit *Cær: Episc: L.* 1. c. 11.

2. Habitus eorum semper est Cotta, sive superpelliceum, & desuper Caputium Monasticum. Dum incedunt cum Celebrante, non unus post alium, sed æqualiter bini gressus pares dirigere debent, ne unus alium præeat. Si angustia loci impediat, quod non possint simul transire, & tunc 2dus præcedit 1mum. Genuflexiones æqualiter, & eodem tempore, dextro genu semper faciant, ac in omnibus aliis actionibus studeant conformitati, & unanimitati. Stantes, sint semper corpore erecto, ac firmo, demissis ad terram oculis, & instar statuarum immobiles, unde licet alii genuflectant, illi tamen non semper, quemadmodum ad Evangelium quando assistunt Diacono, aut initio Hy-

Hymnorum: *Veni Creator* &c. *Ave Maris Stella* &c. aſſiſtentes Celebranti ad ſedem, non genufle&tunt, præcipue quando comitantur Crucem cum candelabris in Proceſſionibus.

3. Quando abſq; Candelabris procedunt proceſſione Sacra cum Celebrante, ne manus vacuas qualitercunq; retineant, regulariter eas junctas ante pectus tenere debent, ſicùt ad Evangelia, ad quæ non deſerunt Candelabra. Ad Altare dum Celebratur Miſſa Solemnis reſpondeant ad Confeſſionem Celebranti, dicant *Kyrie eleiſon*, & ad alia. Hoc autem præcipuè advertant, quod dum genufle&tunt retro poſt Subdiaconum, ſive in medio, ad accendendos ſimul cereos ſuos, vel ex alia ratione, id faciant convenienti ſpatio, ne ſint nimis coarctati, dum genufle&tunt.

4. Si autem ipſi Acolythi deſerviant ad accendendos, & extingvendos Altaris Cereos, ſervent regulam ſequentem: Induti Cottis procedant ad medium cum ſuis Cereis necdum accenſis, ubi genuflexi in medio ante gradus Altaris, collocabunt Candelabra ſua in lateribus ſummi gradus Altaris, poſtea accipient Virgas oblongas, quæ communiter extinctoria vocantur, in quarum ſummitate candelulæ ſunt appoſitæ, quas candelulas uterq; admovebit lampadibus, quæ ſunt in Altari, & ſumentes ignem, hinc inde accedent à lateribus ad Altare, ubi uterq; a parte ſua accendet Cereos, incipiendo ab iis, qui ſunt Cruci Altaris proximiores; Accenſis ſimul candelis, deſcendunt in planum, accendunt ſuos Cereos, extingvunt candelulas in ſummitate virgarum, & dictas virgas in locis ſuis collocant. Sumunt deinde ſua Candelabra cum cereis accenſis, genufle&tunt in medio, atq; in Sacriſtiam redeunt. Quod tamen ut diebus ſaltem ſolemnioribus, & præſertim expoſito SS. Sacramento, per Acolythos exequatur, omnino convenit.

5. Ad Veſperas ſolemnes Officium Acolythorum, ſeu Ceroferariorum ſufficienter expreſſum eſt, P. 1. c. 10. per totum; hoc tamen præterea notandum remanet, quod decantato ℣. aut per ſe ipſos, aut per Aſſiſtentes, Ceroferarii facta genuflexione Altari, aſcendunt ad illud, & conduplicant Tobaleam extenſam deſuper Altare, ſtatimq; recedunt ad loca ſua, & accipientes Candelabra, ſint parati ad excipiendum Celebrantem, ſicq; ſub tempus incenſationis perſiſtant cum Candelabris. & Cereis accenſis, verſa facie ad Altare; qua finita, & recedente ab Altari Celebrante, ſi aliud Altare non erit incenſandum, depoſitis Candelabris, accedunt ſimul ad Altare, & conduplicatam revolvunt Tobaleam, cætera ibi notata, obſervent.

6. Ad Completorium solemne, sicut & ad Vigilias Matutinas solemnes, idem observandum erit, quod de Vesperis dictum est; ideoq; supra Part. 1. c. 11. 12. & 13. videantur ea, quæ pro Ceroferariis sunt notata; Præsertim si Celebrans sedeat in sede sua, & in eodem loco cantaturus est Capitulum, vel Orationem, aut quid aliud, pariformiter accedere debent, ibiq; collucere facie ad invicem, aut erga Celebrantem versa, prout situs loci permiserit.

7. In Officio Defunctorum Solemni sive ad Vesperas, sive ad Matutinum; si Celebrans paratus illud absolvat, dum repetitur Antiphona post *Magnificat*, aut post *Benedictus*. Ceroferarii capiunt candelabra sua, cum cereis accensis, & comite Cæremoniario, aut etiam soli, cum debitis reverentiis Altari, & Celebranti, ea tenent ad Orationem, stantes eo modo, quo dictum est ad Vesperas solemnes, ita præcipit *Cærem: Episc: L. 2. c. 10.* Dicto *Requiescant in pace*, comitantur Celebrantem in Sacristiam, non tamen inserviunt pari modo ad IX. Lectionem, licet eam Celebrans, aut superior dicat. Ad initium talis Officii Ceroferarii non utuntur Cereis accensis, quia Officium est feriale.

8. Missæ solemni assistentes Ceroferarii, paulo ante eam accedunt ad Sacristiam, ubi facta brevi oratione, manus lavant, induunt Cottas suas, adjuvant Ministros sacros, dum capiunt Paramenta sua. Tum accendunt Cereos Altaris, suo tempore; & eos pariter qui sunt in Candelabris suis; Deinde omnibus paratis, & posito incenso in Thuribulo à Celebrante, nudo Capite, cum Candelabris suis procedunt ad Altare è Sacristia, facta prius Cruci, & Celebranti debita reverentia, sequentes Thuriferarium, & Cæremoniarium. Si Sacristia sit in parte Evangelii, 2dus Ceroferarius cum Subdiacono prope gradum infimum Altaris paululum retrocedit, ut Celebranti locum cedat, cui etiam transeunti paululum se inclinat; si verò sit Sacristia a parte Epistolæ, idem præstabit Ceroferarius primus cum Diacono à parte sua.

9. Cum pervenerint ad Altare, stantes omnium postremi, simul cum aliis genuflectunt, mox surgunt, & deferunt sua Candelabra simul super cornua Credentiæ posteriora, eaq; relinquunt accensa toto tempore Missæ; quod maximè observari debet, dum D. Abbas Celebrat. Advertat illeq; qui ad Credentiam per planum ante medium Altaris transiturus est, ut non genuflectat iterum, quia prima genuflexio sufficit. Si autem consvetudo Monasteriorum non permittit ad Credentiam ardere Cereos Acolythorum, & nec Credentia adest, statim

post

post genuflexionem surgentes, extingvunt, & collocant Candelabra in loco seorsivo ab Altari, ut non sint impedimento Ministris, ipsi verò redeuntes ad loca sua genuflectunt, sicq; genuflexi faciunt Confessionem cum Celebrante, cum eo se signantes, & inclinantes, quemadmodum Ministri sacri.

10. Cum Celebrans ascendit ad Altare, Ceroferarii surgunt à genuflexione, & stant hinc inde a lateribus infimi gradus, manibus ante pectus junctis, nec sedent, licet Celebrans, & Ministri sacri sedeant, nisi tempore Concionis. Respondent ad omnia Celebranti sicut in Missis lectis, exceptis his, ad quæ Chorus in cantu respondet. Finita Epistola, & facta genuflexione, ambo accedunt simul ad medium plani cum Candelabris suis, ubi facta iterum genuflexione accendunt cereos suos ab illa lampade, quæ continuo ardere ante SS. debet, ubi denuo genuflexi recedunt ad loca sua, ibiq; consistunt cum suis Candelabris.

11. Dum Diaconus pro accipienda ad Evangelium benedictione genuflexit, propius consistunt, & ad latera Subdiaconi, parum tamen posterius, seu retro. Descendente eodem Diacono ad cantandum Evangelium, & genuflectente, statim genuflectunt, & primo soli Ceroferarii præcedunt ad locum Evangelii, ubi ita consistunt versa ad Diaconum facie, ut Subdiaconum cum Libro possint inter se commode habere, & sic stant immobiliter usq; ad finem Evangelii, non se signantes, aut inclinantes, nec genuflectentes, quia representant Candelabra immobilia.

12. Finito Evangelio, & recedente Subdiacono ad Celebrantem, accedunt ad medium, & consistentes à lateribus Diaconi, cum eo genuflectunt, stantq; penes eum, donec Celebrantem incensaverit. Hoc facto removent se ad latera infimi gradus, seu ad loca sua extingvunt Cereos, & candelabra locant in locis competentibus, non omissa tamen in accessu ad loca sua genuflexione. Ad ℣. *Et incarnatus est* &c: in locis suis genuflectunt, & tam tunc, quando Celebrans dicit, quam & tunc, quando à Choro canitur, neq; prius surgunt quam Celebrans, & Ministri. Et ad illa verba *Et Homo factus est*, etiam caput profundè inclinant.

13. Inchoato Offertorio Acolythus imus, accedit ad Credentiam, accipit Pelviculam cum Ampullis Vini, & Aquæ, easq; directè sequendo Subdiaconum defert ad Altare ambabus manibus, cavens ne per viam decidant. Et cùm ad Altare pervenerit, easdem successive in cornu Epistolæ porri-

get

get Subdiacono, prius videlicet ampullam Vini, deinde illam Aquæ, absq; osculis, easdem ampullas à Subdiacono recipiet, & referet ad Credentiam, quibus collocatis redibit ad locum suum.

14. Ad finem incensationis Altaris ambo Ceroferarii genuflectentes in locis suis, accedunt ad Credentiam, de qua 1mus accipit pelviculam manu sinistra, & dextera Ampullam Aquæ per manubrium, 2dus verò accipit ambabus manibus manutergium plicatum, ascenduntq; ambo post Diaconum incensantem Celebrantem; Quo recedente propiùs accedunt ad Celebrantem, ex quibus 1mus fundit aquam super indices, & pollices illius, subposita pelvicula, alter ambabus manibus expandit mappulam super manus Celebrantis, servatis ab utroq; debitis reverentiis simultaneis ante, & post, cum quasi osculo Ampullæ, & manutergii. Recepto manutergio à Celebrante, faciunt profundam reverentiam, & simul recedunt ad Credentiam, reportantes quæ acceperunt de ea, redeuntq; ad loca sua.

15. Dum dicitur Præfatio inclinant se Acolythi ad ea verba: *Deò nostro*, cum Celebrante, & cum dicitur *Sanctus* &c: Ceroferarius 1mus dat signum campanula, postea ambo genuflectunt, & genuflexi permanent, usq; ad Orationem Dominicam, dantes signum pro elevatione Hostiæ, & Calicis, ac ad: *Per ipsum*. Ante Orationem Dominicam dum Celebrans intonat: *Per omnia sæcula sæculorum*, surgunt, & stant, donec dicatur: *Et ne nos inducas in tentationem*. Qui respondentes: *Sed libera nos à malo*, statim genuflectunt, & genuflexi permanent ad Communionem, nisi dum à Subdiacono datur illis Pax, quia tunc surgere debent.

16. Si facienda sit Communio Laicorum ad Cancellos, non enim alicubi fieri debet, propter sedandum tumultum Populi, & vitandam confusionem, ac perturbationem Ministrorum, tunc Ceroferarii sub tempus Communionis Celebrantis, cum debitis reverentiis accendunt Cereos suos, eruntq; parati, ut assistant Celebranti Communionem distribuenti. Dum Celebrans sumit pretiosum Sangvinem, ambo dicunt clara voce *Confiteor* &c: percutientes pectora sua ad *mea culpa*. Et quando Celebrans procedit ad Cancellos cum Pixide, illi cum Cereis accensis præcedunt, & in extremitatibus Cancellorum locant se, ac permanent genuflexi, donec finiatur Populi Communio, tum denuo præcedunt Celebrantem redeuntem ad Altare, ipsi quoq; redeunt ad loca sua, extinguntq; Cereos.

17.

17. Si Communio non fit facienda, post sumptionem S. Hostiæ, à Celebrante, 1mus Ceroferarius accedit ad Credentiam, sumit pelviculam cum Ampullis Vini, & Aquæ, defert ad cornu Epistolæ, quas successivè Subdiacono porrigit, absq; osculis, eas postea receptas reportat ad-Credentiam sine genuflexione. Manent iam ambo erecti usq; ad finem Missæ. Dum terminatur ultima oratio, quæ dicitur *Postcommunio* debito ordine, & unanimi incessu accendunt in medio plani suos Cereos, & Candelabra; veniendo ad loca sua, constituunt in lateribus graduum Altaris.

18. Ad benedictionem in fine Missæ genuflectunt, signant se, manu sinistra infra pectus posita. Ad Evangelium stant erecti, signant se, & genuflectunt cum Celebrante. Finito Evangelio elevant Candelabra sua, cum Cereis accensis, ubi cum aliis ministris, & Celebrante recedentibus simul genuflectunt, & eodem ordine, quo venerant, redeunt in Sacristiam. Si tamen D. Abbas præsens sit in Choro, subsistendo parumper, simul cum aliis, tam initio Missæ, quam in recessu, faciunt reverentiam. Constituti in Sacristia, consistunt versus Crucem, cui cum cæteris profunde se inclinant, deinde Celebrantem salutant. Postea deponunt Candelabra, Cereos extingvunt, & adiuvant Ministros Sacros exeuntes se. Deniq; cum Subdiacono redeunt ad Credentiam, & reportant in Sacristiam ea, quæ ad illam fuerant allata. Ad ultimum deponunt Cottas, & facta brevi oratione, in pace recedunt.

19. Jn Missis Solemnibus Pontificaliter Celebratis, decet, ut Ceroferarii deferentes Cereos accensos in candelabris, hæc Candelabra collocent in Credentia, & ad illam permaneant, sive genuflexi, sive stantes, ut à n. 9. specificatum est, nihilq; speciale habent in tali Celebratione, nisi quod Diaconum, ad accipiendam benedictionem pro Evangelio, ad sedem deducere debent præeundo viam, & sub tempus dictæ benedictionis parùm inclinati à lateribus sedis stare debent, deinde reducunt eundem Diaconum ad Altare, præmissa debita D. Abbati cum aliis reverentia. Pariter dum D. Abbas celebrat Vesperas, vel Completorium, aut Matutinum, Ceroferarii servent ea, quæ supra de tali Officio sunt annotata, quæ sufficient. Accedentes ad sedem D. Abbatis, & recedentes ab ea, ob candelas quas in candelabris tenent, sufficit, quod unicam, & non trinam facient inclinationem. Si cum aliis accedunt qui trinam faciunt reverentiam, Ceroferarii facien-

do

do primam inclinationem, ita omnes inclinati, donec ab a-
liis tecti fuerit, facta reverentia; sed ita ad partes consistant, ut non impediant subsequentes.

20. In Missis defunctorum deferre debent ad Altare initio Missæ, & in fine Candelabra cum Cereis accensis, ita enim observant: *Gavantus in Mis. Def. Rubr. 17. n. 4. & P. Bauldry P. 3. c. 13. n. 5.* sed eosdem Cereos, facta genuflexione ante Confessionem extingunt. Non accendunt eos ad Evangelium, quia ad illud procedunt manibus tantum ante pectus junctis. Ad Orationem, & Postcommunionem genuflexi manent in locis suis, & non stant. Ad lotionem manuum Celebrantis afferunt etiam pelviculam & manutergium; sed qui defert manutergium tradit illud plicatum Diacono, quod extersis Celebrantis manibus eidem restituit. Qui vero affert pelviculam, ipse ministrat aquam sine osculis ampullæ, quia tunc ab osculis abstinendum est. Cætera peragunt, ut in aliis Missis, nisi aliter notetur.

21. Ad Absolutionem in fine Missæ, Ceroferarii accendunt in candelabris suis Cereos, locantque se à lateribus Subdiaconi Crucem Processionalem ferentis, cum quo procedunt, & locant se semper ad caput Lecticæ, ideoque si pro defuncto Sacerdote Officium agitur, consistent inter Altare majus, & Lecticam, retrocedentes parum ad cornu Evangelii, ne terga vertant Altari. Si autem pro non Sacerdote fiat Officium, procedent post Lecticam, via à dextris ducente, & consistent inter portam Ecclesiæ & Castrum doloris, in medio, ita ut Altare respiciant, Sic declarat *P. Bauldry P. 3. c. 14. n. 5.* Stantes ergo à lateribus Subdiaconi sive hic, sive ibi, permanebunt immobiles, nec se inclinabunt transeunti Celebranti, nec genuflectent ad preces, sed stabunt semper erecti. Dicto à Cantoribus *Requiescant in pace*, eodem, quo venerant, Ordine, & eadem via, revertuntur in Sacristiam.

CAPUT VI.

De Officio Thuriferarii.

1. THuriferarius thuribulum, Naviculam, & cochlear ministraturus, thus in dictam Naviculam congruo tempore imponere debet, & tanto melioris odoris, quanto major Solemnitas celebratur: Præterea ignem ad thuribulum,

seu

ſeu carbones ignitos præparare tenetur, pro Miſſa, Veſperis, Laudibus, & Proceſſionibus. Diligenter tamen attendat ne ignis ad thurificandum deficiat, melius enim eſt abſtinere ab incenſatione, quam thurificare absq; igne. Hora igitur competenti, & omnibus ſupradictis paratis, præmiſſa brevi Oratione, dum ſe Celebrans ornat, ipſe lavat manus, cottam induit, accipit Thuribulum, dexterà, illudq; pollice in annulum maiorem immiſſo, altero vero eiusdem manus digito, videlicet Annulari, minorem annulum catenulæ, coopertorium thuribuli elevantis, annexum, ſuſtinet. Siniſtra pedem Naviculæ clauſæ cum thure, & cochleari, geſtat. Sicq; ambas manus æqualiter elevatas tenet, manicas Cottæ ſuæ ad brachia reflectit, ne forte cum thuribulo, aut Navicula implicari, aut comburi contingat.

2. Cum affert thuribulum ad Celebrantem Thuriferarius, ut in illud thus immittatur, ipſe tunc naviculam dextra, Thuribulum vero ſiniſtra defert. Videat etiam ut pars Naviculæ quæ aperiri debet, ſemper pectus ſuum reſpiciat. Cum alicui traditurus eſt naviculam, tradat eam dexterâ, & regulariter eam ſiniſtra recipit, ſi altera ſuſtineat thuribulum. Hoc autem modo thuribulum tenet coram Celebrante, ut in illud incenſum immittat, & benedicat: Converſus ad Celebrantem, ſuſtentans maiorem annulum thuribuli ſiniſtra manu, & elevato altero annulo operculi manu dextra, eademq; manu complectens catenulas circa medium earum, inter operculum, & thuribulum æqualiter elevatum, ad Naviculæ altitudinem, ipſum thuribulum flexo quaſi genu, non tamen re ipſa flexo, ſuſtinet. Tum data per Celebrantem benedictione, ſuper thuribulum adhuc apertum, demittit Catenulam operculi, clauſum thuribulum porrigit dextera, ſiniſtra naviculam recipiendo.

3. Si ipse Thuriferarius immediatè porrigere debeat Celebranti, tradit illud eodem modo, quo Diaconus ambabus manibus, videlicet dextera ſummitatem catenularum tenens, & ſiniſtra prope vas ipſius thuribuli; pro interim tamen Naviculam non teneat, ſed prius eam in aliquo collocet loco, oſculatur verò extremitatem catenularum, & manum Celebrantis, ſi ei ſoli porrigat, ſi vero aliis porrigat, nulla oſcula præbet, ſoli enim Celebranti debentur oſcula. Item ſi SS. Sacramentum ſit expoſitum abſtinendum eſt pariter ab oſculis, etiam Celebranti porrigendo.

4. Advertat autem ut non omnino genuflectat, quando

Celebrans imponit thus, sed sit incurvato genu, quasi vellet flectere. Si autem ministrat Episcopo, D. Abbati, aut exposito SS. Sacramento, tunc vere genuflectere debet: quod de D. Abbate dicendum supponimus tunc, quando Celebrat Pontificaliter. Insuper advertat, ut si benedici debeat thus in thuribulo à Celebrante, thuribulum non claudat, quin priùs Celebrans illud benedixerit, & ideo semper apertum illud tenere debet, ante Celebrantem donec benedixerit. Sciat præterea quia non Subdiaconi, sed ipsius Thuriferarii Officium est, ministrare thuribulum cum igne, ad imponendum, & benedicendum incensum: ubi autem contraria viget consvetudo, quæ magis corruptela, & abusus dici debet, omnino est tollenda. Si autem Thuriferario non placet ista circumscriptio tenendi thuribulum per catenulas, ad imponendum & benedicendum thus, propter abundantiam ignis urentis manum, aut digitos, poterit per pedem tenere dexterâ, ut tantum sit apertum thuribulum, hic tamen modus periculum aliquoties afferre potest dissipandi carbones ignitos in pavimentum.

5. Ad Vesperas Solemnes Thuriferarius è Sacristia, facta Cruci, & Celebranti reverentia, procedit omnium primus, una cum Cæremoniario, nudo capite, manibus ante pectus junctis, & sine thuribulo. Et si facienda esset Expositio SS. Sacramenti tunc cum thuribulo. Facta ad Altare post Celebrantem genuflexione in plano, & oratione, procedit cum Celebrante ad sedem, ubi prope Celebrantem locum habet ut supra P. 1, c. 10. n. 7. notatum est, ibiq; cæteris assistentibus conformare se debet, non tamen sedere.

6. Circa finem ultimi Psalmi, factis debitis Celebranti, Choro, & Altari reverentiis, vadit moderato gressu, manibus junctis in Sacristiam, & exinde cum thuribulo, & navicula egreditur, non prius tamen, donec Celebrans de sede sua ad Altare processerit, quasi obviando ei, sic procedit ad Altare. Ubi facta simul cum aliis genuflexione, ascendit per gradus laterales ad Altare, ubi facta iterum genuflexione in suppedaneo, porrigit Naviculam primo Assistenti, & stans à dextris eiusdem 1mi Assistentis proximiùs mensæ Altaris quasi flexo genu sustinet Thuribulum ante Celebrantem, ut in thus immittat, & benedicat. Quo facto demisso operculo, thuribulum tradit 1mo Assistenti, & ab eo Naviculam recipit, tum genuflectit in loco, ac descendit in planum per gradus laterales ad cornu Epistolæ,

7.

7. Sub tempus incensationis Altaris ſtat in plano, ad latùs Epiſtolæ versus Altare, cum navicula, ibiq; etiam finita incensatione recipit ab Aſſiſtente 1mo thuribulum, & mox facta cum aliis genuflexione, redit in Chorum præcedendo omnes, & conſiſtendo ante ſedem Celebrantis, venienti ad dexteram ſuam Aſſiſtenti 1mo tradit thuribulum, cujus dexteram fimbriam Pluvialis, ſtando à tergo eius elevat, dum Celebrantem incensat. Deinde comitatur eundem Aſſiſtentem 1mum ad ſedem D. Abbatis, poſtea ad medium Chori, ubi pariter ſublevat fimbriam Pluvialis dexteram, & factis debitis reverentiis D. Abbati, & Choro revertitur ante ſedem Celebrantis, ubi recepto priùs Thuribulo, binos Aſſiſtentes incensat ipse bino ductu quemlibet, ſi Celebrans trino incenſatus fuerit; ſi vero Celebrans propter præsentiam D. Abbatis tantum bino ductu incensatus fuerit, illi unico tantum. Deinde alios Commiſtros inferiores incensando quemq; unico ductu, redit in Sacriſtiam.

8. Advertat permaximè, ut dum canitur ℣. *Gloria Patri* in Choro, neminem tunc incenset, ſed inclinet se omnino versùs Altare. Metiatur ita incensationem ſuam, ut absoluta ſit ante Orationem, & ſi non ſit absoluta, ceſſet ab ea. Completa ergo thurificatione Comminiſtrorum, factisq; debitis reverentiis ut supra redit in Sacriſtiam, ubi deponit thuribulum, cum Navicula, revertiturq; ad locum ſuum, non tamen eo tempore, quo dicitur, aut Oratio Dominica, aut Oratio diei, à Celebrante. Eadem pariter Thuriferario observanda sunt in Laudibus Solemnibus ad Canticum *Benedictus*, quæ in Vesperis ad Canticum *Magnificat*.

9. Ubi verò aut ob paùcitatem Subiectorum, aut ob non tam magnam Celebritatem, contingat tantum Celebranti aſſiſtere duos Ceroferarios, & Thuriferarium, hic non gravetur & suum, & 1mi Aſſiſtentis officium explere; ideoq; porrigendo Celebranti Naviculam, miniſtret Thuribulum modo supra expreſſo, recepta, & repoſitâ in manus Acolythi Naviculâ, porrigat thuribulum cum debitis oſculis Celebranti, & extremitates Pluvialis ſuſtentet, finita incensatione, thuribulum cum osculis recipiat, & vel in ſede, vel ad Altare incenset Celebrantem, & alios de quibus infra dicetur. *P. IV. c. 6.*

10. Ad Miſſam Solemnem Thuriferarius, ut supra paratus, antequam procedant ad Altare, adhuc in Sacriſtia porrigit Naviculam Diacono, & miniſtrat thuribulum Celebranti, tum impoſito, ac benedicto incenso, procedit nudo capite ante

te omnes alios, portans dextera thuribulum fumigans, & finistra Naviculam. Si tamen facienda sit Aquæ benedictæ aspersio, vel Candelarum, aut aliarum rerum benedictio, non defert thuribulum, sed procedit manibus ante pectus junctis, aut diebus Dominicis defert vas Aquæ benedictæ cum aspergillo, illamq; ministrat ad Aspersionem. Dum autem procedit, salutat cum cæteris Ministris Chorum, accedensq; ad Altare cum thuribulo paululum retrocedit, & genuflectit post Celebrantem, tum surgit, & vadit ad cornu Epistolæ in planum, ubi in infimo gradu genuflectit ad Confessionem, donec Celebrans ascendat ad Altare, agitans tantisper thuribulum apertum, ne ignis extingvatur. Et hic ritus Thuriferarii locandi ad latus Epistolæ conformis est Rubricæ.

11. Facta Confessione, & conscenso ad Altare Celebrante, Thuriferarius quoq; ascendit per gradus laterales Epistolæ, ubi facta genuflexione stans à dextris Diaconi ante Celebrantem, naviculam semiapertam tradit Diacono dexterà, & ministrat thuribulum Celebranti, ut supra, quo facto recipit Naviculam finistrà, & Thuribulum tradit Diacono dexterà. Tum facta in loco genuflexione, descendit in planum ad cornu Epistolæ, ibiq; conversus ad Altare, expectat finem incensationis. Deficiente verò Cæremoniario, amovet Librum cum Cussino de Altari, reposita prius Naviculà supra Credentiam, & finita prima incensatione in cornu Epistolæ cum debitis genuflexionibus reponit eundem Librum; descendendo autem in planum non longe se removeat, sed prope gradus consistat.

12. Terminata incensatione Celebrantis, recipit thuribulum à Diacono, à dextris eius stans, & magis retro, illudq; reportat in Sacristiam, & redit in pristinum locum ubi permanebat sub tempus Confessionis. Ad finem Epistolæ procedit ad Sacristiam, præparat thuribulum, cum Navicula, & dum Celebrans legit Evangelium, accedit ad cornu Epistolæ in planum, finito Evangelio ascendit ad Altare, genuflectit, ministrat Naviculam & thuribulum, ut initio Missæ. Imposito, ac benedicto thure, receptaq; Naviculà manu finistra, descendit ad locum suum, tenens thuribulum, & eandem Naviculam, facta prius in loco genuflexione. Post acceptam Diaconi benedictionem accedit ad medium, & collocatis omnibus ad Evangelium consistit post Diaconum, quasi ad dexteram eius, in proportionata tamen distantia, ne impediat illum fumo in canendo Evangelio, ideoq; leniter ducit thuribulum semiapertum.

tum. Et cum Diaconus dixerit: *Initium* vel *Sequentia S. Evangelii secundùm* N. ſtatim thuribulum clauſum tradit Diacono ad dexteram ejus, receptumq; iterum elevatâ catenulâ agitat, genuflectit cum Diacono, quando opus eſt versus Altare, & inclinat se etiam cum eo.

13. Decantato Evangelio Thuriferarius accedit ad medium Altaris omnium primus, ubi facta cum aliis, genuflexione, erectus tradit dextera thuribulum Diacono, ſtatq; quaſi a dextris Diaconi, parum tamen retro, incenſato Celebrante recipit thuribulum de manu Diaconi, genufectit iterum, illudq; reportat in Sacriſtiam, ac ſtatim redit ad locum ſuum, in quo conformat ſe Celebranti, & cum eo genuflectit ad ℣. *Et incarnatus eſt.* Si vero non dicatur Symbolum, incenſato Celebrante, agitat thuribulum in loco ſuo, ne ignis extinguatur.

14. Dum Celebrans offert Hoſtiam, Thuriferarius parat thuribulum, ac Naviculam, & cum dicit: *Veni Sanctificator &c.* poſt oblationem Calicis, accedit ad Altare, cum ſolitis reverentiis, ibiq; miniſtrat Naviculam, & thuribulum, ut ſupra, & ſtatim facta benedictione incenſi, tradito thuribulo in manus Diaconi, factaq; genuflexione, deſcendit in planum, ibiq; ad Altare converſus permanet in cornu Epiſtolæ. Si non adſit Cæremoniarius, naviculam locat in Credentia, vel aliquo loco competenti, & tranſit per planum ad cornu Evangelii, non omiſſa in medio genuflexione, accedit itaq; per gradus laterales ad Librum, genuflectit ſumit Librum cum cuſſino, deſcendit in planum, & tenet illum propè cornu Evangelii; Incenſato eodem cornu Evangelii, menſæ Altaris, aſcendit, reponit Miſſale cum cuſſino, genuflectit, deſcendit per gradus laterales, & eadem via per planum, accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſumpta Navicula, ſtat poſt Diaconum incenſantem Celebrantem.

15. Progreditur poſtea cum Diacono, & in medio plani poſt eum genuflectit, deferens ſecum Naviculam dextra, ſiniſtra infra pectus poſita. Si in thuribulo fumus deficiat, imponit incenſum ſimpliciter, ita, ut ſufficiat pro tota thurificatione. Diacono accedente ſive ad D. Abbatem, ſive ad Chorum, Thuriferarius comitatur eum, procedendo ad ſiniſtram, & dum incenſat Diaconus, ipſe retrahit ſe tunc poſt eum. Cui Diaconus facit reverentiam, huic etiam ſimul Thuriferarius facere tenetur. Poſtquam Chorus incenſatus fuerit, factis ei hinc, inde cum Diacono reverentiis, redit cum eo ad Altare, ibiq; facta genuflexione, retrahit ſe, & quaſi ad dexteram tranſit, dum Diaconus Subdiaconum incenſat. Quo thurificato, recipit ſtatim thu-

thuribulum, ac consistens in eo loco, in quo Diaconus steterat, eundem Diaconum ad 2. gradum Altaris ascendentem, & ad se conversum, incensat bino ductu, cum debitis inclinationibus ante, & post. Tum consistit in medio post Subdiaconum, & faciens genuflexionem, conversos ad se: Cæremoniarium, si adest, & Ceroferarios, unico quemlibet ductu incensat, absq; inclinationibus, incensati tamen debent inclinare caput. Finita incensatione, & facta genuflexione Altari, revertitur in Sacristiam, cum thuribulo, & Navicula, ibique parat ignem pro elevatione.

16. Finito Memento vivorum, accedit Thuriferarius ad Altare, & genuflexus in plano ante medium Altaris, accedit ad infimum gradum cornu Epistolæ, in quo genuflexus, immisso per seipsum, vel per Cæremoniarium incenso in thuribulum, sine benedictione, & Navicula prope se deposita, ter incensat SS. Sacramentum in utraq; elevatione, tam scilicet Hostiæ, quam Calicis, profunde se inclinando ante, & post incensationem. Surgit postea, & in eodem loco genuflectit, resumptaq; navicula recedit in Sacristiam, gunuflectens in medio, reportat thuribulum, & naviculam. Exit demum de Sacristia manibus ante pectus junctis, redit ad locum suum, ubi stat, vel genuflexus manet, prout Ceroferarii.

17. Absente Cæremoniario, accedit Thuriferarius ad Altare, sub finem Orationis Dominicæ, ibiq; Velum oblongum à Subdiacono recipit ambabus manibus, defert ad Credentiam, plicat illud ac reponit. In accessu tamen, & recessu ab Altari semper genuflectit. Cum dicitur *Agnus DEI &c.* genuflexus in loco suo percutit sibi pectus, ut alii. Cum danda est Pax deficiente Cæremoniario, comitatur Subdiaconum ad sinistram, genuflectens, aut alias faciens inclinationes prout Subdiaconus. Ad Communionem Celebrantis profunde se inclinat in loco suo, ac percutiendo ter pectus, dicit cum Celebrante submissa voce: *Domine non sum dignus &c.* Ad orationes stat, vel genuflectit, prout Ceroferarii, vel Chorus. Ad benedictionem manet genuflexus, signans se cum aliis. Ad Evangelium erigit se, & stat.

18. Completa Missa, & facta cum aliis genuflexione, ut initio Missæ, præcedendo Ceroferarios, manibus junctis, & nudo Capite, non omissis tamen debitis D. Abbati, (si adsit) & Choro reverentiis, redit in Sacristiam, ibi facta Cruci, & Celebranti profunda reverentia, adjuvat Ministros Sacros paramenta sua deponentes. Deficiente Cæremoniario, dum terminatur ulti-

ultimum Evangelium accipit Birreta Celebrantis, & Ministrorum, eaq; defert ante gradus Altaris, ubi genuflexis omnibus, porrigit Diacono Birretum Celebrantis prius, tum eidem Diacono ipsius, ac Subdiacono pariter illius. Initio vero Missæ, quia Thuriferarius est impeditus, in defectu Cæremoniarii. Diaconus, & Subdiaconus sua, & Celebrantis Birreta debent tradere Acolythis, prope consistentibus, & candelabra deponentibus, qui recipientes, collocant ea in loco congruo, & non in Altari, aut gradibus Altaris. Insuper absente Cæremoniario, Thuriferarius circa finem Orationis, quæ immediate dicitur ante Epistolam, accepto de Credentia Libro Epistolarum ambabus manibus, eundem tradit Subdiacono, eo modo quo Cæremoniarius, cùm mediocri inclinatione eumq; postea comitatur ad locum Epistolæ; cætera peragit respectivè, sicut ipse Cæremoniarius, si non est impeditus.

19. Celebrante D. Abbate in Pontificalibus, imponitur, & benedicitur incensum in sede ante Evangelium, & tunc Thuriferarius accedens cùm trina inclinatione ad sedem, tradit Naviculam Presbytero assistenti, ipseq; ministrat genuflexus thuribulum ad imponendum, & benedicendum incensum. Si vero ad Altare, ut initio Missæ, & ad Oblata imponendum est thus in thuribulo; Thuriferarius dictam Naviculam præbet Diacono, & ipse thuribulum apertum sustinet, donec imponatur, & benedicatur incensum. Ad Vesperas Pontificaliter celebratas, initiò Cantici *Magnificat*, ministratur incensum in solio, & incensato ad Vesperas Altari, Thuriferarius recipit Thuribulum ab Assistente Presbytero, quod eidem reddit, cum accesserit ad infimum solii D. Abbatis gradum, elevando extremitatem Pluvialis Archidiaconi, dum ab eo D. Abbas incensatur. Tum receptum thuribulum tradit Diacono, cui ad incensationem Archidiaconi, Chori, & Subdiaconi assistit. His incensatis, recipit à Diacono thuribulum, & eundem Diaconum in loco suo consistentem duplici ductu thurificat, deinde reliquos minores Ministros more solito incensabit, non omittendo debitam D. Abbati, Altari, & Choro in transitu reverentiam.

20. Ut succinctè sciat Thuriferarius quando, & cui tradere debeat Naviculam ad imponendum & benedicendum incensum à D. Abbate in Solemnitatibus Pontificaliter celebratis, breviter habeat notanda: 1. Ante Missam, antequam procedat D. Abbas ad Altare, in Sacristia, tradit Naviculam Presbytero Assistenti, ut D. Abbas sedens in faldistorio imponat thus. 2. Initio Missæ ad Altare porrigit naviculam Diacono. 3. Ante

Evan-

Evangelium in folio, Archidiacono eandem Naviculam tradit. 4. Post offertorium ad oblata incensanda, ministrat Diacono dictam Naviculam, thuribulum vero semper ipsemet Thuriferarius ministrat, & nunquam Subdiaconus, aut alius. Si D. Abbas paratus adfuerit Missæ Solemni per alium Celebratæ, scilicet Rochetto, & Mozzetta indutus, ac prope Altare consideat, ministrat Thuriferarius incensum, cum Diacono, ad sedem ejusdem, quod pariformiter in Vesperis solemnibus observandum erit.

21. In Missis Defunctorum, initio Missæ Thuriferarius non portat thuribulum, sed tantum procedit suo ordine ante omnes, manibus ante pectus junctis, nudo capite, & genuflexus ad cornu Epistolæ, confessionem cum Celebrante facit. Ad orationem, seu plures genuflectit in eodem loco. Si Cæremoniarius desit, ministrat Librum Subdiacono, & eum comitatur ad Epistolam. Qua finita, post factam genuflexionem in medio ab eodem Subdiacono, Librum recipit, ac retinet ambabus manibus, donec tempus fuerit tradendi illum Diacono. Ad Evangelium non procedit cum aliis, nisi vices gerat Cæremoniarii, quia tunc stando post Diaconum, finito Evangelio, recipit Librum à Subdiacono, atq; post factam genuflexionem in medio, reponit eum super Credentiam. Ad oblata ministrat de more Naviculam, & Thuribulum, quod incensato Celebrante recipit, & defert in Sacristiam, paratq; ignem, ne extingvatur.

22. Dicto à Celebrante *Sanctus* procedit ad Altare, portans thuribulum & Naviculam, ubi genuflectit, & accedit ad cornu Epistolæ, ibiq; porrigit Naviculam Subdiacono, ut stans thus imponat, postea recepta Navicula tradit genuflexo Subdiacono thuribulum, ut incenset SS. Sacramentum, ipse quoq; Thuriferarius manet genuflexus in plano prope eundem Subdiaconum. Finita elevatione recipit thuribulum, quod statim cum Navicula reportat in Sacristiam; ubi curat, ut ignis pro absolutione (si facienda est) non deficiat. Redit ad Altare, manetq; genuflexus, usq; ad *Pax Domini &c.* Non percutit pectus ad *Agnus DEI &c.* sed tantum ad *Domine non sum dignus &c.* profunde inclinatus, sicut ad Communionem Celebrantis. Ad Orationes genuflectit. Dum dicitur ultimum Evangelium, parat ignem in thuribulo, pro absolutione facienda.

23. Ad absolutionem defert thuribulum ante Crucem, facta prius Altari genuflexione, cum socio suo portante vas aquæ benedictæ, à sinistris ejus: & cum pervenerit propè caput Lecticæ, seu castri doloris, relinquens Subdiaconum cum Cerofera-

ferariis, accedit ad pedes Lecticæ, ubi post Celebrantem retro locat se, quasi ad sinistram ejus. Cum cantatur ultimus Responsorii ℣. facta genuflexione Altari, porrigit Diacono Naviculam, & stat à dextris ejus ante Celebrantem, cui ministrat thuribulum, ut in illud thus imponatur. Recepta navicula, genuflectit versus Altare, & recedit ad priorem locum. Facta Aspersione Feretri à Celebrante, tradit thuribulum Diacono, & post incensationem Lecticæ illud recipit. Si facienda sit sepultura, thuribulum agitat, ne ignis deficiat pro loco sepulturæ. Dicto per Cantores: *Requiescant in pace*, ordine, quo venerat, recedit in Sacristiam.

24. In Exequiis Sepulturæ eadem peragit Thuriferarius, quæ supra, sed cum post Orationem Corpus ad locum sepulturæ defertur, ipse præcedit iterum Crucem, consistitq; post Celebrantem ut supra pro situ loci, proportionaliter tamen ut prius. Et cum, post canticum *Benedictus*, repetitur Antiphona porrigit naviculam, & ministrat thuribulum, postea recepta Navicula, tradit thuribulum Diacono ad incensandum corpus, quando opus est. At vero si desit Diaconus, ipse Thuriferarius tradit Celebranti Naviculam, & ministrat thuribulum, postquam impositum incensum fuerit, porrigit dictum thuribulum Celebranti, sine osculis, prius tamen aspersorium, & tam ad conspersionem feretri, quam ad incensationem comitatur Celebrantem, elevando Pluviale ejus a dextris, genuflectens Cruci, & Altari, & in aliis ministrat sicut Diaconus, quando non est impeditus.

25. In Processionibus SS. Sacramenti duo Thuriferarii, cum duobus thuribulis assistere debent, quantum fieri potest, ut præcipit Rubrica Missalis, præsertim autem in Festo Corporis Christi, & in conclusione devotionis 40. horarum, præter Feriam V. in Cæna Domini, ac Feriam VI. in Parasceve. Et tunc ambo Thuriferarii procedent, moventes continuo, & tractim, manibus dextris sua thuribula, fumantia, altera manu cum Navicula pectori apposita, quasi sternendo viam SS. Sacramento cum odore incensi. Advertant tamen, ne terga vertant SS. sed procedant quasi lateraliter, facie quasi ad invicem versa. In aliis vero Processionibus, unicus debet esse Thuriferarius, qui præcedit Crucem, portans thuribulum dextera, sinistrâ vero Naviculam, æqualiter elevatâ usq; ad pectus. Quod si contingat fieri aliquam solemnem translationem Reliquiarum, possunt etiam adhiberi duo Thuriferarii, qui pariter, ut superius dictum est, incedere debent, & continuò fumigare.

Decretum S. R. C.

Non licet Clericis miniſtrantibus thuribulum, ſeu naviculam Canonicis Celebrantibus genu illis flectere, ſicut fit Epiſcopo. S. R. C. 4. *Aprilis 1699. in una Burgi S. Sepulchri.*

CAPUT VII.

De Officio Miniſtrorum ad Pontificalia.

QUia ex Decreto S. R. C. 27. *Septembris 1659.* emanato, & ab Alexandro VII. Pont: Max: approbato, DD. Abbatibus conceſſum eſt, quod præter Sacrificii Miniſtros, Diaconum nempe Evangelii, & Subdiaconum Epiſtolæ, duo alii adhuc Diaconi cum Dalmaticis, & unicus Presbyter cum Pluviali, aſſiſtere debeant, duo inſuper Capellani pro Mitra, & Baculo, & totidem Acolythi pro Candelabris, inſervire teneantur; Præterea ſex Monachi, duo ſcilicet Pluvialibus, duo Planetis, totidemq; Tunicellis induti, Divinis hujuſmodi aſſiſtere valeant; ideoq; neceſſarium judicavi reliquos miniſtros inſtruere, quid agere debeant in tali aſſiſtentia, ne loco devotionis augendæ, augeatur diſtractio Prælato, & magna ad invicem perturbatio. Et cum reliqui 6. Aſſiſtentes non ſunt in uſu, in Regno noſtro, ideoq; in locum eorum potius ſunt aſſignandi tres Cottis induti, unus ſcilicet ad Gremiale, ſed tantum pro Miſſa, & non pro Veſperis, aut alio actu Eccleſiaſtico, & alter ad candelam parvam, quæ vulgo dicitur *Bugia*, ac tertius Capellanus de Libro, & hic Cotta ſolum indutus abſq; ſtola. Itaq; ut quilibet ſciat rite ſuum Officium explere, de ſingulis agere intendimus. Sit itaq;

§. I.

De Diaconis Aſſiſtentibus.

1. DIaconi Aſſiſtentes, Epiſcopo miniſtrantes, quia ſemper ſunt Canonici, ideo in magna prærogativa habentur, maximè cum incenſari ſtatim poſt Presbyterum Aſſiſtentem, & pacem accipere ab Epiſcopo ante Diaconum Evangelii, jubentur, quia tamen ſimilem gradum habere non poſ-

ſunt, nec etiam ſimilem præeminentiam attribuere iis valemus. Si ergo D. Abbas Celebret, Diaconi aſſiſtentes, ſaltem in majoribus ordinibus conſtituti eſſe debent, non tamen in minoribus, qui capientes Amictum, Albam, Cingulum, abſq; ſtolis, & Manipulis, utentur Dalmaticis. Locus eorum erit poſt Diaconum Evangelii, & Subdiaconum Epiſtolæ, juxta mentem *Cærem: Monaſt: Congr: Bavar. in addit.* §. 2.

a. Diaconorum Aſſiſtentium Officium eſt hinc inde ad latera D. Abbatis aſſiſtere, præſertim in ſede, eiq; Mitram, cum Subbireto, quando Diaconus Evangelii impeditus eſt imponere, & extrahere. Item gremiale porrigere, & auferre, folia Libri vertere, ubi legenda ſunt, manu tranſverſa, & non indice ſolo monſtrare, & quando opus eſt Baculum Paſtorale acceptum à Miniſtro offerre. Dum D. Abbas Pluviali indutus, ſive ad Altare, ſive in Proceſſione incedit hinc, inde comitari eum, nudo capite, fimbrias anteriores Pluvialis elevare, debent. Quando D. Abbas apud ſedem ſuam elevat dexteram e. g, ſe ſignando, toties Diaconus à dextris parum elevat Pluviale à latere ſuo. Cum autem elevat ambas manus, e. g. quando eſt aliquid lecturus, ambo Diaconi, hinc inde elevant fimbrias Pluvialis. Celebranti autem D. Abbati Miſſam, quia non habet Pluviale, ſed utitur Planeta, non eſt neceſſarium fimbrias elevare, ſed ei ſervire in aliis neceſſariis, & ſpecialiter in ponendo, & auferendo Mitram. Hoc autem ſciendum, quod Diaconus aſſiſtens à dextris vocatur Diaconus 1mus, & qui aſſiſtit a ſiniſtris, apelletur Diaconus 2dus.

3. Ad Veſperas dum Sacris Paramentis Pontificalibus induitur D. Abbas, ipſi ſuo veſtiti apparatu, adjuvant eum; Diaconus 1mus non imponit Mitram D. Abbati in Sacriſtia, quia Diaconus Evangelii non eſt impeditus, ad quem primario, & principaliter pertinet, tam imponere, quam auferre. Procedendo ad Altare, incedant à lateribus D. Abbatis, elevantes fimbrias Pluvialis, nudo tamen capite. Venienti ad ſedem ſuam D. Abbati Diaconus Aſſiſtens 1mus Mitram auferet, & 2dus Baculum Paſtorale recipiet. Quando D. Abbas dicit: *DEUS in adjutorium &c.* ſignando ſe, Diaconus Aſſi: 1mus elevat partem Pluvialis dexteram, ſua ſiniſtra, & dextera ſeipſum ſignat. Ad inchoationem primi Pſalmi, ſedenti D. Abbati Diaconus aſſi: 1mus imponet Mitram, & Diac: aſſi: 2dus adaptat vittas ejuſdem Mitræ, poſtea uterq; à parte ſua adaptat ſuper genua D. Abbatis extremitates Pluvialis, & non Gremiale, quia illud tantum ad Miſſam miniſtrari debet.

4. Ad Capitulum ſurgente D. Abbate; & ipſi ſtant, reſponſoq; à Choro *DEO gratias.* Diac: aſſ: 1mus, auſert Mitram, dicto ℣. dum Antiphona canitur in Choro *ad Magnificat*, ſedenti D. Abbati Diac: aſſ: 1mus imponit Mitram, & Diac: aſſi: 2dus porrigit Baculum. Tum benedicto in ſede incenſo, Diaconi aſſiſtentes comitantur D. Abbatem ad Altare procedentem, elevantes fimbrias Pluvialis, ubi etiam dictas fimbrias Pluvialis elevant, dum D. Abbas incenſat Altare. Deſcendentem D. Abbatem eodem modo comitantur ad ſedem. Poſtquam ab Archidiacono incenſatus fuerit D. Abbas, Diac: aſſi: 1mus auſert ei Mitram. Dicti Diaconi aſſiſtentes incenſantur poſt Subdiaconum Epiſtolæ juxta *Cærem: Bavar:*

5. Finito Cantico *Magnificat*, Diac: aſſ: 2dus recipit Pedum, & tradit miniſtro de eo. Ad Orationem Diac: aſſi: 1mus vertit folia, ſi opus eſt, & Diac: aſſiſt: 2dus indicat orationes dicendas. Dicto *Benedicamus Domino*, & reſponſo à Choro *DEO gratias.* Diac: aſſiſtens 1mus Mitram D. Abbati imponit, & Diac: aſſ: 2dus tradit Baculum Paſtorale, eodemq; modo in regreſſu ad Sacriſtiam comitantur Eum, quo in egreſſu. Si vero ad Completorium ſolemne inſerviant, omnia pariter obſervare tenentur, quæ in Veſperis. Ad Matutinas etiam Laudes poſſent quidem inſervire, ſed nulla hujus videtur neceſſitas.

6. Ad Miſſam ſolemnem Pontificalem pariter induti Dalmaticis, ſicut ſupra diximus, parato D. Abbate, procedunt ad Altare hinc, inde, à lateribus D. Abbatis, manibus ante pectus junctis, nudo capite, & facta reverentia Altari, Diac: aſſ: 1mus ſtat poſt Præsbyterum aſſiſtentem, & Diac: aſſ: 2dus poſt Diaconum Evangelii. Non auferunt Mitram, quia Diaconus Evangelii non eſt impeditus. Permanent autem in ſupradicto loco, donec D. Abbas Altare thurificaverit. Ad finem incenſationis Altaris Diac: 1mus accepta à miniſtro Mitra, facta Altari reverentia accedit per planum ad cornu Epiſtolæ, ubi imponit Mitram D. Abbati, ut incenſetur cum ea. Poſt incenſationem comitatur uterq; D. Abbatem ad ſedem accedentem, facta prius genuflexione Altari.

7. Venienti ad ſedem D. Abbati deponit Diac: 1mus Mitram, antequam legat Introitum. Ad *Kyrie* alternatim reſpondent, quo novies repetito Diac: 1. iterum Mitram imponit, & Diac: 2. Gremiale ſuper genua extendit. Decantato à Choro *Kyrie* Diac: 2. auſert gremiale, & Diac: 1. Mitram. Et cum D. Abbas dicit: *Gloria in excelſis* &c: illud ſubmiſſa voce ſimul & non alternatim dicunt, quo finito ab

eis,

eis, Diac: 1. Mitram imponit D. Abbati, iam sedenti, quod semper observare debet, quando eſt seſſurus D. Abbas, & Diac: 2. expandit Gremiale. Sedente D. Abbate, ſi habent parata ſcabella, sedebunt, ſicut & ad *Kyrie* quando à Choro canebatur.

8. In fine Hymni Angelici Diac: 2. auſert Gremiale, & Diaconus 1. Mitram, atq; etiam ſubbiretum, complanatq; capillos, ſubbiretum vel penes se retinet, vel miniſtro de Mitra tradit cuſtodiendum. Dum D. Abbas dicit *Oremus* Diac: 1. oſtendit ei dicendam Collectam, & folia (ſi opus eſt) vertit. Finita Oratione, vel pluribus, Diaconus 1. impoſito subbireto, imponit & Mitram, & Diac: 2. Gremiale extendit, qui advertere semper debet, ut vittæ Mitræ à tergo pendentes, recta pendeant, quas aptare tenetur.

9. Dicto Graduali vel Tractu Diac: 2. auſert Gremiale, ac Diac: 1. Mitram cum Subbireto. Perlecto à D. Abbate Evangelio, sedenti imponunt Mitram cum Subbireto, & Gremiale, ubi data Diacono Evangelii benedictione non deponunt Mitram quousq; non ſuerit terminata Symphonia. Procedente Diacono Miſſæ ad decantandum Evangelium, Diac: 2. auſert Gremiale, & porrigit Baculum Paſtorale, Diac: 1. auſert Mitram cum Subbireto. Finito Evangelio, ac incensato D. Abbate Diac: 2. recipit Pedum, & tradit miniſtro de eo, Symbolum recitant Submiſſa voce ſimul, ad quod genuflectunt cum D. Abbate, eius aliquomodo etiam brachia suſtentant.

10. Dicto à D. Abbate Symbolo Diaconus 1. imponit Subbiretum & Mitram, & Diac: 2. Gremiale, sedentq; in scabellis suis. Ad ℣. *Et incarnatus eſt* Diaconi Aſſiſtentes profunde se inclinant sedentes; ſi vero non sedent, genuflectunt in loco suo. Finito à Choro Symbolo auſerunt Gremiale, & Mitram. Recitato Offertorio D. Abbas sedet, & illi imponunt Mitram, & Gremiale, ad lavandas manus. Tum extracto ab Archidiacono Annulo, accedunt Diaconi Aſſiſtentes, & 1mus dextram, 2dus ſiniſtram extrahit Chirothecam, quas super pelvicula poſitas Miniſtro de Gremiali tradunt ad Credentiam reportandas. Lotis ac terſis manibus Diac: 2dus auſert Gremiale traditq; Miniſtro de eo, pariter ad Credentiam reportandum.

11. Procedente D. Abbate ad Altare, comitantur eum ut prius, & conſiſtunt in locis suis in plano ante Altare, habentes in medio sui Subdiaconum, ut ad Confeſſionem ſtabant.

bant. Finita incensatione Altaris Diac: 1. acceptam à Ministro Mitram, cum debitis reverentiis Altari, defert per planum D. Abbati imponendam, quam lotis, ac tersis manibus aufert cum Subbireto, traditq; Ministro de ea, & ipse redit ad locum suum. Revertente à Chori incensatione Diacono Evangelii, ipsi se convertant faciebus quasi ad invicem, ut incensentur ab eo, cui ante, & post facient reverentiam. Si sunt Presbyteri ante Subdiaconum thurificari debent, si vero in majoribus ordinibus tantum, multo magis minoribus initiati, post Subdiaconum Epistolæ debent incensari. In loco suo consistunt immobiles, & non nisi tantum ad elevationem Hostiæ, & Calicis genuflectunt in loco suo, ac postea statim erigunt se, & stant.

12. Postquam Archidiaconus sumpserit Pacem à D. Abbate, descendit in planum, & Diaconus 1. appropiat se ei, accipit ab eo Pacem, & recedente ad Librum Archidiacono, eam socio suo, seu Diac: 2do tribuit eo modo, quo acceperat; tum redeunt ad loca sua & manent stantes. Si facienda sit Communio, & eam volunt accipere, accedent ad eam sumendam post Diaconum, & Subdiaconum. Si autem sint Presbyteri, & vellent Communicare, ut in die Cænæ Domini, tunc ante Diaconum Evangelii accedere debent. Si non communicabunt, accedent ad latera Altaris, & hinc, inde collocabunt se in plano, ut non impediant alios communicantes. Finita Communione redeunt ad loca sua.

13. Completa Missa D. Abbatem comitantur ut initio ad Sacristiam, sacrasq; Vestes deponentem adiuvant, ipsi pariter postea suis depositis Paramentis, recedunt in pace. In quibusdam aliis Officiis non solent assistere, ut ad Missam pro defunctis, aut ad Absolutionem, vel ad Ordinationem. In Processionibus quibuscunq; etiam cum SS. Sacramento regulariter procedunt à lateribus D. Abbatis Celebrantis, elevantes fimbrias Pluvialis ejus, nunquam tamen Candelas in manibus teneant.

14. Diaconi Assistentes non habent hic expressos actus reverentiales, quos Altari, D. Abbati, & Choro exercere deberent, quos accurate facient, si considerabunt attente in aliis. Hoc specialiter tamen notandum venit, quia in accessu ad sedem, à lateribus quasi expectare debent junctis manibus inclinati, & D. Abbate ascendente ad Sedem, ipsi postea accedent ad latera eius. Pariter cum recedere debeant à se-

de

de cum D. Abbate, tunc illi prius ante sedem constituti profunde se inclinant, quasi invitarent ad Altare. Alios etiam actus reverentiales ipsa præeminentia Pontificalium indumentorum exposcit.

§. 2.

De Officio Capellani de Libro.

1. MInister, seu Capellanus de Libro præ omnibus curabit, ut Liber quem ipse custodire debet, signaculis sit rite dispositus, quæ prius revideat, ne cum aliquid erit dicendum indecenter huc, illuc folia vertere cogatur. Acolythus verò de Candela, quæ vulgo vocatur Bugia (si inserviet;) semper respiciet dictum Capellanum, de Libro, à quo nunquam recedet, sed à sinistris ejus stans, lucebit quandocunq; D. Abbas aliquid legerit, vel Cantaverit, licet sit clara dies.

2. Cum utendum erit Libro, Capellanus de eo una cum dicto Acolytho, facta Altari genuflexione, & D. Abbati profunda reverentia, ad ipsum accedens, eundem Librum apertum ambabus manibus ab inferiori parte, ante faciem ejus, supra Caput suum sustinebit, genuflexus quidem in gradibus cum D. Abbas sedebit, stans verò ipso stante. Regulariter autem stare debet, nec tunc loco se movere, nec genuflectere cum aliis, nam legile immobile tunc repræsentat. Cum recedendum erit, prius Librum claudit, mox facta D. Abbati reverentia ad locum sibi designatum, à sinistris sedis Abbatialis, cum Libro clauso, ante pectus sustentato, redibit.

3. Paramenta sumet non alia, quam Superpelliceum, sive Cottam absq; tamen stola, quia omnino dedecet, ut illud Sacerdotalis præeminentiæ signum in ministro appareat. Cum Presbyter assistens Librum supra caput sustinet, quemadmodum ad Orationes in Vesperis, & Missa, ipse Capellanus stans à sinistris D. Abbatis adjuvat ipsum Archidiaconum, sustentans à latere eundem Librum. Et cum D. Abbas intonaverit e. g. *Gloria in excelsis Deo*, statim Capellanus recipiet Librum de manibus Archidiaconi, & solus ad cætera quæ plane dixerit sustinebit ad finem. Quod pariter ad Symbolum servandum est.

4. In Ordinationibus, Consecrationibus, benedictionibus, cæterisq; actibus publicis, cum Pontificalibus exercitis inservi-

re debet, quia quidquid ex Libro tunc legit, Capellanus de eo ministrare tenetur. Ideoq; si D. Abbas conversus ad circumstantes aliquid legit, Capellanus Librum supra caput sustinet, ita, ut non impediat alloquentem, aut benedicentem; sed quasi ad latus Epistolæ consistat, ut commodiùs D. Abbas legere, & operari, quæ intendit, valeat; faciem tamen suam habeat conversam ad faciem D. Abbatis. Quando D. Abbas accedit, vel recedit, Capellanus de Libro semper eum sequi debet.

§. 3.

De Officio ministri de Mitra.

1. QUoties D. Abbas solemniter in Pontificalibus est Celebraturus, semper Acolythus de Mitra inservire debet, Cotta indutus, & velum oblongum omnino habeat, quod de collo pendeat, quo Mitram capiet, & sustinebit, ne illam manibus nudis tangat. Poterit etiam ob rationem solemnitatis, dictus Minister de Mitra uti Pluviali, non tamen sine specificato velo oblongo.

2. Cum Mitram recipit & sustinet; advertat, ut vittas versùs se teneat pendentes. Et cum contigerit super Credentiam, vel Altare eam deponere, vittæ semper exteriùs pendeant. Cum dictam Mitram præbet Diacono, vel alteri, qui eam D. Abbati imponere velit, tali modo eam præbeat, quo illam facile posset D. Abbati imponere, & similiter advertat, ut facile ab eodem, dum ipsam amovet, debeat recipere. Sustinet autem eam elevatam, ante pectus, modo recto, non transverso, nec pectori appositam, sed in proportionata distantia, quasi in aere pendulam.

3. Mox ut mitram recipit ab aliquo, statim facta D. Abbati profunda reverentia, ad locum suum redit, non longè tamen à sede distare debet, quinimo à dextris Diaconi Assistentis 1mi locum continuò habeat, ut ei sit præsto, cuius muneris est imponere, & auferre. Circa quam materiam informabit scheda per literas expressa, in utroq; loco, tam ad Altare, quam ad sedem. ubi Minister de Mitra signatus est per Literam: M. Si D. Abbas processerit ad sedem ab Altari, aut à sede ad Altare, sequetur eum in comitatu Ministri de Baculo, vel etiam remanebit, prout Mag. Cærem: disponet, & altera fig. demonstrat,

4.

4. Procedendo de Sacristia ad Altare, aut ab eo revertendo, ordinariè post D. Abbatem incedere debet, & non anteire eum, ut docet *Cærem: Episc: L. 2. c. 8.* In processione verò Solemni maximè cum SS. Sacramento, procedit ante Subdiaconum Epistolæ, habens socium à sinistris Ministrum de Baculo. Pileoli, seu subbireti dictus Acolythus de Mitra curam semper habeat, & ipsum prius Diacono porrigat, antequam Mitram. Ut autem locus altefato Subbireto præfigatur, ordinarie inter cornua Mitræ apponi debet, ut citius extrahi & imponi possit.

§. 4.

De Officio Ministri de Baculo Pastorali.

1. SI D. Abbas in celebratione suâ utitur Mitra, etiam & Baculo Pastorali, seu Pedo, uti debet; exceptis tantum, Missa *de Requiem*, Processionibus pro Defunctis, & absolutione ad castrum doloris, aut sepultura: Quia cum Baculus Pastoralis significet jurisdictionem, & hæc se non extendat ad animas Defunctorum, ideo absq; eo Celebrandum est.

2. Celebrante D. Abbate de Festo, vel de Dominica, minister, seu Acolythus de Baculo, indutus Cotta munda, & aliquoties propter Solemnitatem Pluviali, conformiter ministro de Mitra, inservire debet. Velum etiam oblongum a collo pendens habere potest, ne nuda manu dictum Baculum Pastoralem tangat.

3. Quando Baculum Pastoralem tenet, non una manu, sed ambabus manibus tectis Velo sustentare debet. Consistit ordinariè propè Diaconum assistentem 2dum, scilicet ad sinistram D. Abbatis, tam ad Altare, quam ad sedem, ut per eum porrigat quando opus est. In Processionibus præsertim cum SS. Sacramento regulariter procedit à sinistris ministri de Mitra, ante Subdiaconum Epistolæ, tenens Pedum, seu Pastorale elevatum parùm a terra, ac si Crucem deferret, non tamen illo sustentari potest, quia Ministri portantis, & non iurisdictionem habentis, officium explet.

4. Procedendo D. Abbas cum Baculo Pastorali, è Sacristia ad Altare, ab Altari ad Sedem, à Sede ad Altare, & ab Altari revertendo in Sacristiam, licet propter expositum SS. Sacramentum, procedat sine Mitra, semper tamen cum Baculo, ideoq; Minister de eo advertere debet, quando porrigere dictum Pedum teneatur.

5. Porrigit insuper ad Cantica *Magnificat*, & *Benedictus*, atq; ad Evangelium dum cantatur à Diacono, deniq, ad benedictionem Solemnem in fine Missæ, vel Vesperarum porrigere debet. Non tamen ad *Orate fratres*, aut ad *Pax vobis* post Hymnum Angelicum, quia hoc est expresse contra *Cærem: Episc:* Quando porrigendus est dictus Baculus Pastoralis, ita converti debet, ut dum acceperit D. Abbas, in manibus ejus pars illa curva, seu inflexa Superior respiciat populum. Ideoq; sustineat ipse minister ita, ut dicta pars superior incurvata respiciat brachium eius sinistrum. Ita præmonet *Paris Crassus L.* 1. c. 8.

§. 5.

De Officio Ministri de Gremiali.

1. CElebrans D. Abbas Pontificaliter, quando Planeta utitur, scilicet ad Missam, tunc tantum Minister de Gremiali est necessarius, quia in Missa eo tantum D. Abbas utitur, & nunquam extra Missam, neq; ad Vesperas, nec ad alios actus; quia tunc utens Pluviali, eiusdem Pluvialis extremitatibus genua conteguntur, alias expresse esset, contra mentem *Cærem: Episc:* ubi præscribitur ut ad solam tantum utatur Missam. Quodq; Gremiale poterit esse coloris Paramentorum.

2. Minister de Gremiali Cotta sola indutus esse debet, absq; Pluviali, alias esset nimius abusus. Hocce Gremiale ambabus manibus tenebit complicatum, & quando opus erit, tradet illud Diacono Assistenti 2do, ideoq; locum, prope eum habebit ut videre est in scheda superius P. 2. c. 1. n. 8. expressa, sub Litera G. habens suum locum.

3. Hoc specialiter observandum est, ut prius D. Abbati imponatur Mitra, & postea Gremiale super genua eius expandatur. Sed quando aufertur ei Mitra, prius Gremiale est auferendum ab ipso Diac: ass: 2do, & tradendum Ministro de eo, qui quoties illud Gremiale recipit, vel porrigit, toties profundam facere debet reverentiam, illudq; osculari. Ita *Castald. L.* 1. *sect:* 5. c. 6.

4. Utitur D. Abbas dicto Gremiali in Missa, 1. Quando sedet dicto *Kyrie*, usque ad *Gloria*. 2. Dicto à se *Gloria*, usq; ad finem, quando canitur à Choro. 3. Post Orationem, seu plures, ad Epistolam & Graduale seu Tractum, usq; ad *Munda Cor meum* exclusivè. 4. Post recitatum à se Evange-

lium:

lium, usq; ad decantatum à Diacono Evangelium. 5. Dicto Symbolo à se, quousq; in Cantu à Choro non finiatur. 6. Ad sermonem seu Concionem. 7. Dicto Offertorio dum lavat manus. Lotis ergo, ac tersis manibus Minister recipiens Gremiale, plicat illud, defert ad Credentiam, quia eo non est opus amplius. Pariter simul defert Chirothecas in aliqua Pelvicula argentea depositas ad Credentiam, quia nec iis opus est amplius. Ad Processionem Gremiale non portatur, sed reponitur, super Credentiam.

Decreta S. R. C.

1. Duo Diaconi assistentes, & non Presbyter assistens debent elevare fimbrias Pluvialis hinc inde, dum Episcopus progreditur, & thurificat Altare. S. R. C. 19. *Maii.* 1607. *in Placentina.*

2. Assistentes Episcopo licet minus digni, præferuntur omnibus aliis, & ante Dignitates sunt thurificandi. S. R. C. 23. *Maii.* 1603. *in Nolana.*

3. Diaconi assistentes non tenentur, imo non debent inservire Episcopo de Bugia seu Candela, sed ea administranda est per Capellanum. 16. *Martii.* 1628. *in Ragusina.*

4. Capellani non tenentur Episcopo Pontificaliter celebraturo, deferre sacra Paramenta, nisi deficientibus Acolythis; actualiter vero Celebranti debent tenere Librum, & Bugiam. S. R. C. 3. *Martii.* 1731. *in Januen*

CAPUT VIII.

De Officio Cæremoniarii.

1. SIcut ad bonum ordinem Officii Divini in Choro persolvendi, omnino necessarius judicatur ab omnibus Præfectus, seu Magister Chori, ita ad debite peragendas Cæremonias à Celebrante, & Ministris, tam in Missæ Sacrificio Celebrando, quam in aliis functionibus Ecclesiasticis, sive Ordinariis, sive extraordinariis, utilissimus agnoscitur Magister Cæremoniarum, sive (ut deinceps vocabimus) Cæremo-

remoniarius. Cuius peritia multum prodest in Ecclesia, eo quod omnia debito ordine, sine ulla confusione, vel perturbatione exequi possunt. Harum enim est Leges condere, nisi aliquis constituatur, qui sua industria studeat exacte observari.

2. Igitur in quolibet Monasterio curare debet Superior, ut ad tale Officium aliquis eligatur in Sacerdotali dignitate constitutus, qui aliis Vitæ, & morum gravitate præcellat, quique sit in Sacris Ritibus apprimè versatus, nec non sacræ disciplinæ acerrimus Zelator, in omni actione, insigni quadam ratione observantiam eius demonstrans; cui omnes officiarii in his sedulo pareant, & ex animo. Sit præterea ob omnibus occupationibus externis liber, ut uni soli Divino Cultui dirigendo religiosè, ritè, decorè, ac pro rei dignitate vacare valeat, graviter, & modestè in omnibus se gerat, ut omnibus devotionem pariat, ipseq; ab omnibus commendari mereatur.

3. Et quia difficillimum esset, ut solus semper ministrare debeat, adiungatur ei socius ex Fratribus iunioribus, qui maiorem promptitudinem ad talia videtur habere, ut ab illo in omnibus practicè edoceatur, qui ordinaria munia Cæremoniarii explere possit, & valeat. Qui huic officio præficitur, perpendat apud se omnia, & singula Ecclesiastica munera, ad seipsum pertinere, quapropter omnibus istis provideat diligenter; & non ipso die, vel cum tempus urget actionum, sed aut pridie, aut citius, convocentur, qui ministraturi sunt, ut omnino ad praxim reducant debito ordine præscriptos ritus.

4. Antequam alios informabit, cuncta à se peragenda in aliquo loco privato sæpius prætentet, ut experiatur etiam simulatis gestibus, quæ, qualiterve ipse facturus, & docturus est, ut eius eruditio singulis prosit. Sit patiens, mansvetus, ac humilis, nec illi sit grave juvare Ministros, si opus sit. Et cum aliquem monere oportet, id faciat modeste, submissa voce, ac solo nutu, etiam levissimo, si fieri potest, demonstrans errata in ipso actu, si quæ committantur. Si sint graviora errata, & ministri errantes sola pertinacia in contra agant, silentio interim prætermittat, & de iis postea corrigendis Superiorem requirat.

5. Plura Officia Cæremoniarii, sparsim in diversis locis huius operis sunt assignata, quæ longum esset hic percensere singula. Hoc tamen specialiter attendere debet, ut in motu suo ita modeste se gerat, atq; omnibus suis actibus,

non

non præcipitanter agat, non discurrat velociter, nec caput volvat, aut manus agitet indecenter, convenit tamen ut eas aut junctas ante pectus teneat, aut saltem in modum Crucis unam supra aliam positam in pectore habeat.

6. In Processionibus omnes ordines dirigat, ne perturbentur; illiusq; curæ erit, ut gravi incessu, & pari passu, debitaq; distantia singuli ab utroq; latere procedant. De variis specialibus ritibus, ut de Hebdomada majori, Exequiis, Sepulturis, Absolutione ad tumulum, ac aliis huiusmodi officiis, attente perpendat Rubrum, ac varios legat Authores; præsertim autem ad rite adimplendum officium suum, habeat præ manibus *Manuale Sacrarum Cæremoniarum P. Michaelis Bauldry Ord: S. Bened: Eccl: Cathedr: Malleacen. magni Prioris.* ex cuius informatione perfectissima, cognoscet obligationem muneris suæ exaratam.

Decreta S. R. C.

1. Magister Cæremoniarum non potest alterare, seu mutare consvetudinem circa præintonationem Antiphonarum ad Vesperas. S. R. C. 28. *Aprilis.* 1607 *in Svessonen.*

2. Cæremoniarum Magister in Processionibus incedit apud Celebrantem, & eius Assistentes, & ubiq; discurrit, quando opus est, pro ordinanda Processione. S. R. C. 8. *Maii* 1617. *in Patavina.*

C A P U T IX.

De Ministro Missæ privatæ.

1. NOn est mea mens, ut male suspicari valeam de viris Religiosis inservientibus Missæ privatæ, quasi ignorantes essent, suppono enim in ipsis indolem bonam; sed ut iuxta Regulas Rubri servitium suum peragant, quo commodiùs & Sacerdoti Celebranti, & attentioni debitæ Ministrantis providere possem, sequentia declarare præsumo. Specialiter Ministri Missæ attendere debent, quod vocentur ad Ministe-

rium Angelicum, ideoq; alacriter in Divinam intenti Maiestatem, toto Cordis affectu ad illud se præparent, ut fructum eius cum augmento gratiæ spiritualis consequi mereantur.

2 Hora designata Minister accedet ad Ecclesiam, ibiq; aliquantulum orabit; Accedendo ad Sacristiam, lavabit manus, dicens: si velit: *Fiat Domine Cor meum immaculatum: ut non confundar*, & addens Orationem: *Actiones nostras* &c: Deinde ornat se Cotta, seu Superpelliceo, vel Cuculla quod magis conveniret: indecens enim esset ministrare in ordinaria Veste, ad tantum sacrificium, cum ad alios actus, etiam minores, præcipiatur usus Cucullarum. Sic indutus Minister, si non adsit Sacellanus, ampullas mundas Vini, & Aquæ cum lance deferet ad Altare, in quo Celebraturus est Sacerdos, ubi non in ipso Altari, sed in loco remoto ab Altari, dictas Ampullas reponet, operculum Altaris removebit, mensam à pulvere expurgabit, & ad Sacristiam revertetur.

3. Venienti in Sacristiam Sacerdoti ministrabit aquam, & manutergium ad lotionem manuum, eumq; adiuvabit sacra Paramenta sumentem, stans à sinistris eius, singula decenter accomodans, & unum quodq; prius osculans, non omnino in medio, sed à latere, quod tradet osculandum Celebranti. Albam circumcirca ita aptabit, & elevabit, ne aut nimis defluat, aut nimis abbrevietur, sed decenter undequaque pendeat, & vestes contegat, ita, ut ipsius Albæ fimbria à terra non magis distet, quam ad altitudinem digiti. Attente prospiciat, an cuncta sint rectè circa Celebrantem disposita, & si quid sit corrigendum, corrigat.

4. Parato Celebranti Birretum porrigat, cum osculo ipsius, Missale, quod signavit Sacerdos, capiat, apponendo manus angulis inferioribus ipsius, sinistram videlicet angulo Libri, qua parte aperitur, & ante pectus illud sustentans, faciat profundam Imagini, vel Cruci, quæ est in Sacristia, reverentiam, & postea Celebranti. Exeundo de Sacristia aspergat semetipsum aqua benedicta, & pulsata in egressu semel campanula, præcedens modestè Celebrantem tribus, aut quatuor passibus, incessu gravi, oculis demissis, procedat ad Altare, portans Librum ante pectus elevatum, & non pectori admotum.

5. Si in via occurrat ei aliquis Sacerdos paratus, recedens ab Altari, inclinatione Capitis Salutabit eum, & quisque procedet via sua a latere suo dextro. Si contingat transire ante majus Altare, in quo sit Tabernaculum SS. Sacramenti,

menti, genuflectit post Celebrantem, eo loco tamen, ut eum statim præcedat. Si autem SS. Sacramentum est expositum, vel elevetur, vel depositum super Altare post Consecrationem, subsistit, accipit Birretum Celebrantis, & utroq; genu flectit; Birretum tamen dexterâ tenet, & nunquam ponit super Missale, propter reverentiam textûs Evangelii. Surgente Celebrante, Minister pariter surgat, & non priùs statimq; Birretum porrigat. Si transeat ante Majus Altare, in quo non est Tabernaculum SS. Sacramenti, sed tantum Crux, licet Celebrans tantum se profundè inclinet Cruci, Minister tamen semper genuflectere debet. Si deniq; Altare in quo Celebraturus est Sacerdos ita situm sit, ut Celebrans ad medium illius accedere non possit, quin priùs ante cornu Epistolæ transeat, Minister aliquantulum retrocedens, aditum illi transeunti, cum inclinatione Capitis, præbeat.

6. Cum ad Altare pervenerit Minister, ad dexteram Celebrantis sistat se, & stans ad Cornu Epistolæ, recipit primò ab eo Birretum dexterâ, cum osculo illius, retinensq; illud in dicta dextera, genuflectit, licet Celebrans non genuflectat, quod in accessu primo, & recessu ultimo tantum observare tenetur. Facta ergo genuflexione ascendit ad Altare per cornu Epistolæ, ne sit collateralis Celebranti, Librumque clausum, super cussinum ibi paratum collocabit, & non apertum, quia ipse Celebrans propter Mysterium aperire debet, ut supra dictum est; collocabitq; ita, ut ea pars, quæ aperitur sit versùs medium Altaris. Tum per idem cornu Epistolæ descendit, Birretum Celebrantis clavo appendit, vel alio loco congruo deponit, nunquam verò super Altare. Si conspiciat quod Candelæ per Sacellanum non sint accensæ, ipsemet eas à lampade accendat, & in eo actu nec nimis morosè, nec nimis præcipitanter procedat, sed moderatè, & ad has candelas semper diligentem habeat inspectionem. Redit postea ad Altare, & facta in medio profunda inclinatione, accedit ad cornu Evangelii, ubi in plano genuflectit, aliquantulum post Celebrantem, à sinistris ejus, manibus junctis.

7. Cum Celebrans incipit Missam dicens: *In Nomine Patris &c.* signat se tantum cum eo, & dum dicit: *Introibo &c.* respondet manibus ante pectus junctis: *Ad DEUM qui lætificat juventutem meam.* Similiter respondet ei ad Psalmum: *Judica me DEUS &c.* eadem voce, & tono, inclinans se ad ℣. *Gloria Patri,* signans se ad ℣. *Adjutorium nostrum &c.* Dicto verò à Celebrante *Confiteor,* non respondet *Amen,* sed statim, convertens se pa-
rum

rum ad Celebrantem, & inclinans se, dicit: *Misereatur Tui &c.* Pariter ad *Confiteor* dicens *Tibi Pater*, & *Te Pater*, convertit se inclinatus ad Celebrantem, dicens ter *mea culpa*, ter percutit dextera pectus suum. Dicto à Celebrante *Misereatur Vestri &c.* adhuc inclinatus respondet: *Amen.* Ad *indulgentiam &c.* signat se aliquomodo erectus, & respondet *Amen.* Iterum se inclinat, dum Celebrans dicit: *DEUS tu conversus &c.* & ultra, ad quæ respondet ut in ordinario Missæ.

8. Quando Celebrans, dicens: *Aufer à nobis &c.* ascendit ad Altare, Minister erectus anteriorem extremitatem Albæ, & Vestis ejus elevat, ac postea genuflectit super infimum gradum Altaris prope cornu Evangelii, ac in eodem loco manet, manibus decenter pectori appositis, vel etiam junctis. Si autem nulli sunt gradus ad Altare, sed tantum Pradella, seu suppedaneum, manet genuflexus in plano. Et dum Celebrans incipit Introitum, signando se, pariter & Minister se signat, & ad ℣. *Gloria Patri &c.* inclinat se versus Altare; Respondet postea ad *Kyrie eleison*, ad *Dominus vobiscum*, ad conclusionem Orationum, dicit *Amen*, ad finem Epistolæ *DEO gratias*, & quando Celebrans dicit: *Flectamus genua*, ipse Minister subdit: *Levate.* Ad Nomen *JESU*, *Mariæ*, & *Sanctorum* de quibus Missa dicitur, aut quorum fit Commemoratio, inclinat se profundiùs quam Celebrans. Attendat Minister ad Candelas Altaris, an ardeant, & ne cera defluat, & eas, si opus est, reconcinnet emunctorio. Non teneat Librum præ manibus, nec globulos precatorios, nec aliquid ex devotione memoriter recitet, sed cum omni attentione ministret Celebranti.

9. Circa finem Gradualis, vel Tractus, aut sequentiæ surgit, accedit per planum ad cornu Epistolæ inclinans se in medio profundè, si non sit Tabernaculum SS. Sacramenti, alias semper pertranseundo genuflectere debet, ibiq; ambabus manibus accipit Missale cum Cussino, pollice sinistro intra folia ipsius interjecto, ubi est Evangelium, dexterà manu sub Cussino posita, defert illud cum debita genuflexione, vel inclinatione ad latus Evangelii per planum, & non per gradus, quod semper observare debet, si fieri potest; & ita Missale cum Cussino super Altare collocat, ut superior pars Libri respiciat cornu posteriùs Altaris, non vero parietem. Postea directe per gradus Anteriores descendit in planum ad cornu Epistolæ, genuflectens, vel inclinans se in medio, & stat in plano ad idem cornu Epistolæ manibus junctis versus Celebrantem, respondens ei: *Et cum Spiritu tuo. Gloria Tibi Domine*, se signans in fronte,

te, ore, & pectore cum Celebrante, ac genuflectens cum eo versùs Altare, quando opus est. In fine Evangelii adhuc stans respondet: *Laus Tibi Christe*, quod similiter facit in fine Passionis, quæ dicitur loco Evangelii, his dictis genuflectit statim in eodem cornu Epistolæ.

10. Dum Celebrans dicit Symbolum, Minister genuflexus, manibus ante pectus junctis caput inclinat initio ad verbum: *DEUM*, pariter profunde se inclinat, dum Celebrans dicit ℣. *Et incarnatus est &c.* sicut & ad Verbum: *Adoratur*, & in fine cum Celebrante se signat à fronte, ad pectus; sicut & ad *Gloria in excelsis*, pariter inclinationes Capitis observare tenetur, nec intermittet in fine signare se. Lecto Offertorio idem Minister surgit, & facta profunda Cruci Altaris inclinatione, sumit ampullas Vini, & Aquæ cum pelvicula, dextro scilicet pollice pedem ampullæ Vini, & sinistro pedem Ampullæ Aquæ, ambabus autem palmis, cum reliquis digitis bacile retinens, cavens ne ampullæ decidant, & ascendit per gradus laterales ad Altare, portans easdem ampullas elevatas, à se invicem, & à pectore aliquantulum remotas, rostris ad se conversis, deponitq; bacile super cornu Epistolæ.

11. Offert deinde Celebranti, ad se venienti, dexterâ ampullam Vini, quam prius osculatur in manubrio, & Celebranti se inclinat; tum Ampullam aquæ mutat à sinistra, ad dextram, & recipiens à Celebrante Ampullam Vini sinistrâ, cum quasi osculo illius, eidem ministrat dexterâ Ampullam Aquæ, quam etiam prius osculatur, eamq; retinet demissam aliquantulum, dum Celebrans benedicit Aquam, quam statim attollit, & eidem Celebranti porrigit, cum debitis reverentiis, ut supra, eamq; postea recipit dexterâ, cum quasi osculo illius, & debitis reverentiis. Offert autem, & recipit Ampullas sine osculis manus Celebrantis, per pedem eas tenens, ut Celebrans eas per aurem, seu manubrium capere possit.

12. Sub tempus oblationis Calicis à Celebrante Minister reportat tantum ampullam Vini, ad locum, ubi prius constiterat, ibiq; manutergium accipit, & portat plicatum ad Altare, aut si pendeat ad Altare, plicat illud tunc, & ita super ipsum Altare aptat, ut Celebrans illud facile capere possit. Minister vero tenens sinistrâ Bacile, & dexterâ Ampullam Aquæ per manubrium, Celebranti se inclinans, & Ampullam quasi osculans, fundit parum Aquæ in pelviculam, deinde super indices, & pollices ejusdem Celebrantis, donec ipse det signum desinendi, elevando parum manus. Ministratur hæc aqua non supra Alta-

re, ſed extra illud, ſcilicet ante cornu anterius Altaris. Iterum ſe inclinat Miniſter, & immiſſa in ſacrarium, vel in locum congruum, & non in pavimentum, aquâ, reportat omnia ad locum ſuum, ibiq; mantile plicat, & ſumptâ Campanulâ, abſq; mora redit ad Altare, ad cornu Epiſtolæ, ubi genuflectit, & prope ſe collocat Campanulam. Si SS. Sacramentum ſit expoſitum, non aſcendit ad Altare pro lotione manuum Celebrantis, ſed in plano conſiſtens, ibidem miniſtrat Celebranti Aquam, vertens in plano terga populo, & manutergium plicatum ſub pelvicula ſiniſtra manu retinens, vel ſiniſtræ manui ſuperimponens.

13. Genuflexus in cornu Epiſtolæ ad *Orate Fratres*, reſpondet Celebranti: *Suſcipiat Dominus &c.* non prius tamen, quin ipſe Celebrans Circulum perfecerit, & ultimum verbum, ſcilicet: *Omnipotentem* compleverit. Nec in fine dicit *Amen*, ſed ſolus Celebrans. In eodem loco manens Miniſter genuflexus reſpondet ad Præfationem, inclinans caput ad *DEO noſtro*. Ad *Sanctus*, ter pulſat Campanulâ, non tamen continuate, ſed interruptim; convenientius tamen eſt ſecundum morem Regni noſtri, ut duobus, vel tribus ictibus pulſetur pro ſingula vice. Reponit poſtea Miniſter campanulam in 2. gradu prope ſuppedaneum, & junctis manibus ante pectus, quæ in Canone aguntur, attendere tenetur.

14. Dum Celebrans ante Conſecrationem dicit: *Qui pridie &c.* atq; accipit Hoſtiam, miniſter ſignet Campanulâ ſemel per trinum ictum; & facta conſecratione Hoſtiæ cum Celebrans erigit ſe à genuflexione, ut elevet eandem Hoſtiam, ter pulſat Campanulam, eo, quo ſupra, modo, diſtinctiùs tamen, deinde dum elevat S. Hoſtiam pariter trino ictu ſignabit, deniq; dum Celebrans eandem Hoſtiam ſupra Corporale deponit ſimiliter trino ictu pulſabit, & ſiniſtra poſteriorem partem Planetæ elevabit, quotieſcunq; Celebrans genuflexus fuerit. Finito pulſu campanulæ in depoſitione Hoſtiæ, adorat devotè SS. Sacramentum & non prius. Idem præſtat in elevatione Calicis, pariter pulſando campanulam, & dictum S. Calicem adorando poſt depoſitionem ejus. Si forte fiat tunc Proceſſio, aut ſi celebretur Miſſa Solemnis prope illud Altare, aut fiat ſermo, ſeu Concio, abſtinendum eſt Miniſtro à pulſu campanulæ.

15. Si adſunt alii gradus præter ſuppedaneum, Miniſter poſtquam primò ſignaverit campanulâ ad acceptam Hoſtiam ante conſecrationem, aſcendet ad 2. Altaris gradum, ubi elevabit poſteriorem partem Planetæ genuflectentis Celebrantis;

fini-

finita adoratione S. Calicis defcendet ad priorem locum, & ibi manebit genuflexus junctis manibus, usq; ad fumptionem Sangvinis. Dum Celebrans fignat Hoftiâ fupra Calicem ad illa verba: *Per ipfum &c.* Minifter pulfabit Campanulam ter, ut fupra ad *Sanctus*, qua depofita propè fuppedaneum, refpondebit Celebranti quando opus eft. Ad illa verba: *Nobis quoq; peccatoribus, Agnus DEI* &c. & *Domine non fum dignus*, percutiet pectus, quemadmodum Celebrans.

16. Quando facienda eft Populi Communio, poftquam Celebrans sumpserit pretiosum Sangvinem, & non priùs, minifter extendat linteum ânte communicandos, super cancellos, & ftatim genuflexus à latere Epiftolæ, manibus junctis dicit: *Confiteor* &c: ut initio Miffæ, & dum Celebrans dicit *Misereatur* &c: & *Indulgentiam* &c: ad illa respondet *Amen*, poftea capiens Candelam collucentem, vel aliam accendens, cum ea; ac Campanula fignante præcedet Celebrantem ad Cancellos, ubi genuflexus manebit donec terminetur Communio, qua finita, eodem modo præcedet Celebrantem, quo priùs.

17. Si non eft facienda Populi communio, dum sumitur pretiosus Sangvis Domini à Celebrante, minifter surgit, & campanulam ad locum suum reportat, ibiq; accipit Ampullas cum pelvicula, ut priùs, ea depofita in cornu Epiftolæ Altaris, primo miniftrat vinum manu dexterâ, tenens ampullam per manubrium, & infundendo in Calicem, cum quafi ofculo ampullæ, & debitis reverentiis ante, & poft; pro purificatione Celebrantis, caute se gerit, ne Ampulla tangat labium Calicis, propter reverentiam sacrarum Specierum. Eodem modo miniftrat, pro digitorum ablutione, paululum tamen retrocedens, ex eadem ampulla Vinum, hac depofita supra pelviculam, eadem dextera capit ampullam Aquæ, ex qua pariformiter miniftrat Aquam. Infundat autem Vinum, & Aquam paulatim, in medio ipfius Calicis, super pollices, & indices ipfius Celebrantis, quousq; elevatis paululum digitis, vel Calice elevato, non dederit fignum sufficere, & tunc ampullam non retrahat Minifter incurvato adhuc labio, fed prius illam erigat, ne guttæ aliquæ super pedem Calicis, aut Mappæ Altaris decidant. Tum factis debitis reverentiis, reportat ampullas cum pelvicula in locum suum.

18. Ascendit poftea per planum ad cornu Evangelii, accedendo per gradus laterales, eomodo, quo fupra, & Miffale clausum cum Cuffino defert, ad cornu Epiftolæ, cum debitis genuflexionibus, vel reverentiis, illudq; repofitum aperit

rit in folio, in quo Celebrans lecturus est Communionem. Redit deinde per planum ad cornu Evangelii, ubi, ut initio Missæ, genuflectit, manetq; genuflexus usque ad Benedictionem, ad quam se signat, & respondet Celebranti, ut in ordinario Missæ. In Quadragesima in Missis de Feria, inclinat se etiam genuflexus ad Orationem super Populum, statim ac Celebrans dicit: *Humiliate capita vestra Deo.*

19. Post Benedictionem transit ad cornu Epistolæ, ubi ad initium S. Evangelii se signat, & genuflectit cum Celebrante facie ad Altare versâ. At quando non legitur Evangelium S. Ioannis, sed aliud (quod facile advertet Minister, si observabit Librum, quem idcirco Celebrans relinquit apertum super Altare) dicto: *Ite Missa est*, statim accedet per planum ad Librum, eumq; transfert ad cornu Evangelii cum solitis reverentiis, ut supra, sed sine cussino, advertens, ut (si fieri potest) sit genuflexus in plano, ante medium Altaris tunc, quando Celebrans dat Benedictionem, ad quam non signat se, quia manus habet occupatas. Librum tamen sustinet usq; ad finem Evangelii, quo finito semper respondet *Deo gratias.* & non *Laus tibi Christe.*

20. Finito Evangelio descendit per gradus laterales cum Missali, & sumit Birretum Celebrantis, vadit per planum prope medium Altaris, ad dexteram tamen Celebrantis, ubi facta omnino genuflexione porrigit Celebranti Birretum, cum quasi osculo illius, tali modo, ut Celebrans illum commode capere, & capiti suo facile superimponere possit. Tum incedens ante illum, portansque Librum, seu Missale ut initio, redit, eodem modo, quo venerat, in Sacristiam.

21. Cum ad Sacristiam pervenerit, sistit se loco congruo, Celebranti se inclinat, & expectat donec transeat; tum procedens inclinat se imagini quæ est in Sacristia, & iterum Celebranti, à quo Birretum accipit, cum quasi osculo illius, illudq; suo loco reponit, similiter, & Missale. Redit dein ad sinistram Celebrantis, quem, dum se exuit, adiuvat; & sacra Paramenta, non tantum à Celebrante, verùm etiam à se exosculata, componit debito ordine, recepto ad ultimum à Sacerdote amictu, genuflexus in loco petit à Celebrante benedictionem dicens: *Benedicite Pater Reverende*, qua accepta reponit Humerale, reditq; ad Altare, si nemo sit, qui extingvat Cereos, ipse extingvit, operit mensam Altaris, ampullas refert in Sacristiam, Cottam, vel Cucullam deponit, & recedit in pace.

22.

22. Si verò assistat Missæ privatæ, cui D. Abbas adesse voluerit, præter superiùs specificata, sequentia observare debet: Procedit ad Altare manibus ante pectus junctis, cum omnia ibidem debeant esse tempestivè præparata, ut decet, ne D. Abbas cogatur expectare Celebrantem, vel si aliter fieri non potest, defert quæ restant necessaria ad celebrationem. Cum accesserit ad Altare, priùs D. Abbati profundè se inclinat, deinde Altari genuflectit, & parat si quæ habet paranda. Si D. Abbas ad cornu Epistolæ habeat suum genuflexorium, Minister facta ei debita reverentia, accedit ad cornu Evangelii solito more, ibiq; in plano genuflectit. Si vero genuflexorium D. Abbatis sit penes cornu Evangelii, minister genuflectat, necesse est ad cornu Epistolæ, ne videatur D. Abbati collateralis, & ibi respondet Celebranti versa facie ad Altare, faciens verò Confessionem, & dicens: *Tibi Pater*, & *Te Pater*, convertit se ad Celebrantem, & non ad Prælatum. Ascendente Celebrante ad Altare, ispe in loco suo permanet genuflexus.

23. Ad Evangelium ministrat, ut alias, Celebranti, sed in cornu Evangelii remanet respondens: *Et cum Spiritu tuo*, & *Gloria tibi Domine*, ibiq; perseverat stans donec finiatur Evangelium, quo finito, respondet: *Laus tibi Christe*, & statim capit Missale apertum, ac sine ulla reverentia defert illud apertum D. Abbati in initio Evangelii osculandum, quod etiam manu indicat. Post osculum textús Evangelici claudit Librum, D. Abbati profunde se inclinat, & missale reportat ad Altare, collocatq; supra Cussinum; & tunc Celebrans jam non osculatur textum, nec dicit: *Per Evangelica &c.* Si forte aliqui Prælati D. Abbate maiores adsint, tunc tantum digniori offerre tenetur Librum ad osculum, & nulli amplius. Si sint æquales, nulli datur Liber osculandus. & nec Celebrans osculatur. Nunquam vero Laico deferatur Missale ad osculum, etiam nec Domino loci, nec Commendatario, nec aliis in Rubrica non nominatis, quia expresse prohibuit S. R. C. 17. *Septembris* 1611. pluries dictam prohibitionem approbavit. Ulterius ministrat, ut supra dictum est.

24. Dicto *Agnus DEI* &c: & finita prima Oratione ante Communionem scilicet: *Domine JESU Christe, qui dixisti* &c: Minister accedit ad dexteram Celebrantis, accipit Pacis Instrumentum dexterâ, illudq; tenet elevatum super Altare, non tamen tenet nuda manu, sed per velum quo Calix contegitur; si nondum fuerit terminata prædicta Oratio, manet genu-

genuflexus, ſed ea finita, & oſculato à Celebrante Altari, miniſtrat dictum Pacis Inſtrumentum Celebranti oſculandum, adhuc tamen genuflexus; Surgit poſtea, & facta iterum genuflexione, accedit ad D. Abbatem, cui ſine ulla reverentia tradit ambabus manibus Pacis Inſtrumentum oſculandum, dicens *Pax tecum*, deinde profundò se inclinat eidem D. Abbati, & cum debitis genuflexionibus refert ad Altare dictum Pacis Inſtrumentum, collocatq; in eo loco, ubi priùs conſtiterat, velum vero plicat, & ponit in ſuo loco. Hoc tamen animadvertere debet, quod antequam præbeat ad oſculum Inſtrumentum Pacis, illud velo tergere debet.

25. Si plures ſint DD. Abbates, vel alii Prælati, Miniſter eis præbet Inſtrumentum Pacis, incipiens à dignioribus, & poſt oſculum, non verò priùs debitam faciet reverentiam unicuique, & qualibet vice ante oſculum exterget illud. Aliis etiam non Prælatis, etiam Dominis Sæcularibus Inſtrumentum Pacis ad oſculum porrigere poteſt, ſi D. Abbas juſſerit, & unicuiq; dicere debet, penes oſculum: *Pax tecum*, ſicut etiam aliis Prælatis, ſæcularibus tamen non extergit. Poſt finem, ultimi Evangelii prædictus Miniſter D. Abbati diſcedenti profundam faciet reverentiam, ſicut & Celebrans. Hanc tamen reverentiam Miniſter ſemper præſtare tenetur, quotieſcunq; tranſit ante Sedem, ſeu Genuflexorium D. Abbatis.

CAPUT X.

De Situ corporis Religioſorum, præſentium Miſſæ Conventuali.

1. RElígioſi viri, quemadmodum in Officii Divini recitatione, uniformem Cæremoniarum praxim obſervare tenentur, ita & ſub tempus Miſſæ Conventualis pariformem ſitum Corporis ſervare sunt obligati. Et quia Miſſa Conventualis ſemel ſit cantata per Chorum modo Chorali, aliquoties cantata per Muſicos cantu figurali, seu fracto, & aliquando etiam perse lecta abſolvitur, ideo in hoc triplici ſtatu, ex gravioribus Authoribus unanimis ſitus corporis declaratur.

2. In Miſſa quæ canitur per Religioſos Choraliter, ſive ad Pulpitum, (quod convenientius eſſet) ſive in ſedilibus, initio ſtare omnes tenentur, tam ii, qui cantant ad legile, quam reli-

reliqui manentes in ſtallis, verſa facie ad Altare, niſi, quod ad ℣. *Gloria Patri*, converſis ad invicem vultibus, facere debeant inclinationem, aut ſi Nomen *JESU* vel *Mariæ*, aut Sancti cujus feſtivitas celebratur in Introitu fiat Mentio, pariter reverentiam faciant, verſis ad invicem faciebus.

3. Ad *Kurie eleiſon* aut *Chriſte eleiſon*, nulla fit à Choro inclinatio, quia licet in his verbis exprimatur invocatio Dei, nulla tamen Rubrica ad id ſtringit, alias & Celebrans teneretur novies ſe inclinare ad ea, quod tamen eſſet contra omnem regulam, & praxim. Maximè, quia in Choro ad ea tantum, ſtringimur, facere reverentiam, ad quæ & Celebrans, cum autem ad *Kyrie eleiſon*, & *Chriſte eleiſon*, nulla regula Rubri præcipit facere inclinationem Celebranti, ergo nec Religioſis canentibus in Choro. Et licet à SS. Patribus hæc verba *Kyrie eleiſon*, & *Chriſte eleiſon*, ex Græco vocabulo explicentur, quod denotent *Domine miſerere, Chriſte miſerere*, tamen nec hoc convincere poteſt, utiq; tam in Hymno Angelico, quam in Symbolo pluries fit invocatio Dei, per ſimiles terminos, e. g. *Domine DEUS. DEUS Pater. Domine Fili. Domine DEUS Agnus DEI, Filius Patris. Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis.* &c. *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero*, & in Præfatione: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, & tamen nulla Rubrica præcipit tunc præſtari reverentias, niſi ad nomen *JESU* & alia, quæ ſunt ſpecialiter notata, ergo nec ad *Kyrie eleiſon*, aut *Chriſte eleiſon* facienda eſt dicta inclinatio, ex nonnullorum opinione introducta.

4. Dum Celebrans intonat Hymnum Angelicum, ad illud verbum *DEO* cum & Celebrans inclinare debeat caput, ideo & ab omnibus in Choro exiſtentibus, facie ad invicem verſa, fieri debet inclinatio. Pariter ad illa verba: *Adoramus te. Gratias agimus. JESU Chriſte. Suſcipe deprecationem noſtram. JESU Chriſte*, ſolitam præſtare debent omnes reverentiam, ad reliqua verò facie ad Altare verſa ſtare tenentur. Quod pariter in Symbolo obſervandum venit, ut dum à Celebrante intonatur, ad illud verbum *DEUM* ac ad illa: *Jeſum Chriſtum. Adoratur*, ſimiliter fieri debet, ab omnibus profunda reverentia. Ad ℣. autem *Et incarnatus eſt* omnino cuncti genuflexi permanent uſq; ad illa verba: *Et HOMO factus eſt*, ad quæ etiam caput inclinare tenentur. Ad reliqua ſicut in Hymno Angelico erecti perſiſtunt, ad Altare converſi.

5. Si unica in Miſſa canatur tantum Oratio, ad eam totam inclinati omnes in Choro permanent, uſq; ad ea verba concluſionis *Per omnia ſæcula &c.* excluſive, ad quæ ſtatim ſe erigunt,

rigunt, & convertunt ad Altare. Si vero plures dicantur Orationes, tunc ad primam fiat inclinatio, ut diximus; ad 2dam verò, sive plures nulla fiat reverentia, sed conversi ad Altare stabant omnes, nisi ad nomina *JESU*, *Mariæ*, vel Sancti cujus sit memoria in Officio, aut *Papæ*, tunc enim in loco stantes, nec se vertentes inclinabunt Caput, profundius tamen ad nomen *JESU* quam ad alia. Ad conclusionem autem ultimæ orationis, pariter ut ad primam, debitam facere tenebuntur inclinationem, ita enim disponit & Rubr: generalis, omnesq; Rubricistæ declarant, nec non *Cærem: Monast: Bened: Rom: L. 1. c. 7. n. 13.* ubi sic habet: *Ad primam collectam Missæ, Vesperarum, Laudum, & in fine ultimæ, quando dicitur.* Per Dominum *fieri debet inclinatio profunda.*

6. Dum cantatur Epistola, vel Prophetia, omnes sedere debent, & quando canitur *Tractus*, vel *Graduale* cum ℣℣. aut *Alleluia*, ii qui in stallis remanent, sedebunt, illi vero qui cantatori sunt prædicta, circa finem Lectionis accedent ad legile, ibiq; stantes concinent. Ad Evangelium omnes erecti, nudo capite, versa facie ad Altare stabunt, & ad *Gloria Tibi Domine*, debitam facient reverentiam. Ita disponunt *Declar: Cass: supra Reg: cap: 20. n. 9. & 10.*

7. Ab Offertorio usq; ad Præfationem sedent in Choro ii, qui in sedilibus permanent, nam hi, qui sunt ad pulpitum, stando canunt, decantato tamen Offertorio, accedunt ad sedilia, ubi pariter cum aliis consident. Si vero fiat incensatio Chori, statim ut venerit Diaconus in Chorum, omnes erecti, facie ad invicem versa persistunt, donec terminata fuerit incensatio.

8. Cum Celebrans incipit Præfationem, erigunt se omnes, stantes, facie ad Altare versa, sed ad illa verba: *Gratias agamus &c.* profunde se inclinant, facie ad invicem versa. Permanent autem stantes in locis suis, ad Altare conversi, usq; ad finem Præfationis. Circa finem Præfationis, qui cantaturi sunt, procedunt ad Pulpitum, ibiq; solito modo decantant, qui autem remanent in sedilibus, quando Celebrans dicit *Sanctus* ipsi quoq; ad invicem inclinati, dicere, & se signare cum Celebrante debent, ac statim in sedilibus genuflectunt, sicq; genuflexi permanent usq; ad Orationem Dominicam. Reliqui ad Legile cantantes post primum *Hosanna*, paulo ante elevationem SS. Sacramenti genuflectunt, & non prius surgunt, quam deposito S. Calice, ad decantandum *Benedictus* &c. quo peracto, accedunt ad sedilia, ibiq; genuflexi permanent usq; ad *Per ipsum &c.* Ita disposuit *Cærem. Episc: L. 1. c. 8.*

9. Dum

9. Dum post *Per ipsum &c.* Celebrans dicit: *Per omnia sæcula sæculorum*, omnes surgunt, & versa facie ad Altare persistunt donec inchoaverit *Pater noster &c.* & tunc facie versa ad invicem, omnes profundam faciunt reverentiam, usq; ad finem Orationis Dominicæ, in qua dicto: *Et ne nos inducas &c.* erigunt se & convertunt ad Altare, stantes usq; ad *Agnus Dei.* Ad quod qui in stallis remanent, inclinantes se, percutiunt ter pectus, terq; repetunt dictum: *Agnus Dei &c.* & postea vertentes se ad Altare, stando expectant Pacem, & licet Pax non detur, tamen permanent stantes usq; ad finem Communionis tam Celebrantis, quam populi, & postea sedent. Illi etiam qui canere debent, statim post *Pax Domini* accedunt ad Legile, ibiq; remanent concinentes, usq; dum Antiphona quæ dicitur: *Communio* decantata fuerit, & postea revertuntur ad sedilia; Antiph: enim hæc immediatè à Choro decantari debet, tunc, quando Celebrans se communicat, ex *Cær: Episc: L.* 2. *c.* 8. est enim hymnus communicantium.

10. Quando Celebrans dicit: *Dominus vobiscum* surgunt omnes, & stant ad Orationes, usq; ad finem Missæ, ita ut initio. Notandum tamen est, quod, sub cantu Chorali Missæ, quem supponit *Cærem: Episc:* omnes in Choro præsentes, ad communionem, scilicet dum Celebrans se, & alios communicat, non debeant genuflectere, similiter dum Celebrans dat benedictionem in fine Missæ, sed conversa ad invicem facie, parum inclinati stare debent, exceptis iis qui canunt, oppositum enim prohibetur in *Cærem: Episc: L.* 2. *c.* 29.

11. In Missa quæ canitur à Musicis figuraliter, idem observandum erit, quod & in Missis lectis, in quibus convenit, ut dum facit Celebrans confessionem, genuflectant, ab Introitu usq; ad Evangelium sedeant, sub tempus Evangelii ad Altare conversi persistant, deinde sedeant, usq; ad initium Canonis, a quo tempore genuflectant. usq; ad sumptionem Sangvinis, & postea sedeant, dicto tamen *Ite Missa est*, surgant, permaneantq; stantes usq; ad finem ultimi Evangelii.

12. In Missis Defunctorum, vel Ferialibus, sive Choraliter, sive Figuraliter decantatis, aut etiam lectis, ad Orationem seu plures, pariter ad Postcommunionem seu plures, omnino genuflectere debent, ad Sequentiam tamen, seu Prosam Defunctorum sedebunt. Tum dicto per Celebrantem *Sanctus*, flectuntur genua ab omnibus usq; ad *Pax Domini*, præterquam à Diacono, & Subdiacono. Cantores tamen quamdiu sunt occupati, stant in



in Choro, nisi sciant cantanda memoriter, quia tunc genuflexi canere deberent. ita *Jacob. c.* 15.

13. Notandum prœterea est: quod Chorus silere deberet ad utramque elevationem, ex *Concilio Treviren:* & *Cærem: Episc: L.* 2. *c.* 8. ac *Pari Grasso*, Et aliis. Et certe tunc maxime decet silentium, quando tantum Mysterium adorare debemus. Ideoq; præcipit Rubr: gener: ut Cantores non decantent *Benedictus qui venit &c,* etiam in Missis Defunctorum, ac aliis hujusmodi, nisi post utramq; elevationem, ne Chorus tunc cantet, dum ipsa fit elevatio.

14. Nota insuper Regulam generalem pro iis, qui sunt præsentes in Choro, & non sunt impediti Cantu, quia signare se debent initio Missæ cum Celebrante, in confessione ad *Adjutorium &c.* & *Indulgentiam &c.* tum ad Introitum, deinde in fine Hymni Angelici, ac Symboli, item ad *Benedictus qui venit &c.* Deniq; ad ea verba: *Omni benedictione &c.* si ad id attendere possint. Insuper signare se debent in fronte, ore, & pectore, ad utrumq; Evangelium, sinistra infra pectus posita. Percutiunt autem pectus ter, dicentes *Mea culpa* ad confessionem, semel ad *Nobis quoq; peccatoribus* ter ad *Agnus Dei*, dicentes *Miserere nobis*, & *dona nobis pacem*, non vero in Missis Defunctorum. Deniq; ter ad *Domine non sum dignus*. Hæc autem omnia peragunt ii tantum, qui non cantant. Cætera laudabilis consvetudo locorum docebit.

Decreta S. R. Congr:

1. Genuflectendum non est ad Orationes in Missa Solemni, in qua dicitur *Gloria*, & *Credo*. S. R. C. 19. *Maii* 1607. *in Placentina.*

2. Quando in Missa Solemni ministratur S. Eucharistia Clericis, vel Laicis, reliqui de Clero in Choro debent stare. S. R. C. 9. *Maii* 1711. *in Catanien.*

FINIS
TERTIÆ PARTIS.



PARS

PARS IV.

De Variis Ecclesiasticis Cœremoniis.

CAPUT I.
De Aspersione.

1. DUplex in Congregatione nostra solet fieri Aquæ benedictæ Aspersio, una juxta communem Ecclesiæ praxim, omnibus diebus Dominicis, post Tertiam, ante Missam conventualem, per Celebrantem, altera quolibet Die post Completorium, seu (ut in aliis Monasteriis) post Orationem, per Superiorem fieri solet. De hac 2da infra agemus, modo de 1ma qualiter fieri debeat, pauca sunt notanda.

2. Cum singulis diebus Dominicis Aquæ benedictæ aspersio fiat ex præscripto Ecclesiæ, Sacerdos celebraturus Missam solemnem, seu Conventualem, indutus Amictu, Alba, & Stola coloris Missæ convenientis, in modum Crucis ante pectus adaptata, antequam Hora Tertia in Choro terminetur, habens Sal in vase proprio, & aquam etiam in aliquo vase ad id parato, in Sacristia, nudo Capite, junctis manibus, (nisi ipsemet Librum tenere cogatur) benedicit Sal, & Aquam, ut in Rituali Romano, vel Missali præscribitur. Quod si alius Sacerdos ex justa causa, prius dictam Aquam benedicere debeat, adhibeat omnino superpelliceum, & Stolam coloris violacei à collo pendentem.

3. Facta benedictione, & finita Tertia, Celebrans paratus Pluviali coloris convenientis, sine manipulo, medius inter Diaconum, & Subdiaconum paratos (si cum iisdem celebranda sit Missa) sine manipulis, anteriores fimbrias Pluvialis elevantes, accedit ad Altare, præcedentibus Thuriferario cum Vase Aquæ benedictæ, & Ceroferariis cum Candelabris, & Cereis accensis. Cum pervenerint ad Altare, omnes genuflectunt, licet ibi non asservetur SS. Sacramentum, deponunt Birreta sua in manus Cæremoniarii. Ceroferarii deponunt Candelabra sua in gradu Altaris, ubi genuflexi omnes manent donec Celebrans surgat; & tunc Ceroferarii erecti conformant se Choro.

4. Thuriferarius fungens tunc Officio Exorcistæ, genuflexus à dextris Diaconi, aspersorium humefactum in Aqua benedicta, porrigit Diacono dextera, absq; osculis, & hic tradit

illud Celebranti, cum osculo illius in extrema parte, & manus Celebrantis in parte exteriori: qui mox incipit Antiphonam: *Asperges me*, vel *Vidi Aquam*, qua inchoata, aspergit ter frontem Altaris, scilicet 1. in medio, 2. in parte Evangelii, & deniq; 3. in parte Epistolæ, ministris sacris anteriores fimbrias Pluvialis elevantibus, deinde aspergit se ipsum adhuc genuflexus, tum erectus Ministros Sacros ibidem adhuc genuflexos, prius scilicet Diaconum, & postea Subdiaconum. Incipit autem Antiphonam ante aspersionem Altaris, ut convenienter dicatur: *Asperges me* futuri temporis, ante actualem aspersionem. Ita *Cær. Episc: L. 2. c. 31. Gavant: P. 4. tit: 9. n. 11. Rubrica quoq; Missalis.* Inchoatâ Antiphona, Cantores prosequuntur *Domine &c.* vel *egredientem &c.*

5. Aspersis Ministris sacris, Celebrans reddit aspersorium Diacono, & hic Ministro de Aqua, factaq; à Ministris genuflexione, & à Celebrante debita reverentia, medius inter Diaconum & Subdiaconum, præcedentibus Cæremoniario & Ministro de Vase, procedunt in Chorum, ubi constituti in medio, minister de vase ad dexteram Diaconi, & Cæremoniarius ad sinistram Subdiaconi. Salutatâ utraq; parte Chori, capitis inclinatione, Diaconus accipit aspersorium, illudq; tradit cum debitis osculis Celebranti, stansq; a dextris ejus, fimbriam Pluvialis elevat, sicut Subdiaconus à sinistris. Interim Celebrans propius accedit ad superiorem, quem cum inclinatione pari salutat ante, & post, & eum separatim aspergit, reliquos verò sine mora, & plures simul quasi in circulum, & non unum post alium, atq; sine inclinatione. Ad quam aspersionem omnes stantes esse debent, nudo capite, & aspergenti se inclinare tenentur.

6. Tum ipse Celebrans, & non Diaconus ascendit ad aspergendum populum, qui regulariter tantum ad Cancellos aspergi deberet, sed quia consvetudo invaluit in Regno nostro, quod procedat per Ecclesiam, remanentibus in loco, ubi Chorus aspergebatur Sacris Ministris, Celebrans cum Ministro de Vase aquæ benedictæ à sinistris, & Cæremoniario à dextris elevante fimbriam Pluvialis, aspergit per Ecclesiam populum, dicens totam Antiphonam *Asperges me*, vel *Vidi Aquam*, & totum Psalmum *Miserere mei Deus*, submissa voce, & alternatim cum ministris sub tempus aspersionis. Non tamen dicitur totus Psalmus *Confitemini Domino &c.* tempore Paschali, nisi sciat ex memoria. Si Celebrans extra Chorum audiat Canentes ℣. *Gloria*

Pa-

Patri &c. non subsistat, aliter vero si in Choro existat, ubi tunc subsistens inclinabit se cum Ministris.

7. Asperso populo, Celebrans procedit ad Ministros, ubi illos reliquit, factisq; Choro inclinationibus, accedit cum iis ad Altaré, ubi factis debitis reverentiis, accipit à Diacono aspergillum, aspergit Cæremoniarium, Ceroferarios, & ministrum de Vase Aquæ benedictæ, reddit dein aspersorium Diacono, & ille Thuriferario, qui reportat Aquam benedictam, cum aspergillo, collocatq; prædicta in loco congruo. Interim Celebrans repetita à Choro Antiphona, stans in plano ante gradus Altaris, junctis manibus cantat ℣. *Ostende &c.* vel *Domine &c.* cum Oratione conveni enti ex Libro, quem Ministri sacri stantes hinc, inde tenere debent ante eum.

8. Thuriferarius reportato Vase cum Aqua lustrali, affert de Sacristia Planetam, & Manipulos, Celebrantis, & Ministrorum; Cæremoniarius Pluviale retinet, donec Celebrans Casula sua indutus fuerit, redditq; dictum Pluviale Thuriferario, ut referat in Sacristiam, & ipse Cæremoniarius accipiens Missale de Credentia, ponit in Altari supra Cussinum, illudq; aperit in folio, ubi Missa legenda est. Thuriferarius autem deposito Pluviali, acceptoq; Thuribulo, & navicula accedit ad Altare, & inchoatur suo ordine Missa.

9. Nullus alius præter Celebrantem, potest peragere Aspersionem die Dominico, quia sic decrevit S. R. C. ut non obstante contraria consvetudine, quæ potiùs corruptela dici debet, ipse Celebrans hoc officium peragat, cum contrarium sit & contra Rubricas Missalis Romani, & contra expressam dispositionem S. R. C. ut infra patebit. Ergo per Diaconum hoc Aspersionis Officium expleri nullomodo potest, ideoq; hunc abusum omnino tollere superiores loci tenentur. Aut si multitudo populi adest, potiùs Sacerdos alius, superpelliceo & stola indutus aspergat populum, ad normam Ecclesiarum Galliæ, quam Diaconus, hoc enim concessit Gregorius XIII. 30. Decembris 1573. Ecclesiis Hispaniarum.

10. Si D. Abbas die Dominico est Celebraturus, tunc vel Archidiaconus indutus Cotta, Stola, & Pluviali, præcedente solo Thuriferario cum vase Aquæ lustralis, dictam peragat aspersionem, ut innuit *Cærem. Moraft: Congr: SS Ang: Bavar:* vel etiam eadem Aspersio intermittatur, quia *Cærem. Episc.* L. 2. c. 31. his verbis declarat: *Si Episcopus Celebrare voluerit solemniter, non esset facienda hujusmodi Aquæ benedictæ aspersio.* Præsertim quia ab his Decretis S. R. C. excipiuntur Episcopi, & Abbates

Cele-

Celebrantes Pontificaliter, juxta communem Rubricistarum sensum.

11. Quod si D. Abbas tantum adsit præsens Aspersioni in Choro, in loco suæ jurisdictionis, tunc Celebrans asperso Altari, & inchoata Antiphona, remanentibus sacris Ministris ad Altare genuflexis, cum Cæremoniario, & Thuriferario tantum, accedit ad sedem D. Abbatis, cui cum profunda inclinatione, ac debitis osculis, porrigit aspersorium; Et ipse D. Abbas primo seipsum, postea Celebrantem aspergit, eiq; reddit Aspersorium (non tamen per abusum aspergat Chorum, quia expresse est contra Cærem: Episc: loco supra citato) Celebrans cum debitis osculis recepto aspergillo, & facta debita reverentia, redit ad Altare, ubi sacros Ministros adhuc genuflexos aspergit, postea procedit (ut supra) ad chorum, eumq; aspergit, deinde populum, deniq; inferiores Ministros. Si D. Abbas innuat, ut ipse Celebrans eum aspergat, facta tunc ante, & post profunda inclinatione aspergit eum, quod præcipue fit, quando adsunt plures Prælati, ejusdem ordinis, & dignitatis.

12. Si in Altari expositum sit SS. Sacramentum, non aspergatur Altare, ex ratione, quia nec signatur initio Evangelii in fine Missæ; & tunc Diaconus abstinet ab osculis aspersorii & manus Celebrantis, ad Altare tantum, quando eidem vel offert, vel recipit aspergillum, aliter sentiendum extra Altare. In Dominicis de Passione, & Palmarum in aspersione ad Psalmum non dicitur ℣. *Gloria Patri &c.* sed post Psalmum immediatè repetitur Antiphona *Asperges me &c.* Reprobandus est usus quarumdam Ecclesiarum, in quibus post ℣. *Gloria Patri &c.* repetitur Ant: ab his verbis: *Lavabis me &c.* aut tempore Paschali non tota repetitur, sed tantum ad primum *Alleluia*, quia est contra Rubricas Missalis.

13. Quando Celebrans sine ministris sacris Missam Conventualem est decantaturus, indutus Pluviali omnino, & semper esse debet, non vero in Casula, esset enim expresse contra Rubricam. Et tunc procedens cum duobus Acolythis de Sacristia ad Altare, inchoat Antiphonam genuflexus, aspergit Altare, seipsum, Chorum, & populum, omniaq; peragit quæ superiùs notata sunt, ministrante solum uno Acolytho, qui dextra manu vas Aquæ lustralis, & sinistra fimbriam Pluvialis dexteram tenere debet, altero Acolytho remanente ad gradus Altaris, utroq; tamen ministrante Librum, ad ℣. & Orationem convenientem, à Celebrante decantandam.

14. Altera aquæ lustralis aspersio fieri consvevit quolibet die in Choro in Ordine, & congregatione nostra post Completorium, seu ut alii dicunt. post Orationem, ad quam non genuflexi, sed stantes, profundè tamen inclinati; permanere debent Monachi, quia cum Aquæ benedictæ aspersio, sit tantum sacramentalis participatio, & ad alia Sacramentalia cum non teneamur genuflectere, neq; ad hæc ullam genuflectendi obligationem contrahimus: maximè cum nec populus fidelis genuflexus, sed stans recipiat Dominico die aspersionem; ubinam verò contrarium inveniatur præceptum, penitùs ignoro. Itaq; erectis in Choro Religiosis, & sub tempus aspersionis se inclinantibus, Superior, qui est in Choro, tribuit aspersionem, inchoans antequam seipsum asperserit Antiph: *Asperges me*, tum aspergendo seipsum, postea omnes Religiosos PP. & FF. non distinctim omnino, sed quasi per Circulum aspergit, choro reliquum Antiphonæ cum Psalmo prosequente. Nec genuflectunt Monachi, nisi repetita Antiphona. Ita declarat *Cærem. Monast. Congr: Mont: Serrati in Hispania O. N. P. 1, dist. 1, c, 9, n. 3.*

Decreta S. R. Congregationis.

1. Aquæ benedictæ aspersio in Dominicis debet fieri per ipsum Celebrantem, etiamsi sit prima, vel alia dignitas, non obstante contraria consvetudine, quæ potiùs corruptela dici debet, cum sit contra Rubricas Missalis, & dispositionem Cæremonialis Episc: L. 2, c. 30. n. 1. S. R. C. 27. *Novembris. 1632. in Perusina.*

2. Aspersio die Dominico semper facienda est à Celebrante, etiam quando Superior celebrat. S. R. C. 26. Novembris. 1649. in *Januensi. Episcopus tamen Pontificaliter celebrans, non comprehenditur, tunc enim neq; ipse per se, neq, per alium aqua lustrali Populum aspergit, ex Cærem: Episc: L. 2. c, 31. n. 4. declarat P. Spiridion Talu. Ex pari ratione idem sentiendum est de D. Abbate pontificaliter celebraturo.*

3. In aspersione aquæ benedictæ, quæ fit diebus Dominicis à Sacerdote Alba, & Stola induto, sive etiam cum Pluviali, immediate Celebraturo Missam Conventualem, stola est aptanda ante pectus in modum Crucis, non vero ad utrumq; latus pendens à Collo. S. R. C. 30. *Septembris. 1679. in una Ord. Capucin. Si cum Pluviali, ergo non in Planeta.*

CAPUT II.

De Thurificatione Altaris in Missa.

1. ANtequam Altaris incensationem describemus, prius nobis nonnulla circa thurificationem in genere sunt præscienda. Thuriferarius qui ministraturus est thuribulum advertere debet, ut non in ipso vase thuribuli carbones igniti imponantur, sed sit aliud vas ferreum, cum quo carbones igniti, intus, in illud vas thuribuli immitti possint, & extrahi, quando opus est. Insuper advertat, ut thuribulum teneat ita elevatum ad Naviculæ altitudinem coram Celebrante, ad imponendum, & benedicendum incensum, ut Celebrans non cogatur se inclinare, quod pariter sentiendum est de Diacono ministrante Naviculam. Thuriferarius præterea habeat curam Naviculæ, ut ponatur in ea Thus purum, boni odoris, & in ea quantitate, ut sufficere possit convenienter; & hoc incensum non sit nimis contusum, ne repentè evanescat, nec nimis solidum, ut omnino cremari non possit. Gestat Thuriferarius thuribulum, & Naviculam, Celebranti, & Diacono porrigit, ac recipit, eo modo, quo supra P. 3. c. 6. per totum dictum est.

2. Thus semper benedicitur à Celebrante statim, ac immissum est in thuribulum, & non priùs. Imponitur sine ulla benedictione incensum, quotiescunq; SS. Sacramentum est expositum, vel exponendum, & illud solum, & nihil aliud cum eo est thurificandum, quia ibi est auctor benedictionis, quod præsertim accidit in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistiæ Sacramentum, quo tempore oscula cochlearis, thuribuli, & manus Celebrantis non dantur. Si verò Altare simul cum SS. Sacramento incensandum est, aut quid aliud, tunc quidem thus benedicitur, sed sine osculis.

3. Imponitur, & benedicitur thus à Celebrante semper stante, (nisi sit Episcopus vel D. Abbas, qui aliquando sedens illud imponit) & nunquam à genuflexo, licet exposito SS. Sacramento, ideòq; manifestè contra Rubricam agunt illi, qui genuflectendo imponunt incensum in thuribulum. Si aliquando fumus in thuribulo deficiat, Thuriferarius paululum incensi

etiam

etiam non benedicti superaddere potest, hoc tamen raro, & non nisi necessitate cogente, quando aliquid incensandum erit.

4. Diaconus Chorum incensaturus, aut alius non deferens Naviculam, manu sinistra summitatem catenularum, sive annulos Superiores cingulo tenus elevatos tenet, manu verò dextrâ æqualiter elevata, defert ipsum vas thuribuli per catenulas prope operculum, remotiùs aliquomodo à vestibus & superpelliceo tenens, ne comburantur.

5. Jn Missa quater imponitur incensum in thuribulo, & benedicitur à Celebrante; Prima impositio fit ab eodem in Sacristia, antequam procedat ad Altare pro Missa inchoanda. Secunda impositio & benedictio incensi fit ab eodem Celebrante ad Altare post Confessionem ante Introitum, ad incensandum Altare. Tertia thuris impositio, & benedictio in Missa solemni fit, antequam Diaconus petat benedictionem pro decantando Evangelio, propter incensationem Libri Evangeliorum. Quarta pariter ad Altare fit thuris impositio, & benedictio post Oblationem Calicis, ad incensanda Oblata, & Altare. Prima itaq; impositio, & benedictio incensi in Sacristia, ex sequenti numero patebit, quia eodem, ut ad Altare, peragi debet, modo.

6. Facta Confessione Celebrans ascendit ad Altare, illudq; osculatur, & in eodem loco, scilicet ad medium Altaris, convertit faciem suam ad cornu Epistolæ, junctis ante pectus manibus. Diaconus stans ad dextram Celebrantis parum retrocedit, dando locum Thuriferario, & accepta ab illo Naviculâ in manum suam dextram, statim sinistrâ sustentat, ac convertit se paululum, sicut & partem naviculæ apertam ad Celebrantem, tum accipiens cochlear vacuum circa partem inferiorem manubrii, osculatur illud in extremitate, ubi à Celebrante sumi debet, traditq; dictum cochlear Celebranti, cujus manum dextram in exteriori parte osculatur, & non digitos. Deinde sic conversus, & ambabus manibus naviculam tenens, ac inclinatus parum, petit benedictionem, dicens: *Benedicite Pater Reverende.* Thuriferarius cum thuribulo consistit quasi à dextris Diaconi, inter illum, & Altaris mensam ante Celebrantem, tenetq; thuribulum eo modo, quo supra P. 3. c. 6. notatum est.

7. Celebrans accepto cochleari, sinistram tenens infra pectus positam, ter è navicula thus accipit eodem cochleari, & ter immittit super carbones ignitos in thuribulum, tribus omnino distinctis vicibus, & tribus distinctis locis, dicens: *Ab*


illo benedicaris, in cujus honore cremaberis. Amen. Quæ verba sic dispenset, ut in 1. thuris impositione dicat: *Ab illo benedicaris.* in 2. *in cujus honore,* & in 3. *cremaberis. Amen.* Statimq; reddito cochleari in manus Diaconi, dextra manu producit signum ✠ cis supra thus in thuribulo adhuc aperto impositum, nihil dicens. Ideoq; Thuriferarius non debet thuribulum claudere, quin prius incensum sit benedictum. Prædicta formula serviet semper, quotiescunq; Celebrans benedicit incensum, excepta impositione, & benedictione thuris ad oblata, ut infra dicetur.

8. Thure imposito, Diaconus accipit manu dextra cochlear à Celebrante, ab inferiori parte manubrii, sed in eadem receptione osculatur prius dexteram Celebrantis in exteriori parte, & nunquam digitos, deinde ipsum cochlear receptum osculatur, in manubrii extremitate, quo facto sine mora dictum cochlear reponit in navicula, eamq; claudit, & mox accipit manu dextra thuribulum clausum à Thuriferario, cui sinistra reddit naviculam, tenensq; catenularum summitatem dexterâ, juxta manubrium, sinistra verò catenulas prope operculum, statim ipsum manubrium osculatur, & summitatem catenularum ponit in sinistra Celebrantis, dictarumq; catenularum partem inferiorem prope operculum, in dextra ejusdem Celebrantis, cujus eandem manum dextram osculatur, ut supra.

9. Celebrans manum sinistram, qua complectitur summitatem catenularum juxta manubrium, pectori admovet, eamq; tenet immobilem, in tota incensatione, dexterà verò tenet easdem catenulas simul junctas prope operculum, ita, ut eadem dextera globulum operculi complectatur; sic enim retineri debet thuribulum, ut proprio pondere in tota incensatione nullatenus moveatur, ac præter motum ab ipso Celebrante impressum, nullum alium habeat, adeò, ut illud per totam incensationem versùs id, quod incensat, ducat commodè, & ad se retrahat, ac cum gravitate, & mora competenti reducat. Tum ad Altare conversus profundè se inclinat Cruci, etiamsi ea sit particula veræ Crucis; Tabernaculo tamen SS. Sacramenti, si adsit, licet non sit apertum, genuflectit, extremitatibus manuum super Altare positis, ut faciliùs genuflectere, & surgere valeat.

10. Postea elevato thuribulo ter incensat Crucem in medio tantum, æquali ductu, ita, ut ad unumquemque ictum tantillum quiescat, & nihil dicens tractim ducat thuribulum, prout in schemate Incensationis apparet per numeros: 1. 2. & 3.

Fig: I. Incensationis Altaris tam in Missa quam in Vesperis



Quando in Altari non sunt Reliquiæ incensata Cruce in medio celebrans prosequitur incensationem à num: 8 omissis num: 4. 5. 6. et 7.

Adam Gieryk Warsz.

& 3. ac iterum facta debita reverentia incensat Reliquias, vel Imagines Sanctorum ad cornu Evangelii, ut insinuatur per Num: 4, & 5. Deinde facta eidem Cruci debità reverentià, simili modo Reliquias, seu Imagines ex parte Epistolæ incensat designatas Num: 6. & 7. Quibus peractis & absq; ulla Cruci, vel Tabernaculo reverentia incensat totum Altare incipiens à latere Epistolæ, faciem ad illud convertit, & ducit aliquantulum thuribulum versus posteriorem Altaris planitiem triplici ductu, in æquali distantia prout apparet ex num: 8. 9. & 10. prout Candelabra distribuuntur, eorum tamen ratio non habetur sive plura, sive pauciora fuerint, etenim ipsa tantum posterior pars Altaris incensatur, & non Candelabra. Ducit verò thuribulum, & simul procedit movendo pedem illum priùs, qui est proximior Altari, scilicet sinistrum, totq; passus omnino facit, quod thuribuli tractus, manus enim cum pede, quantum fieri potest, concordare debent in motu, ut incessus Thurificationi ex æquo respondeat. Ita *Cærem: Episc: L.* 1, *c*, 23.

11. Perveniendo Celebrans ad cornu Epistolæ, demissa manu aliquantulum inclinatus, thurificat partem illius inferiorem lateralem, & postea Superiorem, bis ducendo thuribulum semel scilicet in parte inferiori, & semel iterum in parte Superiori prout exhibent Num: 11. & 12. Deinde conversus ad Altare, & faciem quasi ad medium ipsius vertens, incensat ejus planitiem anteriorem circa oram, ter ducens thuribulum à cornu Epistolæ, usq; ad medium procedendo, ut indicatur Num: 13. 14. & 15. Perveniens verò ad medium Altaris debitam facit reverentiam, ac posteriorem partem Altaris versus cornu Evangelii incensat triplici ductu, juxta Num: 16. 17. & 18, pari modo ut in cornu Epistolæ incensatq; pariter inferiorem, & Superiorem lateralem cornu Evangelii partem, quamlibet semel, ut notant Num: 19. & 20.

12. Tum altefatus Celebrans stans in eodem cornu Evangelii, & elevans thuribulum, nec ultra progrediens, (nisi longitudo Altaris cogat aliquantulum illum progredi versùs medium, non tamen ad ipsum medium) incensat planitiem anteriorem, seu mensam in cornu Evangelii, ter ducens thuribulum, ut monstrant Num: 21. 22. & 23. His incensatis, nulla facta Altari reverentia, non procedit ad medium, sed in supradicto loco constitutus quasi retrocedendo ad cornu Evangelii, ubi manu aliquantulum demissa, incensat partem anteriorem Altaris, seu frontem illius, ter ducens thuribu-

lum recta lineá, à cornu Evangelii usq; ad medium Altaris, prout ostendunt Num: 24. 25. & 26. ad quod medium Altaris omnino tunc progreditur.

13. Constitutus Celebrans ad medium Altaris, debitam, ut supra, facit reventiam, & pariter triplici ductu incensat anteriorem Altaris tabulam à medio usq; ad cornu Epistolæ, prout demonstrant Num: 27. 28. & 29. Quo numero finito, & incensatione Altaris terminata, consistens Celebrans in cornu Epistolæ, reddit utraq; manu thuribulum Diacono, qui stans in 2. gradu illius lateris Epistolæ, supponit manum suam dexteræ Celebrantis, quam osculando prius in parte exteriori, capit thuribulum, prope vas dexterâ, & sinistrâ manubrium, illud etiam osculando. Tum descendit in planum, & Celebrantem in eodem loco junctis ante pectus manibus stantem, triplici ductu incensat, cum profunda inclinatione ante, & post, cui Celebrans nullatenus se inclinat. Incensato Celebrante, Diaconus thuribulum reddit Thuriferario, stanti à dextris ejus, paululum retro, qui postea Celebranti se reverenter inclinat, & hinc recedit. Quod si nimis angustus locus ab infimo gradu videatur, vel propter parietem proximè adhærentem, vel propter Stalla Chori intimè unita, tunc vel in eodem 2. gradu ubi recepit thuribulum, vel in infimo gradu Diaconus incensat Celebrantem; Si vero omnimodà angustiâ sit locus coarctatus, tunc Diaconus recepto thuribulo accedit ad planum, & constitutus ante medium Altaris, in eodem plano, incensat Celebrantem ad se conversum, quemadmodum fit sub tempus expositionis SS. Sacramenti.

14. Dum Altare initio Missæ incensatur à Celebrante, Ministri sacri stant hinc inde, Diaconus scilicet à dextris & Subdiaconus à sinistris. Planetæ illius posteriores partes circa humeros paululum elevantes, Diaconus videlicet sinistra, & Subdiaconus dexterà, altera infra pectus posita, & semper genuflectunt, licet Celebrans non genuflectat, etiam ante Crucem, tunc, quotiescunq; Celebrans debitam facere tenetur reverentiam pertranseundo. Advertant autem Ministri sacri, ut aliquantulum distent semoti à Celebrante. Ad oblata, tantum Diaconus à dextris Celebrantis Ministrat, quia Subdiaconus est tunc impeditus, eo quod teneat Patenam retro post Celebrantem; vel nisi aliter notetur.

15. Si in Altari quod incensatur sit SS. Sacramentum in Tabernaculo inclusum, debet servari omnino Regula à Gavanto præscripta, quod tunc Celebrans non inclinet Caput

Cru-

Cruci, quam incensare debet, sed accepto thuribulo à Diacono antequam incensationem incipiat genuflectit, ponens extremitates manuum super Altare, quod pariter facit incensata Cruce, & iterum incensatis Reliquiis à latere Evangelii, nec non transeundo à cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, & vicissim, similiter genuflectere debet. Neq; tamen præter genuflexionem facienda est aliqua Cruci reverentia inclinatione Capitis, quia talibus: *Bisso Lit: S. n. 20. §. 5. Benvenuti Pag. 15. Merati P. 2. tit: 4. Rubr: 6. n. 28. & alii* aut imperitiam, vel renitentiam Rubricæ Generali, & sui genii inventum novum, adscribunt. Tunc enim Celebrans sua genuflexione adorat quidem Sacramentum, licetsi in Ciborio occlusum, sed non thurificat, nisi crucem. *Adorat* (ut dicit Meratus supra citatus) *quod latet, & patet, Sacramentum scilicet & Crucem, & incensat id solum, quod manifestè patet, nempe Crucem.* Idem asserit Ramerius in Rit. Cœlestinorum L. 3. c. 2. *Sacerdos thurificans Altare, primo Crucem adolere debet incenso, ante, & post genuflectendo, quia quod non videt adorat, & quod vidit Thurificat.* Extra vero incensationem licet Celebrans transeat ante medium Altaris, ubi in Tabernaculo asservatur SS: Sacramentum, non tamen genuflectit, quia Rubrica tantum dicit de transitu sub tempus incensationis, nisi sit Venerabile expositum publicæ venerationi.

16. Si super Altari sint Reliquiæ inclusæ in Capsulis, vel Imagines majores Argenteæ, vel aliæ sculptæ inter Candelabra, distinctæ tamen ab iis, quæ aliquando in tabellulis depictæ; vel etiam circa Tabernaculum sculptæ sunt, & tunc incensata Cruce, & facta illi debitá reverentiá, antequam discedat è medio, incenset eas primò, quæ à dextris sunt Altaris, scilicet ad cornu Evangelii, incipiens semper ab eis, quæ sunt proximiores Cruci, vel Tabernaculò, deinde illas quæ sunt à sinistris Altaris, videlicet ad cornu Epistolæ, ut patet ex Fig: I. num: 4. 5. 6. & 7. Quando vero in Altari non sunt Reliquiæ, nec dictæ Imagines sculptæ, aut fusili opere factæ, & inter candelabra collocatæ, tunc incensata in medio Cruce, & facta ei debita reverentia, prosequitur Celebrans incensationem à Num: 8. omissis supra specificatis num: 4. 5. 6. & 7.

17. Tertia thuris impositio, & benedictio, quæ est ad Altare 2da, in Missa Solemni fit, antequam Diaconus dicat: *Munda Cor meum &c.* eodem modo prorsus, quo præcedens, sed tunc Thuriferarius semper retinet thuribulum, & cum eo accedit ad locum Evangelii, ubi tradit dictum thuribulum Diacono,

no, postquam dixerit: *Initium*, vel *Sequentia S. Evangelii secundum N.* Quo accepto, ipse Diaconus Librum Evangeliorum incensat triplici ductu, scilicet: in medio, a dextris, & à sinistris Libri, facta versùs eundem Librum ante, & post inclinatione. Finito Evangelio idem Diaconus stans ante medium Altaris, facta prius Altari genuflexione, accepto de manibus Thuriferarii thuribulo, Celebrantem stantem in cornu Epistolæ triplici ductu incensat, ut supra de Diacono dictum est, inclinans se ante, & post, & postea reddit thuribulum Thuriferario. Quarta incensi impositio, & benedictio, quæ est ad Altare 3tia, fit ad oblata, de qua seorsivè fit.


C A P U T III.
De incensatione Oblatorum.

1. LIcet hujus incensationis seriem perfectè exprimat Fig: II. tamen ad majorem, præsertim Neo-Mystarum intelligentiam, sequentia declarantur: Dicto à Celebrante: *Veni Sanctificator &c.* Diaconus cum Thuriferario ministrans Naviculam, & thuribulum, & ipse Celebrans incensum imponit ter dicens: *Per intercessionem &c.* ut in Ordinario Missæ, sic verba dispensans, ut cum pronuntiat verbum *Benedicere*, reddito priùs cochleari, tunc simul benedicat dextera sua incensum ardens in thuribulo, ac statim jungit ante pectus manus, & complet dictam precatiunculam. Tum accepto de manu Diaconi thuribulo, nulla prorsus facta reverentia, incensat Oblata, ducens ter thuribulum super Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis lineâ rectâ, etiam in transversam partem, non autem veluti 4. puncta designando. Postea demittens aliquantulum thuribulum, non tamen ita ut tangat Altare, sed ut summitas operculi, adæquet summitati Cuppæ ipsius Calicis, ducit illud ter circum Calicem, & Hostiam omnino, bis videlicet à manu dextra ad sinistram, & semel à sinistra ad dexteram.

2. Ut perfectiùs cognoscatur ordo Incensationis hujus, inspice benevole Lector Fig: II. & scito, quod Celebrans ducere debeat thuribulum elevatum supra Calicem, incipiendo à Tabella secretarum, usq; ad extremitatem anteriorem Corporalis penes se linea recta, ut videre est à Capite fasciæ designatæ per Num: 1. & ducendo hanc lineam rectam, dicit simul: *Incensum*, deinde ad formandam lineam transversam Cru-

cis,

¶ II. *Incensationis Oblatorum et permodum Crucis, et permodum Circuli*





cis, ducit thuribulum quaſi ab extremitate in cornu Evangelii, ad extremitatem in cornu Epiſtolæ Corporalis, ut ille ductus ſit veluti inter Hoſtiam, & Calicem, prout denotat faſcia ſub Num: 2. & ſic habebitur prima Crux, ſed dum ducit lineam tranſverſalem, ſimul dicit: *Iſtud.*

3. Iterato ducit thuribulum linea recta à Tabella ſecretarum, uſq; ad extremitatem anteriorem Corporalis prope ſe manentis, prout ſignatum eſt in faſcia Num: 3. & dum Celebrans producit hanc lineam rectam, dicit: *A te.* Tum ducit thuribulum per lineam tranſverſam Crucis, ut prius, ad formam faſciæ Num: 4. ſignatæ, & ſimul dicit: *Benedictum*, & jam formabitur altera Crux incenſationis.

4. Denuo ducit thuribulum pariter à Tabella ſecretarum, uſq; ad anteriorem partem Tabulæ Altaris, per lineam rectam, prout indicat faſcia Num: 5. dicendo ſimul: *Aſcendat*, & tum lineam tranſverſalem formando ductu ejuſdem thuribuli, ut ſupra, ab extremitate Corporalis in cornu Evangelii, ad extremitatem corporalis in cornu Epiſtolæ, dicit: *ad te Domine*, & ſic exprimetur tertia Crux. Hoc ſpecialiter notandum eſt, quia ad ſingulas prædictas Cruces debent omnino proferri verba prout adnotavimus, & prout in faſciis expoſitæ Fig: II. continetur. Crucis vero interſecatio, ſeu linea tranſverſalis fieri debet inter Calicis Pallam, & Hoſtiam ad perpendiculum.

5. Incenſatis permodum Crucis oblatis, Celebrans demittens manum, & pede thuribuli quaſi tangens menſam Altaris, cautè, & lente incipit incenſationem circa Oblata, ducendo thuribulum permodum circuli. Et primo quidem à ſua dextra manu faciendo circulum circa Hoſtiam, & Calicem ſimul, ducit ſcilicet Celebrans thuribulum à parte poſteriori Calicis, inter Calicem, & Tabellam ſecretarum, ad manum ſuam ſiniſtram, prout notatur in capite faſciæ circularis ſub num: 7. dicendo ſimul cum formatione circuli hæc verba: *Et deſcendat ſuper nos.* Peracto hoc primo circulo paululum Celebrans ſuſpendit motum thuribuli, ut ſic denotetur primus circulus.

6. Deinde Celebrans proſequitur ſecundum circulum incenſationis eorundem oblatorum, incipiendo pariter à manu ſua dextra, & ducendo ſimiliter thuribulum ab eadem dextera ſua inter Calicem, & Tabellam ſecretarum, uſq; ad manum ſuam ſiniſtram, prout indicat faſcia circularis ſub num: 8. proferendo interim hoc verbum: *Miſericordia.* Quo prolato, & circulo peracto, iterum ſuſpendit paululum motum thuribuli, ut adimpleatur ſecundus circulis incenſationis oblatorum.

7. Tertium deniq; circulum incensationis Celebrans facit, ducendo thuribulum non à dextera, sed à sinistra manu sua, eadem, ut supra, via, scilicet inter Calicem, & Tabellam secretarum, terminando circulum ad manum suam dexteram, prout expressius patet in fascia circulari sub num: 9. dicendo tantum hoc verbum: *Tua.* Et sic habebitur tertius circulus, ac pariter continuatio totius incensationis super Oblata. In quolibet ex his tribus circulis proferuntur verba à Celebrante, prout innuimus, & prout exprimuntur in qualibet fascia circulari huius Fig: II.

8. Hoc loco observandum superest, quod quamvis in delineata Fig: II. Cruces, & circuli super Oblata appareant inter se distantes, hoc factum est ex necessitate, quia in eadem fascia, & in eadem linea non poterant incidi verba dicenda in qualibet Cruce, & Circulo. Cæterum tres super Oblata Cruces fieri debent in eadem linea, tam recta, quam transversa, ac in eodem loco, situ, & modo. Pariter & tres Circuli super dicta Oblata in eadem linea, loco, situ, & modo formari debent. Diaconus vero sub tempus incensationis oblatorum, continuo pedem Calicis tenet manu dextra.

9. Finita incensatione Oblatorum, & facta debita Cruci, seu Tabernaculo reverentia, Celebrans incensabit Crucem, Reliquias, & Altare, ut supra initio Missæ, cujus normam & præcedenti Capite descripsimus, & Fig: I. numeris convenienter signata commode demonstrat, sub tempus cujus incensationis dicet Celebrans orationem, *Dirigatur Domine &c* ut in Ordinario Missæ. Quam Orationem sic distribuet, & ita recitabit, ut eodem tempore finiatur, quo dicta Altaris incensatio absolvetur. Sic autem ejus verba solent communiter distribui: Ad incensationem Crucis dicit: *Dirigatur Domine Oratio mea*, ad incensationem Altaris à latere Epistolæ: *Sicut incensum in conspectu tuo &c.* & à parte Evangelii: *Pone Domine custodiam &c.* Tum incipiendo incensationem totius frontis anterioris Altaris, dicit: *Ut non declinet &c.* Statimq; incensatione finita in cornu Epistolæ, reddet thuribulum Diacono dicens: *Accendat in nobis &c.* & ab eodem incensabitur triplici ductu, ut initio Missæ, & tunc Chorus, ac alii thurificabuntur, ordine eo, ut infra dicetur.

10. *Cærem: Monast: Congr: Mont: Serr: O. N. P.* 1. *dist:* 4. *c.* 4. *r.* 7. talem habet prædictorum verborum distributionem in thurificatione Altaris, applicando singula verba singulis Numeris Fig: 1. Itaq; 1. *Dirigatur.* 2. *Domine.* 3. *Oratio mea*, ad Num: 4. 5. 6. & 7. nulla proferendo verba, prosequi debet Celebrans.

8. *Si-*

8. *Sicut incensum.* 9. *In conspectu.* 10. *Tuo.* 11. *Elevatio.* 12. *Manuum.* 13. *Mearum.* 14. *Sacrificium.* 15. *Vespertinum.* 16. *Pone.* 17. *Domine.* 18. *Custodiam.* 19. *Ori.* 20. *Meo.* 21. *Et ostium.* 22. *Circumstantiæ.* 23 *Labiis meis.* 24. *Ut non declinet.* 25. *Cor meum.* 26. *In verba malitiæ.* 27. *Ad excusandas.* 28. *Excusationes.* 29. *In peccatis.* Et dum dimittit thuribulum in manus Diaconi dicit: *Accendat in nobis Dominus &c.*

11. In ipso actu Thurificationis Celebrans graviter, & cum decore se gerat, non se moveat, aut caput, dum ducit thuribulum, vel reducit, & sinistram manum tenentem summitatem catenularum prope manubrium firmiter tenet pectori adhærentem, dexteram vero manum, & brachium, commode, ac tractim cum thuribulo movebit, secundum formam præscriptam, ita, ut cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter, & competenti mora reducat. In super notandum est: quod hæc oratio: *Dirigatur Domine &c.* alio tempore non dicitur ad incensationem nisi in Missa, & hoc post incensationem oblatorum, in secunda scilicet Altaris incensatione, & nusquam alias.

CAPUT IV.

De thurificatione exposito in Altari SS. Sacramento.

1. SAnctissimum Sacramentum publicè in Altari expositum, variis modis incensari solet, etenim aliquando simul cum Altari, aliquando ipsummet SS. Sacramentum solum incensatur, & nihil aliud. Thurificatur cum Altari simul, quoties Missa, aut Vesperæ, vel Laudes celebrantur Solemniter ad Altare, in quo est expositum. Thurificatur solum, cum in Missa solemni elevatur, cum exponitur, vel reconditur, aut deferri debet Processionaliter. Quando ergo Altare simul cum SS. Sacramento incensatur, Celebrans benedicit semper incensum de more, at quando solum tantum incensatur, non benedicitur incensum, sed solum in thuribulo simpliciter imponitur. Utrobiq; vero abstinendum est ab osculis tum cochlearis, & thuribuli, tum manus Celebrantis.

2. In Missa Solemni, in qua patet expositum SS. Sacramentum, thurificatur illud ante Introitum, & post Oblatorum incensationem. Ante Introitum quidem Celebrans, post osculum Altaris, stans semper, & aliquantulum ad cornu Evangelii re-

cedens, non verò in medio (quod semper facit in hujusmodi impositione thuris) quasi convertens faciem suam ad cornu Epistolæ, benedicit de more incensum, quia simul & Altare est incensaturus. Quo benedicto, sine ulla genuflexione descendit ad 2. gradum Altaris, cavens, ne eidem terga vertat; ubi in suppedaneo genuflexus accipit Thuribulum, & SS. Sacramentum devotè, ac graviter; triplici ductu, interposita inter quemlibet ductum brevi morula, thurificat, loco Crucis, quæ abesse debet, dum SS. Sacramentum est expositum, ex praxi Urbis, facta semper profunda inclinatione ante, & post. Interim Diaconus, & Subdiaconus manent hinc inde genuflexi, omnesq; circumstantes ad Altare tunc genuflectere debent. Celebrans postea surgens, accedensq; propiùs ad Altare, facta genuflexione nova, incensat Altare, ut supra,

3. Dixi: *facta genuflexione nova incensat Altare*; ubi sponte omittendam censeo incensationem Reliquiarum, vel Imaginum; cum enim juxta dispositiones S. R. C. recenter editas, nec Reliquiæ, nec Imagines adesse debeant in Altari, quando SS. Sacramentum est expositum, ideo Altare tantum incensandum est, & non Reliquiæ. Inchoanda ergo est incensatio à Num: 8. & prosequenda per subsequentes, Num: vero 4. 5. 6. & 7. tunc intermitti debent, quasi non adessent dictæ Reliquiæ. De iis enim disposuit sic S. R. C. *Sanctorum Reliquiæ non sunt Collocandæ super Altare, in quo re ipsa SS. Sacramentum publicæ venerationi est expositum.* 2. Septembris 1741.

4. Completa incensatione Altaris, & reddito in manus Diaconi thuribulo, descendit Celebrans in planum extra gradus à latere Epistolæ, cavens, ne aliquomodo renes vertat SS. Sacramento, ibiq; stans in plano versa facie ad populum, incensatur à Diacono, stante ante illum, & ad populum terga vertente. Ideo cum Celebrans est extra gradus, convertit se ad populum, ita, ut faciem convertat prius ad cornu Evangelii, quasi circulum faciendo. Si vero angustia loci fuerit, & à lateribus graduum Altaris, aut nullum, aut exiguum sit spatium, sufficit, ut saltem de suppedaneo Altaris Celebrans descendat, & sic conversus incensetur à Diacono. Ad Evangelium Celebrans eodem modo ponit incensum, & benedicit, eoq; finito incensatur in eo loco, in quo stabat ad Evangelium, dum canebatur à Diacono, & jam non descendit in planum.

5. Ad Oblata SS. Sacramentum hoc modo thurificatur: Celebrans stat, ut supra, recedens parum ad cornu Evangelii, benedicit incensum de more, tum accepto de manu Diaconi thuri-

thuribulo, nulla facta genuflexione, aut inclinatione, convertit se ad Altare, incensat Oblata, ut supra cap: præc: qua finita genuflectens surgit, descendit ad 2. gradum Altaris, ibiq; super suppedaneum genuflexus, SS. Sacramentum incensat dicens: *Dirigatur Domine oratio mea*, profundam facit inclinationem ante, & post: omnibus tunc ministris, & aliis circumstantibus pariter genuflexis, excepto Subdiacono stante in plano, post Celebrantem cum Patena. Et celebrans surgit postea accedit ad Altare, genuflectit, surgit, & incensat Altare more solito ut supra, non tamen Reliquias; Incensato Altari, & reddito Diacono thuribulo, descendit in planum, ut initio Missæ, ibiq; thurificatur.

6. In Vesperis Solemnibus, quando est expositum SS. Sacramentum, hoc ritu thurificatur: Ad *Magnificat* cum pervenerit Celebrans ad Altare, genuflectit utroq; genu in infimo gradu, cum inclinatione capitis profunda, tum erigit se, ascendit ad Altare, illud osculatur, & denuò genuflectens unico genu, ac postea surgens, retrahit se aliquantulum ad cornu Evangelii, & convertit faciem suam ad cornu Epistolæ, sic stans, ministrante Diacono cochlear, & Naviculam, & Thuriferario thuribulum, imponit, & benedicit thus de more. His peractis sine nova genuflexione descendit ad 2. Altaris gradum, & in ora suppedanei genuflexus, accipit thuribulum à Diacono, incensat SS. Sacramentum triplici ductu, ut initio Missæ dictum, cum profunda inclinatione ante, & post; Ministris sacris fimbrias anteriores Pluvialis hinc, inde elevantibus, pariterq; omnibus circumstantibus genuflexis, exceptis in Choro permanentibus.

7. Incensato SS. Sacramento Celebrans surgit, ascendit ad Altare, quod, facta prius genuflexione incensat, & quotiescunq; medium pertransit, semper genuflectit. Finita Incensatione Altaris, ac reddito thuribulo in manus Diaconi ad cornu Epistolæ, redit ad medium Altaris, ubi genuflectit, deinde surgit, & declinans parumper ad latus Evangelii, ne renes vertat SS. Sacramento, descendit quasi lateraliter in planum, ubi in infimo gradu facta genuflexione utroq; genu, ordine quo venerat, redit in Chorum ad sedem suam, ibiq; à Ministro Primo, seu Diacono incensatur. Quod spectat ad alias thurificationes SS. Sacramenti, utpote in expositione, asservatione, & delatione Processionali nihil hoc loco innuimus, quia satis infra Cap: 8. acturi sumus.

CAPUT V.

De thurificatione in Vesperis, & Laudibus, ac aliis Incensationibus.

1. QUando solemniter Vesperæ celebrantur, semel tantum adhibetur incensum, scilicet ad Canticum *Magnificat.* Quo inchoato Celebrans cum assistentibus suis procedit de sede sua ad Altare, ubi factis debitis reverentiis, ascendit ad Altare, & osculatur illud in medio, in quo loco conversus ad Diaconum, seu primum Assistentem ministrantem Naviculam, imponit, & benedicit incensum, & Altare thurificat, ut initio Missæ. Et tunc duo Assistentes Pluvialibus induti, hinc, inde elevant fimbrias anteriores Pluvialis. Assistens 2dus dum Celebrans imponit incensum stans in loco suo, elevat Pluviale Celebrantis à parte dextra illius. Si in Altari majori non sit Tabernaculum cum SS. Sacramento, sed tantum sola Crux Ministri assistentes in accessu, & recessu genuflectere debent, licet Celebrans non genuflectat, in ipsa vero incensatione dum transeunt ante medium Altaris, profunde se tantum inclinant. Si autem sit Tabernaculum, in quo inclusum est SS. Sacramentum, omnes etiam sub incensatione transeuntes medium genuflectere tenentur. *Ex Cærem: Episc: L. 2. c. 2.*

2. Finita incensatione Altaris, primus Assistens recipit Thuribulum in cornu Epistolæ, & mox illud reddit Thuriferario, tum redeunt ad medium Altaris, à quo, facta debita reverentia, descendunt in planum, ibiq; facta denuò debita reverentia revertuntur ad sedem suam: Ubi Celebrans, primus omnium, etiamsi esset præsens D. Abbas, vel Episcopus, aut etiam Cardinalis, incensatur à primo Assistente. Post Celebrantem incensatur Prælatus, si adest, postea Chorus, & ministri, ut infra dicetur.

3. In eo casu, quo non ministrant assistentes in Pluvialibus, Thuriferarius, Celebrante veniente ad Altare, sinistra sustentans annulum majorem thuribuli, & eadem manu inter indicem, & pollicem Naviculam per pedis extremitatem tenet apertam, dextera vero minorem annulum operculi elevans, eademq; manu catenulas inter operculum, & vas thuribuli complectens, inclinansq; caput dicit: *Benedicite Pater Reverende.* Imposito, & benedicto incenso, ut supra, demittit operculum, porrigit

rigit Celebranti Thuribulum cum osculo, & solitis inclinationibus, elevans fimbriam dextram Pluvialis Celebrantis, & genuflectens in transitu ante medium Altaris. In tali casu Thuriferarius ad ponendum incensum non porrigit cochlear, sed Celebrans ipse, illud accipit ex navicula aperta, quam Thuriferarius tenet manu sinistra per pedem ejus.

4. Ubi vero Thuriferarius, cum Naviculario, seu Cæremoniario inservire potest (quod magis conveniret in defectu assistentium) tunc Navicularius, seu Cæremoniarius sumpta Navicula, porrigit cochlear cum debitis osculis Celebranti, quasi primus Assistens. Ambo itaq; cum Thuriferario, velut assistentes, elevant Pluviale ad incensationem, semperq; genuflectunt, quoties transeunt ante medium Altaris.

5. Si Tabernaculum SS. Sacramenti non est in majori Altari, sed à latere, tunc Celebrans cum assistentibus, ad illam Capellam, ubi est dictum Tabernaculum, è sede sua directè procedit, illudq; prius incensat, ante aliud quodcunq; ob reverentiam SS. Sacramenti ex praxi Urbis, ita declarant: *Gavant. de Cær: Hor: Can: c. 3. n. 18. & P. Merati To. 2. Sect: 10. c. 3. n. 15.* In qua Capella Altare thurificatur eo modo, quo supra, ac ibi imponitur, ac benedicitur incensum. Quo Altari thurificato, procedit Celebrans cum Ministris directa via ad majus Altare, illudq; etiam incensat de more. Exposito verò SS. Sacramento in Altari majori, Celebrans cum Ministris iam non ascendit ad Altare Tabernaculi, seu Ciborii, sed solum dictum Altare majus incensat, & nullum amplius, juxta Decr: S. R. C. 7. *Maii* 1746.

6. Si insignis Reliquia, aut celebris Imago, vel etiam particula veræ Crucis incensanda sit in alio Altari, quod tamen raro fieri debet, Celebrans procedat ad illum locum, ubi sumpto thuribulo, triplici ductu incensat stans, profundè se ante, & post inclinans, assistentibus hinc inde Pluviale ejus sublevantibus. Nec etiam particulam veræ Crucis incensat Celebrans genuflexus, sed omnino stans, juxta Decr: S. R. C. 15. *Septembris.* 1736.

7. Præterea si aliud Altare incensandum sit, ut in die festo alicujus Sancti, cui illud Altare dedicatum est, quod pariter raro fieri debet, tunc Celebrans facta incensatione majoris Altaris, & reddito thuribulo, factaq; debita reverentia, cum Ministris procedit ad illud, eo ordine, quo, ad primum, ibiq; facta ab omnibus debita reverentia, sed à Ceroferariis Thuriferario semper genuflexione, Celebrans ascen-

dit

dit ad Altare, osculatur illud, ac incensat sicut primum, non tamen ibi thus imponit, vel benedicit, nisi necessitas cogat; Finita incensatione, eo, quo supra, ordine, omnes recedunt ad Chorum. At mos iste non est facile instituendus, quemadmodum declarant: *P. Bauldry P. 2. c. 9. a. 4. n. 4. Gavant: & Merati loco supra citato.*

8. Si ergo cavent Rubricistæ ne facile mos instituatur incensandi plura Altaria, quid dicendum de iis Ecclesiis, ubi ad Canticum *Magnificat* præter maius Altare, non tantum Tabernaculum SS. Sacramenti, non tantum Altare illius Sancti cujus festivitas Celebratur, verum etiam omnia Ecclesiæ Altaria, etiam minima incensari solent? non dicam usum, sed magis abusum, & corruptelam: quia & in Divino Officio distractionem, & Celebranti incommodum, ac ministris perturbationem, talis Cæremonia, & per Ecclesiam deambulatio causare solet, maxime ubi multa sunt Altaria. Qui mos in Congregatione nostra pati nullomodo potest, præsertim, quia incensatio Altarium, Celebrantis, ac Chori ita moderari debet, secundum sensum omnium Rubricistarum, ut ad ℣. *Gloria Patri. Cantici Magnificat,* jam debeat terminari. Si vero necdum fuerit finita, cessandum est à dicta thurificatione; unde cogeretur Celebrans, necdum medietatem Altarium incensans, omnino reverti de medio Ecclesiæ, & sine incensatione sui, ac Chori terminare Officium Divinum, quod sane & magnam pareret confusionem, & expresse contra mentem Rubricæ fieret. De cætero, si quis intendit hunc abusum defendere, quærat prius modum incensationis breviorem, eo, qui Fig: I. expressus est, ad minora Altaria incensanda, hic enim nullibi est præscriptus. Iam vero secundum ordinarium modum in Fig: I. expressum, ubi multa sunt Altaria, hora integra vix forsan sufficeret, si modestè, & cum gravitate, quemadmodum decet, omnia illa Altaria incensarentur. Ex his quæ sequantur incommoda, qualis in Officio Divino distractio, quam inconveniens ab Altari ad Altare, etiam in tumultu populi divagatio, ponderet unusquisq; ut à superfluitate harum Cæremoniarum, abstineat.

9. Dum Laudes in Choro canuntur Solemniter, ob rationem alicuius Festivitatis, tunc ad Cant. *Benedictus* &c: pari modo fieri debet incensatio Altaris, Celebrantis, & Chori, quemadmodum dictum est in Vesperis ad Cant. *Magnificat.*

10. In Vesperis, aut Laudibus Officii Defunctorum nunquam adhibetur incensum, nec in Missa, nisi ad Oblata, & tunc

tunc Altare, Celebrans, & D. Abbas (si aderit) thurificantur, non tamen Ministri, aut Chorus. Ita declarat *Cærem: Episc: L. 2. c. 12.* Item adhibetur thus ad Elevationem, ubi SS. Sacramentum incensatur à Subdiacono ad cornu Epistolæ genuflexo. Insuper ad absolutionem, & exequias adhibetur etiam incensum, & dum ministratur ad imponendum, à Celebrante modo ordinario benedicitur.

Decreta S. R. Congr:

1. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod, inter Vesperarum Divina, peculiari custoditur sacello, thurificari debet. S. R. C. 5. *Septembris.* 1648. *in Beneventana.*

2. Reliquia Sanctissimæ Crucis non est incensanda à Celebrante genuflexo. S. R. C. 15. *Septembris.* 1736. *in Brixien.*

3. Dum incensatur Altare, in quo est expositum publicæ adorationi Venerabile Sacramentum, non debet, post illud incensatum, Crux quoq; incensari. S. R. C. 29. *Novembris.* 1738. *in una Carthagen. Hisp:*

4. Exposito SS. Sacramento in Altari maiori, dum sub *Magnificat* in Vesperis idem Altare majus incensatur, an debeant etiam alia Altaria incensari, ex eo, quod incongruum esse videtur relinquere in Altari expositum Sacramentum. Et utrum thurificato Altari majori ubi est expositum Sanctissimum, debeat etiam fieri thurificatio illius Altaris, in quo est reconditum Sanctissimum in Ciborio? Responsum fuit: Non esse thure adolenda alia Altaria, licet alibi Sanctissimum Sacramentum asservetur. S. R. C. 7. *Maii.* 1746. *in Varsav.*

5. Quando Missa canitur sine Ministris, (*intellige Sacris*) non debent thurificari neq; Altare neque Chorus. S. R, C. 19. *Augusti.* 1651. *in una Urbis.*

6. In Missa Conventuali dierum Solemnium, quæ absq; cantu, & Ministris celebratur, non est facienda thurificatio. S. R. C. 22. *Junii* 1701. *in una Camald. Mont. Cor.*

7. Servari debere Cæremoniam thurificandi SS. Sacramentum, inclusum in Pixide, cum defertur pro Viatico infirmis, & cum ipso benedicendum esse populum, declaravit. S. R. C. 21. *Junii* 1738. *in Ulixibon. Orientali.*



CAPUT. VI.

De incensatione Personarum.

1. QUicunq; ille sit, qui incensatur, & licet dignior thurificante; tamen humanitatis gratia, capitis inclinatione, ante, & post facienda, salutare tenetur; sed D. Abbas, cum thurificatur, nullatenus versus thurificantem caput inclinat, sub tempus tamen Celebrationis in Pontificalibus, & dum est paratus in Choro, scilicet Rochetto, & Mozzetta indutus, thurificantem manu dextra benedicit, nihil dicens. Sed ut Celebrans, dum à Diacono, sive ab assistente primo thurificatur, tantillum eidem caput inclinet, quasi nutu quodam, omnino convenit.

2. Nullus incensetur, nisi stans, & si aliquis sedeat, aut genuflectat, modestè priùs moneatur, ut surgat ad incensationem capiendam, quod si facere noluerit, incensari non debet. Nullus præterea patiatur, ut vel sedens, vel stans à genuflexo incensetur, nisi summus Pontifex, singuli autem incensari debent à stante thurificante, versus thurificandum facie ad faciem, ita *Cærem: Episc: L. 1. c. 23.* Qui thurificans attendere debet, ut ad incensationem D. Abbatis in Choro existentis, ante, & post profundam faciat reverentiam, pariter P. Priori distinctam mediocrem, cæteris verò Patribus in choro existentibus unici, ad quamlibet partem, & mediocri Capitis inclinatione, faciet salutationem, à quibus pariter capitis inclinatione resalutabitur, à Fratribus verò profunda inclinatione venerabitur.

3. Quod attinet ad numerum incensationum, advertere debet thurificator, ut dictum Numerum thurificationum observet pro qualitate rerum, & personarum quæ incensantur. Nam SS. Sacramentum, sive in Ostensorio, sive in pixide, Crux Altaris, particula veræ Crucis, insignis aliqua Reliquia Sancti, Cardinalis, Episcopus, Rmus Præsidens, D. Abbas, licet non celebrent, si tamen parati, scilicet Rochetto, & Mozzetta induti, adsint in Choro, semper triplici ductu thurificantur. Præsente tamen Cardinali, vel Episcopo Diœcesano, & D. Abbate in Choro, hic duplici tantum ductu, & posteriùs, ille autem triplici ductu incensari debet, & quidem priùs.

4. Celebrans ſemper triplici ductu incenſandus eſt, ſi nullus ſit eo major, cui triplex ductus debeatur, ob ejus dignitatem Eccleſiaſticam, majore verò præſente, ſemper duplici ductu thurificari debet, licet æquales comprofeſſi ejus in Choro, unico tantum ductu incenſentur. Unde præſente D. Abbate in Choro, vel alio digniori, Celebrans bino ductu, ſicut & P. Prior in Choro incenſari debet, cæteri Patres in Choro exiſtentes, ſinguli unico ductu, & reliqui Fratres, necdum in gradu Sacerdotii exiſtentes, ac in Choro præſentes, ſine mora, ſcilicet, uno ductu ad unam, & iterum uno ad aliam Chori partem, quaſi per circulum, thurificandi ſunt. Sic circa prædicta declarat. *Gavant. P. 2. tit. 7. n. 10.* Preſbyter aſſiſtens, ſeu Archidiaconus, item Diaconus, & Subdiaconus bino ductu; Diaconi verò aſſiſtentes, quia non ſunt de gremio ſeniorum communiter, ſicut & cæteri Miniſtri inferiores, licet ſint de ordine Clericali, ſive neq; de eo, tamen quia ſunt in miniſterio Altaris, ſinguli ſingulis ductibus incenſari debent.

5. Ordo incenſationis Perſonarum ſive in Veſperis, ſive in Miſſa, talis ſervari debet; Celebrante D. Abbate, poſtquam Altare incenſatum fuerit, imprimis thurificatur ipſe D. Abbas in ſede, vel ad Altare, poſt quem immediatè Archidiaconus, niſi adſit Rmus Præſidens Congregationis, quia tunc ipſe priùs, & poſtea Preſbyter Aſſiſtens, tum P. Prior, poſt quem Preſbyteri in Choro, prius ex ea parte, ubi eſt Chorus, deinde ex ea, ubi eſt pauſa; Poſtea Fratres in Choro ex utraq; parte, quaſi per circulum, & facta Choro debita Salutatione revertitur ad Altare, vel ad ſedem Thurificator, qui ordinarie in Miſſis eſt Diaconus, juxta Decr: S. R. C. & in Veſperis primus Aſſiſtens.

6. Reverſus à Choro Thurificator incenſat Subdiaconum, ſeu ſecundum aſſiſtentem, poſtea Diaconos aſſiſtentes. Thuriferarius recepto thuribulo incenſat 1. Diaconum, 2. Ceroferarios, 3. Cæremoniarium, ad ultimum reliquos Miniſtros Pontificalium. Non celebrante D. Abbate, ſed in Choro tantum præſente, parato, Celebrans ſemper imprimis incenſari debet, qualiſcunq; ille ſit, etiam noviſſimus Præſbyter, etiam in præſentia Cardinalis, vel Epiſcopi; Deinde D. Abbas, poſtea P. Prior, tum Chorus, deniq; Altaris miniſtri. Ubi notandum eſt, quod in nonnullis Eccleſiis abuſus ille tolli debeat, ubi ad *Magnificat* Celebrans thurificato Altari, ipſe incenſat D. Abbatem, & Chorum, omnino

omnino contra Cæremoniale, atq; contra totam Rubricam, speciatim contra Decr: S. R. C. 15. *Martii* 1608.

7. Quotiescunq; incensatur Altare, toties & Celebrans incensari debet, insuper post decantatum à Diacono Evangelium, licet D. Abbati deferatur Liber ad osculandum, Celebrans tamen solus tunc incensari debet, ex Decr: S. R. C. 4. *Augusti* 1663. D. Abbas si sit in Choro non paratus, semel tantum in Missa incensari debet, scilicet post Oblata; si verò sit indutus Rochetto & Mozzetta, tunc & incensum semper benedicit, & thurificatur initio Missæ ante Introitum, & post oblata. In Vesperis ad *Magnificat*, in Laudibus ad *Benedictus*. Chorus cum P. Priore incensatur tantum post Oblata in Missa, in Vesperis ad *Magnificat*, & in Laudibus ad *Benedictus*. Pariter & Ministri Altaris his tantum tribus vicibus incensari solent.

8. Ut planiùs pateat ordo incensationis, nota: Ad Missam post Offertorium, incensatis oblatis & Altari à Celebrante, Diaconus stans in cornu Epistolæ recipit thuribulum à Celebrante, cum osculis manûs, & thuribuli, & dicto à Celebrante: *Accendat in nobis* &c: respondet *Amen*, eumq; incensat ut initio Missæ; quo incensato in cornu Epistolæ, comite à sinistris Thuriferario, Diaconus procedit in Chorum, facta priùs genuflexione, quasi ante medium Altaris, à dextris scilicet Subdiaconi, una cum socio suo, qui Naviculam ante pectus retinet, ut ponat thus in thuribulo, si fumus deficiat, ita declarat *Jacob: c.* 20. Cæremoniarius interim remanere debet ad sinistram Celebrantis, ut ei vertat folia ad finem præfationis. Et cum accesserint ad Chorum, surgentibus omnibus qui in eo sunt, adhuc, quasi in via, capitis inclinatione ad utramq; partem facta, salutant eum. Tum consistentes in medio, propiùs ei extremitati, ubi Seniores considere solent, versa facie ad Altare, si remotior sit sedes D. Abbatis, & ipse præsens sit in Choro, facta ei profunda ante & post reverentia eum triplici incensat ductu. Si vero sedes D. Abbatis sit propior Altari, tunc Diaconus cum Thuriferario, priusquam progrediantur ad Chorum, accedunt propius ad sedem, & debita reverentia incensant eum.

9. Incensato D. Abbate, convertit Diaconus faciem ad locum P. Prioris Monasterii, quem (si aderit) bino ductu incensabit mediocri reverentia ante, & post non intermissa. Deinde inclinans caput ad eam partem, ubi Chorus inscriptus est, Singulos Sacerdotes, singulis ductibus, & Religiosos

Fra-

Fratres omnes unico ductu, quasi per circulum thurificat. Postea conversus ad eam Chori partem, ubi pausa est, & ibi facta inclinatione, pariter singulos Presbyteros singulis ductibus, & Fratres Clericos, sive Choristas unico ductu incensat. Thuriferario interim immobiliter sinistro ejus lateri adhærente, quasi post eum.

10. Incensato Choro, ac salutato ad utramq; partem capitis inclinatione, comite Thuriferario Diaconus cum omni gravitate revertitur ad Altare: ubi facta, ut supra, genuflexione à dextris Subdiaconi, retrocedens parum ad partem Epistolæ, Subdiaconum ad se conversum, & quasi parum ad latus Evangelii recedentem, (qui paululum tunc demittit patenam) bino ductu incensat, cum mutuis inclinationibus ante, & post, ac statim reddit thuribulum ministro de eo, stanti à dextris suis, ipseq; ascendit ad 2. Altaris gradum, ubi genuflectit, & parum recedens ad cornu Evangelii in eodem 2. gradu, convertit se ad Thurificantem, faciem quasi ad Cornu Epistolæ vertendo: & sic incensatur bino ductu à Thuriferario stante in eo loco, ubi ille prius Subdiaconum thurificabat, non intermissis mutuis inclinationibus. His peractis, Thuriferarius accedit ad medium plani post Subdiaconum, ubi conversos ad se, quasi lateraliter, Ceroferarios, ne terga vertant Altari, sine ulla capitis inclinatione, quemq; unico incensat ductu, illis tamen se omnino inclinantibus. Pariter Cæremoniarium prope Subdiaconum consistentem, & ad se aliquomodo conversum thurificat unico ductu. Ad ultimum facta genuflexione Thuriferarius, revertitur in Sacristiam, reponitq; thuribulum.

11. In Vesperis pariter fit incensatio, & eodem ordine à primo Assistente, quo à Diacono peragendam præscripsimus, Num: præc: nisi quod Cæremoniarius comes ei adjungi debet, & non Thuriferarius, qui cum Navicula, & ad latus sinistrum assistere debet. Hoc tam Thurificator advertat: quod, si audierit à Choro decantari ℣. *Gloria Patri* sub tempus incensationis, cessare ab illa, & in eodem loco caput inclinare debet, usq; ad illa verba: *& Spiritui Sancto.* Tum erectus continuet dictam incensationem, sed iam aliquomodo velociùs, ut ante *Kyrie eleison*, totam peragat, alioquin, non finita etiam, redeat ad Celebrantem. Et licet fuerit in Altari expositum publicè SS. Sacramentum, tamen dicta incensatio personarum, & totius Chori, non est omittenda, ex mente Rubricæ generalis. Similiter D. Abbate celebrante

Pontificaliter tam Missam, quam Vesperas, facienda est, & nunquam intermittenda prædicta thurificatio Chori, & Ministrorum, eo quo supra diximus, ordine.

12. Quæcunq; hic dicta sunt de incensatione ad Vesperas, pariter eadem servanda sunt in Laudibus solemniter peragendis, ad Canticum: *Benedictus* &c: Non tamen ad Canticum Completorii *Nunc dimittis* &c: Sabbato Sancto, quia ad hoc Canticum nulla unquam fieri debet incensatio, ex mente Decr: S R. C. Si ergo non potest fieri thurificatio Altaris, multomagis nec personarum. Cætera, de incensatione, pluribus in locis, hujus opusculi, dispersa, instruent curiosum lectorem in eadem peragenda.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Assistens Presbyter debet Episcopum thurificare ad sedem, quicunq; ille sit, non vero Diaconus Evangelii. S. R. C. 19. *Maii* 1607. *in Placentina.*

2. Diaconus Evangelii debet thurificare Chorum, nec ab eo munere excusatur sub prætextu contrariæ consvetudinis. S. R. C. 15. *Martii* 1608. *in Alexandrina.*

3. Absente Episcopo thurificandus est Celebrans triplici ductu thuribuli. S. R. C. 30. *Januarii* 1616. *in Comen: Valluviæ.*

4. In personarum incensatione, tota thurificatio facienda est, cum unico Thuribulo. S. R. C. 21. *Julii* 1618. *in Lucerina.*

5. Missa quando canitur sine Ministris, non debet thurificari neq; Altare, neq; Chorus. S R. C, 19. *Augusti* 1651. *in una Urbis,* & 22. *Januarii* 1701. *in una Camald: Mont: Coronæ.*

6. Quando Episcopus assistit cum cappa Missæ Solemni, thurificandus est Celebrans finito Evangelio, non vero Episcopus, quia non est paratus Pluviali. S. R. C. 4. *Augusti* 1663. *in una Dalmatiarum.*

CAPUT VII.
De Ordine dandi Pacem.

1. LIcet in Congregatione nostra, sub Missæ Solemnis celebratione, ordo dandi Pacem, vix sit usitatus, quia tamen communis Ecclesiæ consvetudo nos docet, Regulæ

Ru-

Rubri nobis inculcant, ipsumq; Missale tam Romanum, quam Monasticum nos instruit, ut certis temporibus detur Pax tam ministris ad Altare, quam Prælato, quamq; omnibus in Choro præsentibus. Ut autem perfecta sit scientia in omnibus, quomodo Pax detur, aut quomodo recipiatur, multa jam præmisimus de ea in Missis Solemnibus, neq; tamen hic præterire silentio fas est, ubi omnimoda sperari debet informatio.

2. Deberet quidem dari Pax per osculum, ut innuit *Cærem: Episc: P.* 1. *c.* 24, *Castald: L.* 2. *sect* 1. *c.* 3. *n.* 6. *Merati P.* 2. *tit:* 10. *n.* 45. *Braulion P.* 2. *c.* 8. *n.* 10. *Bauldry P.* 2. *c.* 10. *a.* 1. & alii communiter, quia tamen in Regno nostro vix jam est in usu, quinimo in pluribus insignioribus Ecclesiis tantum per instrumentum tribuitur, ideoq; ne, multorum discrepantium genii, nobis, novitatis inducendæ inurant notam, illud, quod ab Apostolis acceptum, & ab Innocentio I. Sum: Pont: Anno 410. institutum, & ad hæc usque tempora per universam propagatum Ecclesiam, per instrumentum tantum dari signum Pacis, non denegamus, fundari in *Manuali Cæremoniarum PP. Congreg: Missionis, Culmæ* impresso, cujus dandæ, pacis, sive per osculum, sive per instrumentum describitur Ordo.

3. In Missa Solemni, dicto *Agnus Dei &c.* à Celebrante, & Ministris, Diaconus statim, ad initium primæ Orationis: *Domine JESU Christe, qui dixisti &c.* genuflectit ad dexteram Celebrantis, qua dicta surgit, osculatur simul cum Celebrante Altare, extra tamen Corporale, manibus junctis, & non supra Altare positis. Et (si per instrumentum danda est pax) sumens de Altari instrumentum pacis, porrigit illud Celebranti ad osculandum, qui propriis manibus, seu reliquis digitis, præter indices, & pollices junctos, tenens, & ipse osculatur, & Diacono pariter ad osculum porrigit, retinetq; manibus suis, ac dicit: *Pax tecum*, & tunc dimittit in manibus Diaconi dictum Instrumentum pacis. Diaconus osculato eo, respondet: *Et cum Spiritu tuo.* Et statim conversus per latus suum sinistrum versus Subdiaconum, stantem in 2, gradu, post Celebrantem. porrigit eidem osculandum, dicendo pariter: *Pax tecum.* Subdiaconus autem facto osculo instrumenti pacis, respondet: *Et cum Spiritu tuo*, recipitq; in manus suas dictum instrumentum, quod tradit deportandum Cæremoniario, vel in defectu ejus, Thuriferario, proceditq; cum eo ad Chorum.

4. Cæremoniarius, non portat Instrumentum pacis ante se, sed ponit super manum sinistram, dexterà tenens per manubrium, una cum velo parvo de Calice, coloris paramentorum,

quo

quo etiam abstergi debet, ipseq; ad sinistram procedit Subdiaconi, parum retro procedendo. Venientes ad Chorum, in medio facient reverentiam, ad utramq; Chori partem, non tamen personalem. Accedunt ergo ad locum P. Prioris, (si in Choro est) & sumptum de manu Cæremoniarii instrumentum pacis, ac velo extersum, absq; ulla reverentia porrigit manibus suis Subdiaconus ad osculum dicendo: *Pax tecum*, cui ille respondere tenetur: *Et cum Spiritu tuo*, eiq; se inclinare ante, & post. Subdiaconus vero tantum post datam pacem, nunquam vero ante.

5. **Data Pace P. Priori, tradit instrumentum pacis in manus ejus,** ut unus alteri, consequenter in ea parte Chori, tribuat Presbyter Presbytero, & tunc Subdiaconus subsistit in priori loco, donec ultimus ejusdem partis Sacerdos dictam receperit pacem, a quo Instrumentum pacis recipiet Cæremoniarius; procedetq; cum Subdiacono ad alteram Chori partem, genuflectentes in medio, ubi eadem disciplina dictus Subdiaconus, tribuit ei ad osculum instrumentum pacis, qui est in primo loco, alterius partis Chori. In absentia P. Prioris, primo accedit ad eam Chori partem ubi Chorus est, deinde ad eam, ubi pausa est. Hoc tamen observandum est, quia pax non aliter tribui debet, quam stanti, & neq; sedenti, aut genuflectenti; ideoq; omnino in talibus uniformitas servanda est.

6. Data Patribus in Choro existentibus pace, Subdiaconus, cum Cæremoniario, facta in medio ad utramq; Chori partem salutatione, procedunt propius ad Altare, ubi Fratres, qui ad Communionem accedere debent, propiùs congregati in duabus lineis, accipient à Subdiacono, quilibet seorsivè pacem, & in eodem loco genuflectent. Si vero ea die non communicabunt Fratres, postquam ultimus Presbyter in una Chori parte acceperit pacem, Cæremoniarius recepto instrumento, porriget illud Subdiacono, & hic denuo tribuet proximiori ex Fratribus, ut unus alteri, eodem, quo supra, modo, & ordine tribuat, & ne frustranea fiat per divagationem perturbatio; tum in altera Chori parte, recepta ultimus Sacerdos pace, reddet instrumentum Cæremoniario, & Cæremoniarius Subdiacono, ut ipse in hac altera Chori parte tribuat Seniori ex Fratribus, ut supra notatum est.

7. **Sic data in Choro pace, ac Salutato Choro, in medio,** ab utraq; parte, Subdiaconus procedit ad Altare una cum Cæremoniario, ubi genuflectit, & accepto instrumento, dat comiti suo pacem, modo supra exarato, hic verò Cæremoniarius tribuit

buit eam Acolythis circumſtantibus, & miniſtrantibus Miſſæ pari diſciplina, qua ipſe accepit. Subdiaconus ſtatim redit ad dexteram Celebrantis, ubi facta genuflexione ad finem miniſtrat. Hoc tantum ſpecialiter obſervandum venit, quod ordo dandi pacem idem eſt, ac ordo incenſationis, ideoq; Subdiaconus illis tantum tribuit pacem, quos Diaconus thurificavit, Cæremoniarius vero iis, quos Thuriferarius incenſavit. Nunquam verè extra Chorum cuiquam pax dari poteſt, ex Decr: S. R. C. 5. *Julii* 1614. Neq; cum patena loco inſtrumenti pacis, quia prohibuit *S. Pius V. Pont: Max: in Epiſtola ad Archiep: Tarraconen:*

8. Si per oſculum dari debeat pax (quod convenientius, & ad mentem Decretorum S. R. Congr: eſſet) eodem Subdiaconus incedet ordine, comite Cæremoniario, ſed jam abſq; inſtrumento, manibus tantum ante pectus junctis. Et accedendo ad digniorem de Choro, uti P. Priorem, det ei primo, ſiniſtram genam, ſiniſtræ ejus genæ approximando manibusq; brachia complectendo, dicat: *Pax tecum*, & ſtatim Fratri primo ex illa Chori parte conſiſtenti eodem tribuat modo, ut unus alteri Presbyter Presbytero, Frater Fratri, ad finem tribuat. Et ſtatim tranſibit ad alteram Chori partem, ubi pariter primum digniori, vel ſeniori Patri, e. g. Suppriori, & poſtea proximiori Fratri tribuet, modum ſupradictum ſervando, ut cæteri viciſſim accipiant oſculum pacis. Cætera ſupramemorato ordine erunt obſervanda.

9. D. Abbate celebrante Pontificaliter, poſt dictum *Agnus Dei &c.* Archidiaconus accedit ad dexteram D. Abbatis, ubi ſicut Diaconus genuflectit, & ſurgens oſculatur Altare cum Celebrante, mox appropinquans ſiniſtram genam, ſiniſtræ D. Abbatis genæ, accipit manibus junctis pacis oſculum, & dicenti D. Abbati *Pax tecum* ſtatim reſpondet: *Et cum Spiritu tuo.* Facta ibidem genuflexione, non vertens renes SS. Sacramento diſcedit comitante Cæremoniario, oſculumq; prædictum per Chorum, & nullomodo tunc per inſtrumentum, ordine ſuo diſtribuit, quemadmodum Num: præc: declaratum eſt. Notandum præterea, quod ipſe Presbyter Aſſiſtens non dat oſculum Diacono Evangelii, nec Subdiacono Epiſtolæ, nec aliis miniſtris Altaris, ſed directè procedit ad Chorum. Si plures invenerit DD. Abbates præſentes; ubi fit ſub tempus Capituli generalis, tunc primo tribuat digniori ex una parte, vel ſeniori. Abbati, poſtea Sacerdoti ex eadem parte digniori, & Fratri ſeniori. Deinde ex altera parte Abbati ſeniori, tum Sacerdoti ex eadem altera

par-

parte digniori, & Fratri ex eadem parte seniori, uni scilicet ex qualibet Hierarchia Ecclesiastica, ut illi sibi invicem tribuant.

10. Observabit autem ipse Archidiaconus, osculum ferens, ut nulli, quantumvis supremo Principi, etiamsi esset Rex, nulliq; Ecclesiasticæ dignitati, etiamsi esset Cardinalis, ullum signum reverentiæ prætet, antequam pacem tribuat, nisi post eam datam, cui, etiam Prælati, qui acceperunt pacem ab eo, pari reverentia correspondent, cum sit Archidiaconi Officium eminens inter dignitates Ecclesiasticas. Dictum est Num: præc: quod debeat tribuere pacis osculum pluribus, & hoc non absq; fundamento, regula enim Rubri est, ut pax detur primo cujusq; Ordinis, videlicet primo ex Abbatibus, si plures sint, primo ex Presbyteris, & primo ex ordine Clericali, in quo continentur Diaconi, Subdiaconi, Clerici, & necdum Clerici, sicut Religiosi tonsurati, quam itaq; Regulam ex unaquaq; parte Chori Archidiaconus servare tenetur.

11. Postquam verò prædictus Archidiaconus pacem in Choro dederit, veniens propius ad Altare dabit eam comiti suo, scilicet Cæremoniario, qui cæteris Acolythis & Ministris inferioribus eam distribuet, & non alius, quia Diaconus Evangelii, pacem à D. Abbate acceptam, Subdiacono tantum debet dare, & Subdiaconus illam duobus Diaconis assistentibus ministrare tenetur, & non pluribus, *ex Decr: S. R. C. 17. Junii 1606. in Bracharen.* Si vero Diaconus, & Subdiaconus accepturi sunt communionem de manibus D. Abbatis, ut contingere speciatim solet Feria V. in Cæna Domini, tunc non tantum Diaconus, sed etiam Subdiaconus, atq; Diaconi assistentes à D. Abbate debent osculum pacis, unus post alium venientes accipere, non prætermissis genuflexionibus ad dexteram illius, Sanctissimo Sacramento faciendam, ante, & post.

12. Quando autem D. Abbas ipse non celebrat, sed Missæ per alium Celebratæ adest in Choro, Subdiaconus tunc non jam à Diacono, sed ab ipso Celebrante accipit pacem, & facta in loco genuflexione, accedit ad sedem D. Abbatis, cui, sine ulla prævia reverentia, tribuit osculum pacis, vel præbet Instrumentum pacis ad osculandum, tum postea profundam facit reverentiam, & recedit ad dandam in Choro pacem. Magis tamen convenire suppono, ut in tali casu Subdiaconus pacem tribuat per Instrumentum, quam per osculum, quemadmodum in missis privatis, quibus adest, ut supra dictum est. P. 2. c. 8. juxta dispositionem *Cærem. Episc: L. 1. c. 30.* In Missis cantatis, quæ tamen fiunt sine Ministris sacris, nunquam datur pax

in

in Choro, ſicut nec in Miſſis Defunctorum, ac in aliis à Rubrica notatis. Prælato tamen, ſcilicet D. Abbati, ſi privatæ Miſſæ voluerit intereſſe, etiam in iis dari poteſt Pax per Inſtrumentum, ut ſupra declaravimus, exceptis tantum Miſſis de *Requiem*, & aliis à Rubrica prohibitis.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Uſus ſemel introductus juxta regulas Libri Cæremonialis, ſervandus eſt, & pax cum oſculo omnibus Viris Eccleſiaſticis, in Choro ſedentibus, danda eſt. S. R. C. 8. *Julii* 1602. *in Meſſanen. Nota*: in Choro ſedentibus, *intelligitur*: *jus ſedendi, ſeu Stallum habere in Choro, cum pax ſtanti & non ſedenti danda eſt*, ita *Cærem: Epiſc: L.* 1. *c.* 24. *n.* 7. & *P. Spiridion Talu explicat.*

2. Diaconus, & Subdiaconus accipiunt pacem ab Epiſcopo Celebrante, ſtatim poſt Diaconos aſſiſtentes, ſi in Miſſa Communionem accipiunt. S. R. C, 15. *Martii* 1608. *in Alexandrina. Adverte*: poſt Diaconos aſſiſtentes, *quia hi ſemper ſupponuntur Canonici ad inſerviendum Epiſcopo, Diaconus vero, & Subdiaconus non ſemper Canonici, ideoq; in noſtro Caſu aliter ſentiendum eſt.*

C A P U T VIII.

De Expoſitione, Proceſſione cum SS. Sacramento, ejuſq; aſſervatione.

1. IN expoſitione SS. Sacramenti, hic ordo ſervari debet: impoſita per alium Sacerdotem, vel Diaconum in ordine Sacerdotali, in Lunulam Hoſtià conſecratà, eàq; cum dicta Lunula in oſtenſorio occluſà, ipſum Oſtenſorium rectè in Altari collocari debet, ita, ut figura Chriſti Crucifixi in Hoſtia expreſſa, reſpiciat populum. Diaconus ſi Sacram Hoſtiam impoſuit, recedens ad latus Epiſtolæ, digitos abluit, quibus tetigerat ſacram Hoſtiam, eoſq; purificatorio extergit. Tum deſcendens ad Celebrantem genuflexum in infimo gradu Altaris, non omiſſa tamen genuflexione in loco, unde receſſerat, Miniſtrante Thuriferario thuribulum, eoq; genuflexo, Diaconus profunde inclinatus porrigit cochlear ſine oſculis, miniſtratq; Na-

viculam, non petens benedictionem, quia tunc solum Sacramentum incensandum erit.

2. Celebrans adveniente Diacono surgit cum Subdiacono, & stans in eodem loco, scilicet plano, parum conversus erga thuribulum, imponit ter incensum in thuribulo, sine ulla signi, vel verborum benedictione: Subdiacono interim elevante fimbriam anteriorem Pluvialis, ex parte manus dexteræ. Imposito incenso, Thuriferarius statim tradit thuribulum Diacono, & recipit Naviculam, ipseq; recedit ad cornu Epistolæ. Tum Celebrans, & sacri Ministri prius genuflectentes, ascendunt ad 2. Altaris gradum, ubi in ora suppedanei genuflexi manent; Celebrans verò facta profundâ reverentiâ, genuflexus ter incensat SS. Sacramentum in una linea recta, non verò à dextris, & à sinistris, ut quidam opinantur erroneè.

3. Peracta incensatione, & facta profunda reverentia Celebrans ascendit ad Altare, & genuflectit, surgens vero accipit Ostensorium in manibus, sinistra scilicet pedem, & dextera nodum Ostensorii, illudq; vertit ita, ut Imago Crucifixi in Hostia respiciat semper populum, & sic vertit se a cornu Epistolæ, scilicet per manum suam dextram, ad populum, consistit in medio, & elevat Ostensorium ita, ut pes ejusdem Ostensorii sit infra pectus, cantatq; ℣. *O! Salutaris Hostia.* Et licet S. R. C. disposuit, & mos Ecclesiarum Urbis recepit, ut dictus Versus à Cantoribus inchoetur, tamen quia consvetudo in Regno nostro inolevit, ita, ut in Cathedralibus, & Collegiatis semper Celebrans incipiat, ideoq, retinenda erit.

4. Decantata à Choro prima stropha, & cum Celebrans per eam immobiliter persistat, sustinens Ostensorium, inchoat Versum secundæ Strophæ *Uni trinoq; Domino*, & statim facta cum Sanctissimo benedictione, vertit se ad Altare per latus suum sinistrum, scilicet per cornu Evangelii, & in Altari collocans, ut prius fuerat, Ostensorium, atq; genuflectens, surgit, & lateraliter, (non tamen per medium, sed retrahendo se ad partem Evangelii) descendit ad 2. Altaris gradum. Ubi porrectum sibi per Diaconum thuribulum capit, incensat ter, ut prius, Sanctissimum Sacramentum, non omissa ante, & post, profunda inclinatione. Descendit deniq; in planum, ubi in infimo gradu, facta utroq; genu, cum profunda Capitis inclinatione, genuflexione, surgit, & vel recedit in Sacristiam, vel Officium inchoat, quod subsequi debet. Diaconus recepto post incensationem thuribulo, reddit illud Thuriferario, surgit ascendit ad Altare, genuflectit, & acceptum Ostensorium in loco eminen-

tio-

tiori collocat, advertens, ut ſub eo ſemper ſit expanſum Corporale, tum iterum genuflectit, deſcendit per gradus caute, ne terga vertat, & adjungitur Celebranti.

5. Ad Proceſſionem, quæ ſemper vel ante, vel poſt Miſſam fieri debet, & non intra, tum poſt Veſperas, aut poſt Completorium, Celebrans ſemper Pluviali indutus eſſe debet, & nunquam Planeta, niſi ſemel Feria VI. Paraſceves, ex ſpeciali Rubrica; nec tamen ſuperpelliceo ſolo, ſed Amictu, Alba, & Stola in modum Crucis aptata, ac Pluviali ornari tenetur. Quia licetſi prius Veſperas celebret, tamen ob præſentiam expoſiti SS. Sacramenti, omnes Auctores Rubriciſtæ, & S. R. C. Decreta præcipiunt, ut tunc omnia agantur ſicut in Feſto Corporis Chriſti, & infra ejus Octavam. *P. Merati P. 4. tit: 12. §. 5. n. 29. de Veſp: infra Oct: Corp: Chriſti*, ſic in rem noſtram loquitur: *Ad Veſperas - Celebrans erit paratus amictu, alba, ſtola, & Pluviali coloris reſpondentis officio.* Inſuper de ſola expoſitione SS. Sacramenti, quæ fit extra Miſſam, & extra Veſperas ſic habet: loc: cit: §. 6, n. 30. *Sacerdos, qui expoſitionem facere debet, decens eſt, ut paretur amictu, Alba, Stola, & Pluviali albi coloris*, Multomagis ad Veſperas, & Proceſſionem.

6. Miniſtri pariter ſacri, non Pluvialibus induti, ſed Diaconus amictu, Alba, Stola, & Dalmatica; Subdiaconus verò amictu, Alba, & Tunicella parari debent. Nam licet nonnulli Rubriciſtæ concedant uſum Pluvialium aſſiſtentibus ad Veſperas, expoſito SS. Sacramento, tamen ſi poſt Veſperas, vel Completorium fieri debeat Proceſſio, præcipiunt, ut paulo ante eam Miniſtri aſcendant in Sacriſtiam, & ibi depoſitis Pluvialibus, accipiant Diaconalia, & Subdiaconalia paramenta, quia tamen nimis incommodum videretur facere hos tranſitus, & diverſitates Miniſtrorum, ideoq; decentiùs, & convenientius eſſet, ſi expoſito SS. Sacramento ad Veſperas, & Completorium (poſt quæ ſemper præſupponitur facienda proceſſio) Diaconus, & Subdiaconus propriis Ordinis ſint induti paramentis, exceptis tantum manipulis. Cui ſententiæ ut robur addam, adduco in teſtimonium *P. Bauldry, O. S. Ben: Eccleſiæ Cathedralis Malleacen: magnum Priorem*, qui in ſuo *Manuali Sacrarum Cærem: P. 4. c. 16. a. 6. n. 8.* hæc habet formalia: *Si poſt Veſperas, & Completorium facienda ſit Proceſſio, circa finem earum Miniſtri ſacri parant ſe, Diaconus Alba, Stola, & Dalmatica, & Subdiaconus alba, & Tunicella, ſicq; parati procedunt ad Altare.* & n. 9. ſic habet: *Si immediatè poſt Veſperas facienda ſit Proceſſio, conveniet, ut Miniſtri ſacri, parent ſe paramentis ſacris, ut ſupra.*

7. Tempore, quo facienda eſt dicta Proceſſio, Celebrans, ſi ſit in ſede, accedit ad gradus Altaris: ſi finitâ Miſſa, deſcendit in planum, genufiectit, recedit ad latus Epiſtolæ, ubi deponit Caſulam, & manipulum, ſumit Pluviale, & accedit ad gradus Altaris, ubi in infimo gradu genuflexus cum omnibus miniſtris, profunde inclinat Caput; & adveniente Thuriferario cum thuribulo, & Navicula, & conſiſtente quaſi à dextris Diaconi ante Celebrantem, ipſe, & miniſtri ſacri erigunt ſe. Tum Thuriferarius tradit Diacono erecto Naviculam, & ipſe Miniſtrat thuribulum, ut ſupra Celebrans erectus, capit à Diacono cochlear, imponit incenſum in thuribulum, abſq; ulla benedictione. Subdiacono interim elevante fimbriam dextram pluvialis Celebrantis.

8. Impoſito incenſo Celebrans, cum Miniſtris ſacris aſcendit ad 2. Altaris gradum, ubi in ora ſuppedanei genuflexus incenſat SS. Sacramentum triplici ductu, adhuc in eminentiori loco conſtitutum, & non depoſitum. Quo incenſato, Celebrans manet genuflexus, & Diaconus recepto, ac reddito thuribulo, porrecto ſibi per Cæremoniarium (ſi opus eſt) ſcabello, deponit Oſtenſorium in medio Altaris collocans ſupra petram Sanctam, in qua Corporale debet eſſe extenſum, & non plicatum, ſupra cujus medium reponit. Interim Subdiaconus ſumens ab Acolytho velum oblongum imponit humeris Celebrantis, illudq; ante pectus colligat chordulis, vel aciculis, adaptatq; ita, ut firmiter ſuper brachia pendeat, & ne ex iis decidat.

9. Diaconus remoto ſcabello, genuflectit, aliquantulum renes vertens lateri Epiſtolæ, ne terga vertat Celebranti, & ſtatim erigit ſe, accipit Oſtenſorium ambabus manibus reverenter, dextera per nodum, ſiniſtra verò pedem tenens, ita, ut Crucifixi imago in Hoſtia, eundem Diaconum reſpiciat. Hic, converſus per eam partem, quæ reſpicit cornu Evangelii, recedens à medio, quaſi lateraliter ſtat, ipſum Oſtenſorium porrigendo Celebranti, qui prius genuflexus, poſtea erectus capit illud dextera nuda per nodum, ſiniſtra verò nuda per pedem, tenetq; ita, ut Imago Chriſti, quæ eſt in Hoſtia, Crucem, quæ defertur in Proceſſione, ſemper reſpiciat, quod facile fiet, ſi Diaconus abſq; ulla converſione capiet, & pariter abſq; ulla converſione tradet Celebranti. Quo facto Diaconus manus Celebrantis obtegit extremitatibus veli oblongi, ita, ut nullomodo appareant, ſed tantum Sacramentum pateat in ſole: & ita adaptat velum, ut nec vento, nec alia cauſa de manibus valeat amoveri.

10. Celebrans ergo firmat se in medio, ante Altare, vertens faciem, & Ostensorium ad populum, & hic statim Ministri sacri mutant loca sua. Diaconus facta in loco genuflexione accedit ad locum illum, ubi prius Subdiaconus genuflexus permanebat. Subdiaconus verò descendens ad infimum Altaris gradum, per eum transit ad dexteram Diaconi, ubi ascendens ad 2. Altaris gradum, genuflectit in ora Suppedanei, in eo videlicet loco, ubi priùs Diaconus genuflectebat. Interim Cantores, vel ipse Celebrans intonat Hymnum aliquem devotè, eumq; omnes cum populo prosequuntur.

11. Et licet prohibeant S. R. C. Decreta, præsertim; die 21. *Martii* 1609. ne canantur cantiones vulgari sermone, in dicta Processione cum SS. Sacramento, quia tamen aliquoties paucitas Religiosorum, & ruditas populi, ponit obstaculum Cantûs in lingva Latina; in Regno quoq; nostro usu receptum est cantandi lingva vernacula, ideoq; permitti potest, nec tamen alii hymni sunt cantandi, quam qui usitati sunt in Festo Corporis Christi, videlicet: *Twoia cześć Chwała, &c.* vel *Do Ciebie Panie*, ordinariè tamen in lingva latina decantari debet: *JESU dulcis memoria*, aut *Te Deum laudamus.* Cavendum est in omnibus Ecclesiis, ne alii Hymni in tali Processione concinantur, præsertim de B. V. MARIA, aut de aliis Sanctis, quia summa disconvenientia esset, Sacramentum deferre, & illud ore non collaudare; omnes autem actus nostri conformari debent uniformiter in iis, quæ ad cultum Divinum pertinent, si itaq; humili poplite in Processione delatum veneramur Sacramentum, laudemus pariter lingva, & corde.

12. Ordinatur deinde Processio, & Celebrans non debet benedicere populum cum SS. Sacramento, quia nulla Rubrica talibus patrocinatur, nec aliquis Author de tali benedictione quidquam innuit: sed statim post inchoationem Hymni, surgere debent Religiosi, & accingere se Processioni. Ipse quoq; Celebrans adjuvantibus Diacono, & Subdiacono paulatim descendit de gradibus Altaris, ac procedit, nec nimis festinanter, nec nimis morosè, sed lento, & gravi incessu, recitando cum dictis Ministris submissa voce Hymnos, & Psalmos convenientes mysterio Eucharistico, per totum tractum Processionis: non tamen Celebrans, aut Sacri Ministri cantare quidquam cum aliis debent, nisi forte essent admodum pauci ad cantandum, & necessitas maxima ad id cogeret. Ita *Cærem Episc: L. 2. c. 33. n. 22. Rit: Rom: de Process.* Ut autem major reverentia exhibeatur SS. Sacramento, deferri debent circa latera

Ce-

Celebrantis, ad minimum 4. faces, vel per Religiosos Fratres superpelliceis indutos, vel etiam per sæculares personas, pariter cottis ornatas.

13. Omnes recte compositi, corpore erecto, demissis in terram obtutibus, uniformiter, modestè, ac gravidè & sine strepitu, continuatè sine ulla interruptione incedant, nec festinent, ne cogantur postea expectare Celebrantem, nec ita morosè procedant, ut impediant Thuriferariis incensationem continuam Sanctissimi Sacramenti; Qui quasi lateraliter procedendo, tenentur continuò illud incensare, quasi sternendo viam, & si deficiat in Thuribulo fumus, poterunt ipsi sine ulla benedictione imponere. Deferentes Candelas, ii, qui à dextris procedunt, manu dextra eas teneant, illi verò, qui à sinistris incedunt, manu sinistra dictas deferant candelas, alterâ manu modestè infra pectus positâ, aut si est cantandum ex Libro, tunc eadem manu, quæ infra pectus teneri solet, Cantionale, seu Processionale teneatur.

14. De Circulo, & via procedendi, servetur locorum consvetudo, ubi juxta situm diversorum locorum, diversimodè peragitur, regulariter tamen, & rectius proceditur à latere Evangelii, ad latus Epistolæ, & hic modus videtur conformis Pontificali Romano, in quo præcipitur, ut in Dedicatione Ecclesiæ processiones sic inchoentur. Pariter processio pro defunctis, ac ipsius absolutionis defunctorum circuitio fieri debet, *ex Missali*, & *Rituali Romano*.

15. Dum terminatur Processio, accedentes Religiosi ad Altare statim genuflectunt in locis suis, ita ut Fratres iuniores ad latera Altaris, seniores vero Patres, & Superiores ad cancellos maneant genuflexi, quousq; non fuerit data benedictio. Thuriferarii cum ad gradus Altaris pervenerint, ibi sistunt se ad latera gradum, cessantes ab incensatione, ut Celebranti, & ministris dent locum transeundi: Celebrans accedens ad gradus Altaris paululum subsistit, donec Subdiaconus elevet fimbrias anteriores Albæ & vestium, & tunc adiuvante Diacono ascendit ad Altare, ubi in suppedaneo Altaris constitutus, deponit SS. Sacramentum in manus Diaconi, qui prius genuflectendo adorat, tum surgens, & quasi renes vertens ad cornu Epistolæ, reverenter accipit Ostensorium, atq; illud modeste collocat supra medium corporalis extensi in petra sancta, non omnino renes vertens Celebranti, ob ejus reverentiam; nec statim illud ponit super Altare, sed retinens in manibus paululum expectat, ut Celebrans Sacramentum in loco suo adoret.

Sic

Sic autem dictum Ostensorium ponit, ut imago Christi in Sacra Hostia expressa populum respiciat. Diaconus postea genuflectit, & erectus accedit ad dexteram Celebrantis, cujus velum oblongum, non removetur adhuc ab humeris ejus, quia in fine daturus est benedictionem, quæ tamen non debet dari in Hymno *Rex Christe primogenite* &c: neq; ad illa verba: *tuo nos Corpore refice*, ut invaluit mos in Regno nostro, ne nimis multiplicentur tales benedictiones. Et quid dicendum de iis, ubi in tractu Processionis, v. g. exeundo extra Ecclesiam, statim consveverunt nonnulli dare benedictionem cum SS. Sacramento, & non tantum semel, sed & quater, in quatuor partes orbis terræ, omnino contra Rubricæ Regulas, & S. R. C. Decreta; à quibus potiùs abstinere, consulerem, quàm mandatis S. R. Ecclesiæ contraire.

16. Postquam Celebrans dederit SS. Sacramentum Diacono, statim in eodem loco genuflectit, & descendit ad 2. Altaris gradum, manetq; genuflexus in ora suppedanei, donec Diaconus reversus fuerit: Qui deposito SS. Sacramento in Altari, eoq; adorato, descendit ad dexteram Celebrantis, ubi adveniente Thuriferario per gradus laterales cornu Epistolæ, accipit Naviculam, ministratq; thus. ad imponendum, Thuriferario ministrante thuribulum, ut supra, quasi à dextris Diaconi. Celebrans verò in loco erectus, imponit stando incensum in thuribulum, absq; benedictione, & finito cantu à Choro, genuflexus incensat de more SS. Sacramentum. Tum surgens ascendit ad Altare, ibiq; genuflectit, & sine Diaconi, aut Alterius ministerio accipit velatis manibus, ut prius, ostensorium, & vertens se ad populum per latus suum dextrum, ut ad *Dominus vobiscum*, tenens, ut prius, ante pectus Ostensorium, intonat ipse (de consvetudine Regni) *Tantum ergo Sacramentum*, persistitq; immobilis, donec terminetur à Choro integra Stropha, qua finita denuò intonat: ℣. *Genitori, Genitoque*, & statim non expectando quartum ℣. finita intonatione benedicit populum semel cum SS. Sacramento, nihil dicens, modo tamen præscripto à S. R. C. Finita benedictione vertit se Celebrans ad latus Evangelii, usq; ad medium Altaris, facitq; gyrum, seu Circulum, & collocat Ostensorium sine adminiculo. Caveant autem omnes, ne ad hunc ℣. *Sit & benedictio*, benedicant, quia expresse abusus ille est contra Rituale Romanum, & contra Decreta S. R. C. *P. Baudry*

vero

vero P. IV. c. 16. art. 3. n. 36. fatetur *hoc* esse *nimis rusticum, ideo mos iste non videtur permittendus.*

17. Deposito à Celebrante SS. Sacramento super Altare, ipse statim facta genuflexione descendit ad 2. gradum, & genuflexus in Suppedaneo incensat Sacramentum, postea amovetur ei velum oblongum per Subdiaconum. Interim Diaconus ascendit ad Altare, genuflectit, surgit, & (si opus est) ministrante ei Cæremoniario, vel viciniori Acolytho Scabellum, ascendit, reponit Ostensorium in majori tabernaculo, seu loco eminenti, decenter ornato, corporali tamen semper supposito, & extenso. Postquam verò Diaconus reposuerit SS. Sacramentum, facta ad Altare genuflexione, vel ita expositum patenter relinquit, vel etiam obvelat, acceditq; ad dexteram Celebrantis; ubi genuflexus cum Celebrante, & Subdiacono, descendit cum iis in planum. Ibi omnes iterum unico genu, (si est obvelatum) utroq; (si est patenter expositum) genuflectunt, & ordine quo venerant redeunt in Sacristiam. Si SS. Sacramentum non est obvelatum, Celebrans & Ministri sumptis Birretis, non tegunt capita sua, nisi extra Presbyterium, scilicet extra conspectum Sanctissimi. Si autem est obvelatum, recedendo parum ab Altari, & non in medio, sed quasi ad latus Altaris, tegunt Capita, & procedunt in Sacristiam.

18. Si concludenda est devotio, loco *Tantum ergo* &c: Celebrans intonat ℣. *Salvum fac populum tuum Domine.* quo ℣. à populo repetito, & à Celebrante secundo, & tertio pari modo iterato, qualibet autem vice, voce aliquantulum modestè elata, tertio repetito huic versiculo, superaddit Celebrans, *Et benedic hæreditati tuæ.* Non tamen prius benedicit cum SS. Sacramento, donec terminet cantum, quia indecorum videtur canere, & benedictionem peragere; finito autem ex integro prædicto versiculo, benedicit nihil dicens. Ita *Rituale Rom: Gavant. Merat. & Baruffaldus. P. 4. tit: 80. n. 78.* Facto post dictam benedictionem circulo, collocat Ostensorium ut supra, & descendens, incensat Sacramentum, permanetq; genuflexus.

19. Postea Diaconus, (si est in gradu Sacerdotali) ascendit ad Altare, in cornu Epistolæ lavat manus, ministrante Cæremoniario aquam, & manutergium; tum accedit ad medium, ibiq; genuflectit, sed non omnino in medio propter Celebrantem, cui non debet terga vertere. Removet dein parum ad latus Evangelii Ostensorium, illudq; quasi lateraliter collocat, non tamen extra petram sanctam, & aperit

rit

rit ostiolum Tabernaculi, sive Ciborii, extrahit Pixidem, eam discooperit, ac genuflectit, tum aperta fenestrella Ostensorii, extrahit lunulam cum Hostia consecrata, quam imponit in Pixidem. Advertat autem bene, ne in ipso Ostensorio remaneant aliquæ particulæ, quas si conspexerit, aut digito extrahat, & in Pixidem reponat, aut inclinet Ostensorium, ut decidant in Pixidem: relinquat verò una cum Hostia Lunulam in Pixide, quia caute debet purgari. Et dum sumitur Hostia à Celebrante Missam, lunula poterit aliquomodo vino ablui super Calicem, & purificatorio bene extergi. Si ille Diaconus non est in gradu Sacerdotali, cum ipsum Sacramentum non debeat tangere, tunc destinetur aliquis Presbyter, Superpelliceo & Stola indutus, qui supradicta peragat, vel ipse Celebrans repositionem sacræ Hostiæ compleat.

20. Jmpositâ Sacrâ Hostiâ in Pixidem, eaq; cooperta, seu occlusa, convenientiùs esset juxta *Rit: Rom*: statim imponere Pixidem in tabernaculum, & occludere, non omissa priùs à Diacono genuflexione, ac recedere ab Altari. Sed quia in Regno nostro usus invaluit, adhuc cum Pixide canere: *Fiant Domine* &c: ideoq; occlusa Pixide Diaconus, relinquit eam in medio Altari supra Corporale, ipseq; genuflexus accedit ad dextram Celebrantis, cui acceptum à Thuriferario thuribulum porrigit, & Celebrans genuflexus in loco suo Sacramentum in pixide incensat, postea ascendit ad Altare, genuflectit, accipit per se Pixidem, & conversus ad populum cum ea, ut supra, intonat: *Fiant Domine.* Statimq; benedicit populum semel, cum eadem Pixide, nihil dicens, convertit se pariter per gyrum, ut supra, ad Altare, & collocat Pixidem in loco, de quo acceperat, & non in Tabernaculo, seu Ciborio, ac descendens ad 2. gradum, genuflectit in ora suppedanei, incensatq; Sacramentum. Diaconus recepto thuribulo à Celebrante, eoq; Thuriferario reddito, ascendit ad Altare, genuflectit, & collocat Pixidem in Ciborio, denuo iterum genuflectit, postea claudit ostiolum Tabernaculi, extrahit clavim, & eam defert in Sacristiam, ubi in loco bene munito reponit; quod semper observandum est, & nunquam in ostiolo clavis relinquenda, propter pericula varia, pluries experientiâ comprobata, & ab impiis, sacrilegisq; homuntionibus perpetrata.

21. Jn his tamen præcavendi sunt omnes, ne SS. Sacramentum sive in Ostensorio, sive in Pixide ad illud Altare transferatur, aut devotionis, aut solemnitatis gratiâ; quia ma-

 xima

xima pluries exinde irrogatur SS. Sacramento irreverentia, & nullum apparet fundamentum talis translationis: Nos verò ut sumus in sortem Domini electi, statim contraximus obligationem servandi omnes Rubricas tam generales, quam particulares, & nihil ex eis omittendi, nihilque superaddendi. In dictis itaq; Rubricis, sive illæ sint Missalis, sive breviarii, & in aliis quibuscunque earum commentariis, aut interpretationibus nulla fit mentio de tali translatione SS. Sacramenti à loco ad locum, ideoq; & nos eam innovare aut instituere non debemus; nullam enim in hoc puncto Authoritatem habemus. Si autem & exponere publicæ adorationi SS. Sacramentum absq; licentia Ordinarii prohibuit Regularibus S. R. C. 26. *Februarii*. 1628. & 10. *Decembris* 1703. *in. una Urbis*, & *Orbis*, multomagis has processiones de loco, ad locum, de altari ad altare nullus potest innovare inconsultâ S. R. Congregatione. Stare itaq; semper debet SS. Sacramentum expositum in Altari majori immobiliter, & non nisi ad asservationem, vel ad processionem publicam per Ecclesiam, aut circa eam, deponi, & portari potest. Nec tamen ad finem processionis pro statione ad aliquod aliud Altare Venerabile Sacramentum reponatur, gratia Litaniarum, aut alicujus particularis devotionis, nam hoc esset omnino contra Ritum S. R. Ecclesiæ, quæ (ut notat *P. Bauldry P. IV. c. 16. per Art:* 14.) præcipit, ut in Altari majori omnino reponatur SS. Sacramentum, & non in alio aliquo particulari. Cum juxta Rit: Rom: dispositionem, *Tit. de SS. Euch: Sacram*: maxima ac diligentissima cura adhibenda est circa SS. Eucharistiæ Sacramenti reverentiam, quo nihil dignius, nihil sanctius & admirabiliùs habet Ecclesia Dei. Hi ergo abusus ut tollantur, Superiorum cura (ut spero) invigilabit, ne exteri, aut nos negligentes in servandis Ritibus, aut ignorantes judicent.

22. Pariter curandum est, ut SS. Sacramentum in Ostensorio ad expositionem non educatur de Sacristia, neq; ad eam afferatur pro asservatione, finitâ devotione; hoc enim esset maximum absurdum. Si itaq; exponenda est Eucharistia, ad Altare illud, in tabernaculo asservatur SS. Sacramentum, seu in Ciborio, exponi debet: scilicet de Pixide extrahi, lunulæ imponi, tum Ostensorio. Similiter si est asservanda S. Hostia, extrahatur cum lunula ad Altare, & asservetur in Pixide, ac occludatur in Ciborio. Hæc est peritissimorum Rubricæ interpretum decisio, hæc ipsius Rubricæ dispositio. Nec impedit quod totâ hebdomada fiat expositio, e. g. in Octava Corporis Christi, nam

talis

talis ritus expositionis, & asservationis SS. Sacramenti quotidie; etiam toties, quoties opus fuerit, servari debet, & nihil innovari, nihilq; corruptelam & abusum continens in se, tueri à Viris Ecclesiasticis potest. Non ergo audeat quis opponere antiquam consvetudinem, (cum hæc ut abusus, & corruptela semper abrogari debet) aut praxim, & traditionem, nam timendum est, ne tali dicatur id, quod Christus Pharisæis: Math. 15. v. 3. *Quare vos trasgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?*

Decreta S. Rit. Congregationis.

1. Jn Festo SS. Corporis Christi (*ad processionem*) non convenit cantare cantiones vulgari sermone. S. R. C. 21. *Martii.* 1609. *in Abulen.*

2. Jn Festo Corporis Christi Eucharistia non est deferenda in Processionibus Sacerdotum humeris, sed Celebrantis manibus, non obstante quacunq; contraria consvetudine, quam abusum esse declaravit. S. R. C. 2. *Junii.* 1618. *in Syracusana*

3. Jn Festo SS. Corporis Christi deferatur Eucharistia à Celebrante, in Vesperis autem diei Octavæ (si fiat Processio) deferatur ab eo, qui cantavit Vesperas. S. R. C. 12. *Junii.* 1627. *in Brundusina.*

4. Non licet Mulieribus comitari Processiones per claustra Monasteriorum Regularium, nisi adsit expressa licentia sedis Apostolicæ. S. R. C. 30. *Septembris.* 1628. *in Aurelianen.*

5. Mulieres de cætero non possunt occasione Processionum ingredi septa Monasteriorum Regularium, sub pœnis, quibus comprehenduntur Regulares permittentes fœminas ingredi septa eorum Monasteriorum. S. R. C. 5. *Julii.* 1631. *in una Urbis, & Orbis Regularium.*

6. Absq; Pluviali non licet in die, & infra Octavam SS. Corporis Christi peragere Processionem cum SS. Sacramento. Non potest tamen cogi, ut ejus expositio fiat cum Pluviali. S. R. C. 22. *Januarii.* 1701. *in una Camald. Mont: Cor. Idem pariter sentiendum censet S. R. C. de Processionibus cum SS. Sacramento, in aliis festivitatibus, faciendis.*

7. Ante ostiolum Tabernaculi SS. Sacramenti, in quo depicta, vel insculpta est imago Domini Nostri JESU Christi, non est retinendum vas florum, vel quid simile, sed potest collocari in humiliori, & decentiori loco. S. R. C. 22. *Januarii.* 1701. *in una Camald. Mon. Cor.*

8. Benedictio cum SS. Sacramento danda est in fine Hymni *Pange lingva* &c: non verò ad ℣. *Sit & benedictio*. S. R. C. 5. *Februarii* 1639. *in Sabinen.*

9. Jn benedicendo populum cum Sanctissimo Sacramento, iste modus approbatur: nimirum cum Sacerdos stat ante populum. Ostensorium ante pectus tenet, tum elevat illud decenti mora, non supra caput, sed tantum usq; ad oculos, & eodem modo illud demittit, infra pectus: mox iterum recta linea illud tollit usq; ad pectus, & exinde ad sinistrum humerum ducit, & reducit ad dextrum, & versus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes mundi partes Cruce, & Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet: tunc gyrum perficiens collocat Ostensorium super Altare. S. R. C. 21. *Martii*. 1676. *in Collen.*

10. Jn expositione Sanctissimi Sacramenti, quæ fit ad instar Proscenii, quantitas luminum pietati facientis expositionem remittitur, & in Altari super Candelabris, ad minus sex Candelæ accendi debent. S. R. C. 15. *Martii*. 1698. *in Narnien.*

11. S. R. C. declaravit, servari debere Cæremoniam thurificandi SS. Sacramentum inclusum in Pixide, cum defertur pro Viatico infirmis, & cum ipso benedicendum esse populum. 21. *Junii* 1738. *in Ulixibon. Orientali.*

12. Jn Ecclesiis Regularium habentibus claustra, fiant processiones intra claustra tantum; si vero non habeant Claustra, fiant prope muros Ecclesiæ, sive exeundo ab una porta, & intrando per aliam Ecclesiæ portam, sive per eandem: S. R. C. 26. *Febr*: 1628. *in Hispalen.*

13. Eucharistia non est singulis diebus exponenda, super Altari, sed in quibusdam tantum Solemnitatibus S. R. C. 4. *Martii*. 1606. *in Placentina Provinciæ Castellanæ.*

14. Nequeunt Regulares SS. Sacramentum exponere, sine licentia Ordinarii. S. R. C. 26. *Februarii* 1628. *in una Bertinori.*

15. Præsupposita facultate retinendi, an possit intra annum publicè exponi sine licentia Ordinarii? & responsum fuit: Negativè. S. R. C. 10. *Decembris*. 1703. *Urbis & Orbis.*



CA-

CAPUT IX.

De aliis Processionibus.

1. GEnerale in omnibus Processionibus est, ut Crux processionalis præferatur, inter duos Ceroferarios, candelabra cum cereis accensis deferentes, etiam in Processione cum SS. Sacramento. Ante Processionem dicta Crux præparari debet in aliquo loco congruo propè Altare, & regulariter à latere Epistolæ, ita, ut proxima sit Credentiæ. In solemnioribus Processionibus, quæ fiunt in Festivitatibus, sine SS. Sacramento, & tamen cum populi concursu, necnon iis, ubi à Rubr: generali notatur, Thuriferarius cum thuribulo fumigante, & navicula incenso boni odoris repleta, Crucem præcedere debet.

2. Subdiaconus ordinariè in Processionibus Crucem deferre tenetur, & omnes præcedere, indutus semper amictu, alba, cingulo, & Tunicella sine manipulo, præsertim quando fit Processio ante, vel immediatè post Missam, qui etiam Missæ solemni inservire debet, nisi aliter in Rubrica Missalis notetur. Si Processio fiat cum SS. Sacramento, qui Crucem defert, sufficit ut sit Cuculla, tanquam Habitu Chorali indutus, præterquam in Festo SS. Corporis Christi ad Solemnem Processionem, quia tunc Crucem deferens omnino amictu, alba, cingulo, & Tunicella indutus esse debet, licet non sit Ordine Subdiaconatûs insignitus, nam in ea Processione Solemni, omnes Sacris Paramentis ornati incedere tenentur.

3. Jmago Crucifixi in Cruce pendentis, semper terga vertere debet subsequentibus, quasi Christus præire videretur: ita probat *Gavant. P. 2. tit:* 13. *n.* 4. quod etiam clarè docet *Cærem: Papæ L.* 3. *sect:* 2. *c.* 20. Quod observandum est in progressu Processionis, jam vero si aliqua fieri debeat statio, tunc facies Crucifixi ad populum verti debet. Hæc delatio Crucis Processionalis æqualis esse debet, tam in Processionibus cum SS. Sacramento, quam sine eo, quamq; etiam in Processionibus defunctorum. Post Crucem procedere debent juniores FF. post eos seniores FF. post quos juniores PP. post hos seniores PP. & ita se disponant, ut qui est altero senior,

vel

vel dignior, semper à dextris incedat, qui verò junior, vel minus dignior, à sinistris locum habeat.

4. Procedunt in Processionibus omnes Religiosi pari passu, lento gressu, & æquali inter se servata distantia, duorum vel trium circiter passuum ab invicem, præsertim dum cum Candelis fit Processio, ne per ceram defluentem, alter alterius maculet vestes. Observent omnes æqualem distantiam lateralem inter se, ne forte alii nimis congregentur, alii nimis disgregentur. Et quantum fieri potest, qui incedunt ex una parte attendant diligenter, & modestè ad socios suos, ex altera parte procedentes, ne unus præcedat, & alius subsequi videatur, aut ne nimis sint vicini, vel nimis remoti, sed duas rectas lineas in longum ita efficiant, ut per medium tertius e. g. Magister Cæremoniarum incedere valeat. Quando contigit transeundum esse per angustiorem locum, junior, seu ille, qui sinistram tenet præcedit, & senior, seu dignior eum subsequitur, statimq; in loco ampliori, & magis spatioso, eodem modo, quo prius, se jungunt.

5. Si Processio fiat cum SS. Sacramento, & D. Abbas eidem adesse voluerit, nec tamen ipse celebret, ultimus post omnes incedet, ante Celebrantem, sed semper Ecclesiastica veste, scilicet: Mozzetta & Rochetto, & non camerali, aut alia veste indutus esse debet. In aliis vero Processionibus, ubi non defertur SS. Sacramentum post Celebrantem ordinarium habet locum, tanquam Episcopus, non minus tamen Ecclesiastica veste indutus, quam alias.

6. Cantores in medio regulariter procedere debent, ut ab omnibus audiantur; à quibus inchoantur: Hymni, Antiphonæ, Psalmi, Responsoria, Cantica, Lytaniæ, & alia hujusmodi, quæ cum inchoata fuerint, ab aliis continuantur. In Responsoriis verò, semper Versus, ab iisdem tantum Cantoribus præcinuntur, & fit à reliquis repetitio conveniens Responsoriis prolixis, quæ ibi per asteriscum notatur.

7. Religiosi deferentes Candelas accensas, seu intortitia in Processionibus, aut Ramos cum Libris Processionalibus, qui procedunt à dextris, Ramos, aut Candelas dextera deferant, & sinistra Libros. Qui autem à sinistris incedunt, contrario modo, videlicet sinistra Candelas, seu Ramos, & dextera Libros. Si vero tantum Ramos, aut Candelas, & non Libros in Processionibus deferunt, tunc alteram manum non impeditam, decenter infra pectus ponant, & ita ordinatè procedant, ut omnes eundem gestum, & actum observent.

8.

8. Non videtur conveniens, ut Celebrans, secundùm usum quarundam Ecclesiarum deferat ante pectus manibus suis aliquam Crucem, vel Instrumentum pacis, cum jam deferatur vel à Subdiacono, vel aliquo alio ante omnes, & sit in conspectu ipsius Celebrantis. Pariformiter videtur inconveniens, si idem Celebrans procedendo è Sacristia ad Altare, aliquam sacram functionem peracturus, aut revertendo ab Altari in Sacristiam, deferat similiter aliquam Crucem, vel Instrumentum pacis, hoc enim esset expresse contra Rubricam, quæ præcipit ut Celebrans junctis ante pectus manibus, & non habens impeditas manus, cum Ministris pariter junctas manus habentibus, procedat ad Altare, vel revertatur ab eo. Potest tamen in Lytaniis tantum Majoribus, & Minoribus deferre aliquas Reliquias, sicut & Sacri Ministri, propter usum in Regno Poloniæ *ex Synodo Provinc. Petricov.* receptum.

9. Transeuntes in Processione ante Altare, in quo asservatur SS. Sacramentum, omnes genuflectunt, & si in Missa ante aliquod Altare Sacra Hostia elevatur, manent omnes genuflexi, usq; ad depositionem Calicis inclusivè. Excipiuntur autem Ceroferarii cum Candelabris & Cereis accensis ad latera Crucis, & ille Subdiaconus, qui Crucem defert, qui nunquam prorsus genuflectunt, sed tantum permanent stando immobiles. Et hoc intelligendum est de Processionibus, quæ fiunt sine SS. Sacramento; nam cum eo nihil est respiciendum, sed directe procedendum sua via, & nulla facienda est statio: Et ideo monendi sunt Ministri, ut sub tempus qualiscunq; Processionis, sicut sub tempus Concionis, abstineant à pulsu Campanulæ tam ad elevationem, quam ad alia, propter quandam distractionem, tam Religiosorum, quam etiam populi.

10. Omnes extra Ecclesiam caput tegunt, etiam Ceroferarii si inclementia àëris ad id cogat, nisi forte SS. Sacramentum, aut insignis aliquá Reliquia deferatur, quia tunc omnes capite aperto incedere debent. Intra Ecclesiam ad Processionem, convenit, ut omnes sint nudo capite, etiam Diaconus, & Subdiaconus, excepto solo Celebrante. Hoc tamen notandum, quod in omnibus Processionibus Solemnibus Ministri Sacri debeant esse induti Dalmatica, & Tunicella, quidquid sit ex abusu, quia id requirit *Rubr: Miss: P. 1. tit: 19. n. 3.* Nunquam etiam deferuntur Manipuli, nisi Feria V. in Cæna Domini, quando proceditur *ad Mandatum*, & tunc soli Ministri Sacri deferunt Manipulos, quia Diaconus cantaturus est Evangelium; & Fe-

& Feria VI. in Parasceve, quando sacra Hostia defertur ad Altare, tunc enim omnes cum Manipulis incedere debent.

11. Redeunte Processione ad Altare, si tam Celebrans, quam Ministri mutare debeant sua paramenta propter alium Missæ Colorem, ut contingit in Festo Purificationis B. V. MARIÆ, Subdiaconus non deponit Crucem, sed retinet, processurus cum ea in Sacristiam. Si vero Ministrorum Paramenta non sunt mutanda, Subdiaconus Epistolæ deferens Crucem dum pervenit ad Altare, Crucem reponit in loco suo, prope Credentiam, & ipse accedit ad sinistram Celebrantis; Diaconus vero tunc, & non prius accedit ad dexteram illius, Finita Processione, si Celebrans cantaturus est aliquam Orationem, (quæ debet omnino dici una, vel plures, si non sequatur statim Missa) decantata Antiphonâ, & Versu, Subdiacono à sinistris Librum tenente, Celebrans decantat dictam Orationem, seu plures, cum brevi Conclusione, quia longior Conclusio Orationis convenit tantum in Missa, & Horis Canonicis.

Decreta S. R. C.

1. Reliquiam deferre in Processionibus pertinet ad superiorem Conventûs, unde Reliquia assumitur, qui cum Ministris paratis ultimo loco incedere debet; sed Regulares debent in dictis processionibus cedere digniorem locum Clero sæculari. S. R. C. 23. *Januarii* 1610. *in una Senogall. Montis Bodii, & 24. Septembris* 1605. *nec non* 19. *Aprilis* 1608. *in Firmana.*

2. In Processionibus Candelarum, Palmarum, & similium quæ fiunt per Ecclesiam sine SS. Sacramento, non est pulsanda campanula ad elevationem Hostiæ in Missa privata: quod si pulsetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum est utroq; genu, à transeuntibus ante Altare, ubi Missa celebratur, & deposito SS. Sacramento, progrediendum est; similiter si alii transeant in elevatione Calicis. S. R. C. 1. *Martii* 1681. *in una Canon: Reg: Lateran.*

3. Reliquiæ Sanctorum, quæ, deferuntur in Processionibus per Civitates, & oppida, non debent deferri sub baldachino. S. R. C. 23. *Martii* 1686. *in Calagurritana.*

4. Parochi, Capellani Confraternitatum, Sacerdotes aliique Ecclesiastici, qui cotta induti interveniunt Processionibus funeralibus, deferant, sicut in aliis Processionibus, birretum Sacerdotale, non verò pileum, excepto tempore pluviæ, & noctis,

prout

prout disponit *Rituale Romanum, tit: de Processionibus*, & ut sepe resolvit S. R. C. Quæ quidem pilei prohibitio non solum est pro Ecclesiastico sæculari, sed etiam pro Regulari, licet sint Parochi cotta induti. S. R. C. 13. *Septembris 1704. in Catanien: Confirm: à Clem. XI. 9. Decembris 1704. in Constit: quæ incipit: La Santita' di nostro signore.*

5. Presbyteri alicujus Ecclesiæ, intra limites propriæ Parochiæ non possunt propriam Crucem erigere, sed debent incedere sub Cruce Parochiæ, licet Parochia sit Regularium. S. R. C. 12. *Martii 1616. in una Urbis.*

6. Consvetudo deferendi Reliquiam SS. Crucis, manibus opertis velo ab humeris pendente, potest retineri. S. R. C. 16. *Septembris 1741. in Bracharen: Non tamen in Processi: cum SS. Sacram:*

7. In processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, vel Lignum Crucis, tam Clerus, quam sæculares detecto Capite incedere debent. In aliis vero Processionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ, vel statuæ Sanctorum, tunc sæculares, & Ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite, alii verò Clerici possunt incedere capite tecto, cum birreto. Quando vero non gestantur Reliquiæ, Magistratus ad instar Cleri potest incedere capite cooperto. S. R. C. 18. *Junii 1690. in Cajetana.*

CAPUT X.

De Benedictione Solemni D. Abbatis.

1. DUplex est forma dandi Benedictionem à Celebrante Pontificaliter Missam, juxta Ritum S. R. E. una post Concionem, seu sermonem, præmissâ a Diacono Evangelii Confessione generali, & hæc solis tantum convenit Episcopis, quia tunc de consensu Episcopi publicantur à Concionatore Indulgentiæ, quæ à solis Episcopis largiuntur; cum enim ex *Decr: Alexandri VII. P. M. 27. Septembris* 1659. §. 12. Indulgentias impertiri, vel publicare, absq; expresso S. sedis indulto DD. Abbates non valeant, ideoq; de tali Benedictione nihil videtur dicendum.

2. Altera forma benedictionis est, quæ datur in fine Missæ, id est dicto: *Placeat Tibi S. Trinitas*, & eam dare D. Abbas potest in Missis Solemnibus, quas celebrat Pontificaliter, non

tamen in Missis privatis, quia *Decr:* S, R. C. coram *Alexandro VII. P. M.* 27. *Septembris* 1659. §. 21. & declaratio dicti Decreti pro Congreg: Cassin. 12. *Junii* 1660. *ad* §. 21. ab eadem S. R. C. edita, atq; à præfato Alexandro VII. 20. *Julii* 1660. approbata, expresse prohibent. Idipsum declarat p. m. Benedictus XIV. P. M. in suis operibus præsertim *Lib: de Sacrificio Missæ*, ad quem benevolum Lectorem remitto.

3. Daturus itaq; in fine Missæ Benedictionem Solemnem D. Abbas, hanc servabit formam: Dicto videlicet: *Placeat Tibi S. Trinitas &c.* erectus D. Abbas consistit in medio Altaris, ubi, si non est expositum SS. Sacramentum, sumit Mitram, alias, absq; Mitra, pollice manus dextræ signat se in pectore, & canit: *Sit Nomen Domini benedictum*, sinistra interim infra pectus posita, juxta formam Missalis emendati, post editionem Cærem: Et dum à Choro respondetur: *Ex hoc nunc & usq; in sæculum*, utramq; manum retinet D. Abbas super Altare positam. Deinde dicens: *Adjutorium nostrum in Nomine Domini*, dextera signat se à fronte ad pectus, & à sinistro humero, in dextrum, tangens se in unoquoq; verbo; scilicet dum dicit: *Adjutorium*, tangit se in fronte, *nostrum* infra pectus, *in Nomine*, in sinistro humero, *Domini* in dextro. Et iterum ipsam manum dexteram super Altare ponit, donec à Choro respondeatur: *Qui fecit Cœlum, & terram.* Manus sinistra tunc, cum se dextera signat, infra pectus posita, & terminato signo Crucis, unà cum dextera super Altare ponit.

4. Elevat deinde oculos ad Cœlum, & manus, quas statim ante faciem jungit dicens: *Benedicat vos omnipotens DEUS*, & convertens se ad cornu Epistolæ, capit statim baculum Pastoralem sinistra, vertensq; se melius, ac canens *Pater* producit signum ✠ dextera supra populum ad latus Epistolæ genuflexum. Tum conversus recta ad populum dicit *& Filius*, producens signum ✠ dextera supra populum directè in medio Ecclesiæ genuflexum. Postea vertit se ad latus Evangelii ibiq; decantando, *Et Spiritus Sanctus* producit tertium ✠ signum eadem dextera sua supra populum ad cornu Evangelii genuflexum, perficitq; integrum circulum, & conversus ad Altare reddit Pedum, deponit Mitram, & dicit Evangelium S. Joannis, ut supra.

5. Si vero SS. Sacramentum sit publicæ venerationi in Altari expositum, sicut & Feria V. majoris hebdomadæ in Cœna Domini, tunc sine Mitra datur benedictio, propter reverentiam SS. Sacramenti. Ita *Cærem: Episc:* L. 2. c. 33. *Rubrica generalis, & omnes Sacrorum Rituum peritissimi explanatores.* Præterea

di-

dicta expositione permanente, non jam elevat D. Abbas oculos in Cœlum, sed ad idem Sanctissimum Sacramentum. Insuper durante altefata expositione, ad Benedictionem solemnem D. Abbas non perficit circulum, nec stat in medio Altaris, ut alias, ne terga vertat Sacramento, sed recedens aliquantulum ad latus Evangelii, convertit se ad populum, & ut supra, tenens sinistra Pedum, ter benedicit, sine Mitra. Data benedictione, eadem via, convertit se ad Altare, dimittit Pedum, legitq; Evangelium ultimum.

6. Notandum insuper est: quod nec Archidiaconus, nec Diaconus, nec alius Altaris Minister proferre debet hæc verba: *Humiliate capita vestra ad benedictionem*, antequam D. Abbas populo benedixerit, quia de hac Cæremonia, ac de his verbis, nec quidquam innuit aut *Cærem: Episc:* aut *Rit: Rom:* aut *Pontificale Rom:* Cum hæc verba magis convenirent in benedictione Episcopali, & tamen iis nullus utitur in S. R. E, nisi ex abusu, multomagis in dicta D. Abbatis benedictione solemni ab his abstinendum censeo, cum nihil sit innovandum juxta S. R. C. Decreta; Maximè quia nullus Rubricæ interpres, de his verbis, ullam facit mentionem, ideoq; abusus ille, ubi invaluit tollendus est omnino, & ubi necdum fuit, nullomodo admittendus.

7: Extra Missarum solemnia potest D. Abbas solemnem impertiri benedictionem modo, & forma simili, ut supra, in fine Vesperarum, seu Completorii, si ipsemet celebraverit Pontificaliter. Idem in fine Laudum, si ipsemet pariter Matutinum in Pontificalibus solemniter absolverit. Insuper si extra Missam, vel Vesperas aliquam Processionem Pontificaliter peregerit, ea finita, dare potest solemnem benedictionem. Deniq; est in usu, quando D. Abbas fecerit primum post suam benedictionem, in Ecclesiam Monasterii, ingressum, in loco scilicet suæ jurisdictionis, sive ad fundandam jurisdictionem; vel quando Ill: D. Præses Regiminis Congr: electus in Ecclesiam introductus fuerit, solemniter populo benedicere possint. Aliam autem benedictionem tanquam Episcopus in sua Diœcesi, nec per vias, nec in Processione, impertiri nullomodo, potest.

Decreta S: R: Congregationis.

1. Qui habet usum Mitræ, & insignium Pontificalium, in Missis etiam privatis benedicit cum ℣. *Sit nomen Domini &c.* non potest tamen benedicere populo, extra actum celebrationis. S.

R. C. 25. *Maii* 1624. *Hoc Decretum refertur à Gavanto in manuali Episcoporum, verbo* Benedictio, *num:* 22. *Verum tollitur ob aliud Decretum generale 27. Septembris 1659. emanatum, & ab Alexandro VII. P. M. approbatum, quod statuit: ut hujusmodi Prælati Episcopis inferiores, in Missis privatis quo ad indumenta, cæremonias &c. & benedictionis largitionem discrepare non debeant à simplici Sacerdote. Unde neq; uti possint illo* ℣. Sic Nomen Domini &c. *neq; trinas benedictiones facere, exceptis casibus supra expressis. Hæc habet P. Merati, & P. Baudry in Indice Decr: n. 99. P. Spiridion Talu per habentes usum Mitræ &c. intelligit Episcopos extra suam Diœcesim, non vero Prælatos Episcopo inferiores. Ut patet n. 190. pag: 22.*

2. Ad benedictionem Solemnem Episcopi, omnes etiam Magistratus Civitatis tenentur genuflectere, præter dignitates, & Canonicos Cathedrales. S. R. C. 21. *Martii 1676. in Ferentina, & 23. Martii 1641. in Imolen.*

3. Canonici, & Dignitates non tenentur ad benedictionem Episcopi genuflectere, sed tantum caput inclinare. S. R. C. 4. *Maii 1618. in Oscen.*

4. Prælati Episcopis inferiores Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Missis tantum Pontificalibus; nec non in Vesperis, & Matutinis pontificaliter itidem celebratis, possunt impertiri; privatim enim populis, quamvis pleno jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam Pontificalibus induti, per Ecclesiam incedentes, impertiri benedictionem præsumere non debent. S. R. C. 27. *Septembris 1659. in Decr: generali coram Alexandro VII.*

5. Præsente Episcopo, sine speciali Sedis Apostolicæ permissu, Prælati Episcopo inferiores, etiam Pontificaliter celebrantes, à benedictionibus cessare debent. S. R. C. 27. *Septembris 1659. in decr: generali coram Alex: VII.*

6. Ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè expositum non potest fieri Concio capite tecto, non obstante quacunq; contraria consvetudine, & abusus omnino est tollendus. S. R. C. 16. *Februarii 1630. in Belgica, & antea 28. Aprilis 1607. in Jiterden. & 9. Decembris 1622. in Giennen. approbantibus Clemente XI. Innocen: XI. Benedicto XIII. ac Clemente XII. in Constitut: 40. horarum quæ incipit:* Essendo state. 1. *Septembris 1736.*

7. Prælato Episcopis inferiori, vel cuicunq; alio gaudenti usu Pontificalium, non licet benedicere Concionatorem, qui Concionem sit habiturus, dum ipsemet Missarum solemnia pontificali modo peragit; quia post Concilium Tridentinum prohiben-

bentur hujusmodi benedictiones, etiam per decretum emanatum 27. *Septembris* 1659. circa usum Pontificalium. S. R. C. 12. *Junii* 1660. *in Mediolanen.*

8. Potest Episcopus cogere Sacerdotes sæculares, ut audiant Confessiones Sacramentales cum superpelliceo, & Stola, & Regulares cum Stola tantum. S. R. C. 28. *Augusti* 1628. *in Casertana. P. Spiridion Talu dicit: quod Stola illa debeat esse omnino Coloris Violacei, conformiter ad præscriptum Rit: Rom. de Pœnit: tit: 3. c. 1. n. 9.*

FINIS

PARTIS QUARTÆ.



PARS



PARS V.

De præcipuis Diebus, & Festis infra Annum occurentibus.

CAPUT I.

De Tempore Adventus.

1. IN Adventu Domini duo tantum sunt observanda, alterum est, quod non tantum in Ecclesiis Majoribus, videlicet Cathedralibus, & Collegiatis, sed etiam in Ecclesiis Regularium insignioribus, ut fatetur P. Merati, & P. Bauldry, ac Decreta S. R. C. supponunt, Diaconus, & Subdiaconus, in Missis de Dominica, vel Feria, non debeant uti Dalmatica, Tunicella, sed Planetis plicatis, excepta Dom: III. quæ dicitur *Gaudete*, in qua utuntur Dalmaticis. Alterum est, quod ab immemorabili tempore in Regno Poloniæ per totum Adventum canatur Missa Votiva de B. V, MARIA, quæ dicitur *Rorate* in Ecclesiis non tantum Majoribus, sed etiam in Ecclesiis omnium Regularium, ideo de utroq; nobis agendum erit.

2. Planetæ illæ, quibus tempore Adventus, & Quadragesimæ utuntur Diaconus, & Subdiaconus, sunt ejusdem formæ, & Coloris, ac illa Celebrantis, plicatæ tamen in parte anteriori, ad intra, usq; ad pectus debent esse, & aciculis, aut quibusdam vittis firmatæ, ne revolvantur. Finita autem Missa Conventuali, eædem aciculæ, aut vittæ solvi possunt, ut alii Sacerdotes iisdem Planetis uti valeant in celebrationibus Missarum. Eas vero Ministri sacri induunt, quando Celebrans est omnibus Paramentis sacris indutus, non ante.

3. In iis Planetis sumendis ac deponendis hic ordo servari debet: Subdiaconus eam deponit in aliquo loco congruo, ad id deputato, non omnino in credentia, in cornu tamen Epistolæ, adjuvante aliquo Acolytho, nec etiam in Alta-

Altari, paulo antequam accipiat Librum Epiſtolarum, & cantata Epiſtola, acceptaq; benedictione, à Celebrante, & reddito Libro miniſtro, eam reſumit, antequam transferat Miſſale Celebrantis, ad cornu Evangelii, in qua miniſtrat usq; ad finem Miſſæ.

4. Diaconus ſimiliter ſuam Planetam plicatam deponit eodem modo, & eodem loco, paulo antequam accipiat Librum Evangeliorum, & aſſumit aliam ſtolam latam, & longam latam ſere per cubitum, longam usq; ad latus Diaconi, eamq; imponit ſuper humerum ſiniſtrum, ſcilicet ſupra ſtolam communem, ut docet *P. Merati. P.* 4. *Tit.* 1. *n.* 4. quam ligabit chordulis ſub brachio dextro; ſicq; miniſtrabit Celebranti, usq; ad Communionem, qua peracta, poſtquam detulerit Miſſale ad cornu Epiſtolæ, accedet ad locum ſupradictum, deponet Stolam latiorem, reſumet Planetam plicatam, nec eam amplius deponet, niſi in Sacriſtia.

5. Miſſa verò Votiva de B. V. MARIA; inſtituta à Concilio Provinciali Petricovienſi, & à Paulo V. P. M. approbata, hoc toto tempore Adventus in Regno Poloniæ & M. D. L. etiam Dominicis, & Feſtis ſolemnibus celebrari poteſt, tamen poſt Primam, non ante, quia omnino iuxta Reg. Rubr. Miſſa Votiva non aliter dici poteſt, quam vel poſt Primam, vel poſt Nonam. Quali autem ritu dicta Miſſa Votiva *Rorate* peragenda ſit? abſtinendum cenſeo à meo ſenſu, ſola tantum Decreta S. R. C. cum explanatione nonnullorum Authorum, pro informatione ſat, ſufficienterq; emanata, & nonnulla dubia ab eadem S. R. C. reſoluta, hic inſerere, opportunum duxi.

Decreta S. *R. Congr: circa Planetas plicatas.*

1. Rubrica concedit uſus Planetarum complicatarum ante pectus, Diaconis, & Subdiaconis miniſtrantibus in Miſſa ſolemni, in Cathedralibus, & præcipuis Eccleſiis, in diebus ieiuniorum cum limitatione, ut ibi; in minoribus verò Eccleſiis, miniſtris prædictis dat tantum uſum Albæ, cum Manipulo Subdiacono, & cum ſtola, ac Manipulo Diacono S. R. C. 13. *Junii.* 1684. *in Angelopolitana.*

2. Teſte Joanne Alcozer in ſuo Cæremoniali, S. R. C. Conceſſit: Inſignioribus Regularium Eccleſiis uſum earundem Planetarum plicatarum. Imo: In Eccleſiis Parochialibus poſſe

adhi-

adhiberi tempore Quadragesimæ, & Adventus Planetas plicatas, declaravit S. R. C. 23. *Martii.* 1631. *in una Calaguritana.*
Excipiuntur autem dies, in quibus Ministri Sacri non utuntur Planetis plicatis, videlicet: Vigiliæ Sanctorum, Dominica III. Adventus, & IV. Quadragesimæ, Vigilia Nativitatis D. licet in Dominica occurrerit, Sabbato sancto in benedictione Cerei, quo ad Diaconum tantum, & in Missa etiam quo ad Subdiaconum, ac in Quatuor temporibus Pentecostes, nec non diebus Rogationum. In benedictione vero Candelarum, & processione, in die Purificationis B. V. Mariæ, & in benedictione Cinerum, ac in benedictione Palmarum & Processione, nec non in Dominicis I. II. & IV. Adventus, atq; I. II. III. Quadragesimæ cum Passionis, & Palmarum Dominicis possunt. & debent uti Planetis plicatis, vel in Albis ut supra. Ita testatur *P. Spiridion Talu*, *in ind: Decr: ad n.* 573 conformiter ad *Rubr: Miss. c. 19. n. 6.*

Decreta S. R. Congr: circa Missam Votivam Rorate *B. V. M.*

1. Ubi adest consvetudo immemorabilis cantandi singulis diebus immediate post Primam, Missam Votivam de B. V. MARIA, potest exceptis solemnioribus Festivitatibus D. N. J. C. tolerari, prout tolerat S. R. C. Et festa solemniora sunt, in quibus non toleratur hæc Missa: Dominica I. Adventus, Feria IV. Cinerum, Dominica I. Quadrag: Domin: Palmarum cum tota Hebdomada, Dominica Resurrectionis, & Pentecostes, cum duobus sequentibus diebus, die, Nativitatis Domini, Epiphaniæ; Ascensionis, Corporis Christi, & omnes dies, in quibus celebrari debet peculiare festum in honorem B. M. V. iuxta præscriptum in Calendario, ac dummodo diebus in quibus celebratur dicta Missa Votiva, præter eandem, celebretur etiam Missa Conventualis, seu diei festi currentis. S. R. C. 19. *Novembris* 1633. *in Vallisoletana Hispaniarum Congr: Ord: S. Benedicti.*

2. Missa Votiva de B. V. MARIA cum *Gloria*, & *Credo* sed sine Officio, potest celebrari in aliqua die ob publicam causam, & ratione concursus. S. R. C. 8. *Junii.* 1658. *in Claromont.*

3. In novem diebus ante Nativitatem Domini, ubi adest antiquissima consvetudo, vel concursus, potest decantari unica

ca Missa Votiva solemnis B. V. M. quamvis in ipsis occurrat Festum D. Thomæ Apost: & Dominica III. vel IV. Adventus, non omissa tamen Conventuali statuta hora decantanda. S. R. C. 28. *Septembris.* 1658. *in Agnen.*

Nota: *Votiva Solemnis.* id est cum *Gloria*, & *Credo* sine commemoratione festi, vel Dominicæ occurrentis, & cum Præfatione B. MARIÆ, & Evangelio S. Joannis in fine. Excipe diem Expectationis, ubi ex Indulto celebratur, in qua non votiva Missa, sed occurrens erit cantanda, cum commem: Feriæ, & Evangelio, si forte occurrat; quia cum Officio concordat. Ita explanat *P. Spiridion Talu. J. U. D. & SS. Rit: Prof: supra Num.* 347.

4. Missa Votiva de B. V. potest Celebrari in die Dominico ratione concursus populi. S. R. C. 20. *Novembris.* 1662. *in Aretina,* NB. die Dominico, *puta non privilegiato.* ex suprad: Auct:

5. Missa Votiva cantata de B. M. V. cum *Gloria* & *Credo* potest celebrari die Dominico causa Voti, vel alia causa. S. R. C. 16. *Junii* 1663. *in Rossanen.*

6. Jn Ecclesiis B. M. V. dicatis, seu aliis Sanctis, ubi adest immemorabilis consvetudo cantandi Missam Votivam de B. V. MARIA singulis Sabbatis, licite continuari potest, etiamsi occurrat Officium duplex, dummodo non omittatur suo tempore Missa Conventualis. S. R. C. 2. *Decembris.* 1684. *in una Can. Reg. Lateran.* Intellige tamen post Primam, vel post Nonam, *ut supponit Author supracit: ad Num.* 591.

7. Qui in Sabbato infra aliquam Octavam B. M. V. recitat Officium de aliquo Sancto, eo die occurrente, volens celebrare Missam Votivam de B. M. V. tenetur quidem dicere Missam festivam, cum *Gloria*, sed sine *Credo* S. R. C. 2. *Decembris* 1684. *in una Can. Reg.*

8. Qui in Sabbato recitat Officium de B. M. V. volens celebrare Missam Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere *Gloria*, neq; *præfationem* B. M. V. sed communem. S. R. C. 2. *Decembris* 1684. *in una Can. Reg: Lateran.*

9. Dum præter Missam Conventualem cantatur Missa Votiva ex fundatione, in hac Missa non debet fieri commemoratio Festi, de quo cantatur Missa Conventualis. S. R. C. 23. *Junii* 1736. *in Burgensi.*

10. In Missa Votiva quæ celebrari aliquando potest infra Octavam in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Vigiliis, & secunda Rogationum, 1. Oratio erit de Missa, 2.

de Gratia. 3. de feria, & non recitatur Evangelium Feriæ, sed initium S. Joannis. *In principio &c.* S. R. C. 23. *Junii 1736. in Einsidlen. Hoc Decr: intellige de Votiva privata.*

11. Tolerari potest Missa Votiva cantata B. M. V. toto tempore Adventus, ut in Polonia, exceptis solemnioribus Festivitatibus, dummodo cantetur sine Symbolo, etiamsi Missa occurrens illud exigat, & solum cum *Gloria in excelsis*, in Sabbatis, & infra Octavam ejusdem B. V. non omissa tamen Missa Conventuali. S R. C. 22. *Augusti 1744. in Cracovien.* Nota *sine Symbolo.* P. enim Spiridion Talu sic explicat: Excipe diem Festum quemcunq; B. M. V. & infra octavas, quando de ea fit Officium, nec non novem dies ante Nativitatem Domini, ubi adest consvetudo, vel concursus. Conform: *Rubr: Miss:* de Symbolo & superiori Decr: n. 3.

12. In Ecclesiis Minoribus ubi unica celebratur Missa, non potest omitti illa occurrentis festi de præcepto, ut cantetur dicta Votiva. S. R. C. 22. *Augusti 1744. in Cracovien:*

13. Etsi cum maxima solemnitate, & concursu populi, cantetur ab immemorabili tempore in Adventu Domini singulis diebus Missa Votiva Beatæ Mariæ Virg: quæ vocatur *Rorate* instituta etiam à Concilio Provinciali, ut est in Regno Poloniæ, à Paulo V. Papa approbato, non est tamen recensenda inter Missas Votivas pro re gravi, vel pro publica causa, sed haberi duntaxat poterit, ut mera populi devotio. S. R. C. 29. *Januarii 1752. in una Ord: Carmel. Discalceat. Prov. Polon.*

CAPUT II.

De Vigilia, & Festo Nativitatis D. N. J. C.

1. IN Vigilia Nativitatis Domini, solet etiam in nostra Congregatione Ben. Pol. Martyrologium solemniter decantari ad Primam, in quo Nativitas Christi annuntiatur. Convenit ergo, ut propter majorem solemnitatem, si Chorus fuerit prope Altare intra Ecclesiam, cantaturus Martyrologium, induatur superpelliceo, Stola, & Pluviali, col: Albi, ministrantibus duobus Ceroferariis lumen, & Thuriferario thuribulum cum incenso, procedat itaq; tempore suo ad Pulpitum, & ibi factis debitis Altari, & Choro reverentiis, imposito ac benedicto incenso ter incensabit librum Martyrologii, quemadmodum Librum

brum Evangeliorum, & poftea incipiet illud canere manibus ante pectus junctis, eodem modo, tono, & ordine, prout in dicto Martyrologio notatur. Ceroferarii interim hinc, inde, à lateribus ejus ftabunt, faciebus ad Altare verfis. Thuriferarius etiam poft Celebrantem permanebit ftans, continuo fumigando thuribulum.

2. Si vero Chorus fit extra Altare, vel fupra, decet, ut canens Martyrologium faltem Cuculla indutus, ftolam a collo pendentem habeat, coloris omnino Albi, fecundùm enim claffìcos Rubricistas, quemadmodum præconium Pafchale in colore Albo annunciatur, ita & Nativitatis Dominicæ Myfterium in eodem colore Albo annuntiari debet. Cantaturus itaq; dictum Martyrologium omnino debet effe Presbyter, & quidem fi poteft fieri de fuperioribus, vel fenioribus PP. unus, propter excellentiam Myfterii Incarnationis Dominicæ, quod annuntiat. Jlle tamen habeat vocis flexibilitatem, ac melodiam neceffe eft, propter variorum tonorum difcrepantiam, in fupradicto Martyrologio.

3. Interim omnes de Choro ftare tenentur faciebus ad invicem converfis; & dum altiori voce canitur: *In Bethlehem Judæ &c.* omnes in Choro præfentes, etiam ipfe Celebrans Cantor, genuflectunt, exceptis Ceroferariis, qui propter Officium fuum nunquam in fimilibus genuflectunt. Profequendo autem folemniori tono: *Nativitas Domini noftri JESU Chrifti fecundum carnem*, inclufive, facit Cantor aliquam repaufationem, & eo tempore vel ipfe recedit in Sacriftiam ad deponenda facra Paramenta, & alius Lector Chori terminat reliquum Martyrologii, vel etiam ipfe, facta aliqua paufa perficit in cantu congruo, folemni tamen dictum Martyrologium, quod magis conveniret. Et fub eadem paufa omnes in Choro præfentes confident in in locis fuis.

4. Miffa Vigiliæ Conventualis, quæ dicitur poft Nonam, omnino decantari debet in cantu Chorali abfq; Organis, & fi folemniter cum Miniftris facris peragatur, illi hac die non utentur Planetis plicatis, fed Dalmatica, & Tunicella, ut fupra innuimus. Vefperæ dicuntur folemniffimè, nihil tamen extraordinarium habent. Poft Vefperas Sacrifta præparat ad cornu Epiftolæ cujusq; Altaris penes candelabra, Vafa munda vitrea, & non Calices, pro ablutione digitorum, in primis duabus Miffis facienda: quodlibet Vas palla cooperiendo. Infuper paret Hoftiariam ad unumquodq; Altare, ut commode pro tribus Mif-

fis

fis Celebrans paratas habeat Hostias, & non transmittat pro iis ad Sacristiam tunc, cum opus fuerit.

5. Absente D. Abbate, P. Prior, vel alius, omnino tamen Superior Matutinum & Missam celebraturus, antequam Matutinum inchoabitur, faciat præparationem ad Missam, ne durante Officio eam cogatur peragere, vel omnes postea expectare contra Rubricæ præscriptum. Si autem D. Abbas præsens fuerit, alio modo se geret, celebraturus enim Matutinum & Missam, facta prius (si velit) confessione, supra Rochettum accipit Stolam, & Pluviale, tum Mitram, & Pedum, proceditq; ad inchoandum Matutinum eo modo, & ordine, ut supra dictum est P. 1. c. 18.

6. Et dum in III. Nocturno Chorus incipit recitare Cantica, duo Ceroferarii extendunt extremitates Pluvialis in gyrum, & servi D. Abbatis subeuntes fimbrias dicti Pluvialis imponent illi caligas, & Sandalia, & ministrante Capellano Librum apertum D. Abbas legit ex eo submissa voce, sedens in faldistorio Antiph: *Ne reminiscaris &c.* cum Psalmis *Quam dilecta &c.* ac aliis præparatoriis, ℣℣. & Orationibus. Advertat autem D. Abbas, ut tempus commode dispenset, scilicet non morosè recitet Psalmos, sed ita, ut finitis tribus canticis tertii Nocturni, pariter D. Abbas expediat lectionem Psalmorum, & Orationum prædictarum, ut præsto sit non impeditus ad Absolutionem: *A vinculis &c.* dicendam, dandamq; benedictionem ad Lectiones, ad quæ facilitas esse potest, si in III. Nocturno cum Antiphona sua cantica Canantur, & non plane recitentur.

7. Cantata Lectione IX. & inchoato Hymno, *Te DEUM laudamus.* D. Abbas aut recedit in Sacristiam sacra Paramenta sumpturus, aut parum descendens in planum de solio suo, deponit Pluviale, & Stolam, lavat manus, & induitur à Ministris Sacris paramentis Missalibus, scilicet: Amictu, Alba, Cingulo, Stola, Cruce pectorali, & Pluviali, stans in solio sine Mitra, expectat finem Hymni, & eo finito, accepta Mitra, ac Baculo Pastorali, descendit de sede, accedit ad legile, ibiq; facta Altari debita reverentia, ministrantibus ad latera aliis Ministris, deposita Mitra, junctisq; ante pectus manibus, canit Evangelium, quo finito, inchoat Hymnum: *Te decet laus &c.* adjungitq; Orationem diei, & ea finita canit *Dominus vobiscum*, ac statim imposita Mitra accedit vel ad sedem, vel in Sacristiam, ut cætera Pontificalia capiat indumenta, & tunc responso à Choro: *Et cum Spiritu tuo*, duo Cantores in tono solemni intonant *Benedicamus Domino*, & Chorus in eodem tono respondet *Deo gratias.*

8. In-

8. Interim D. Abbas in folio, vel in Sacristia deposito Pluviali, & Mitra, induitur Tunicella, & Dalmatica, tum sedens accipit Chirothecas, postea stans Planetam, & rursus sedens Mitram, atq; Annulum, & imposito, ac benedicto incenso procedit ad Altare pro Missa inchoanda, in qua omnia peraguntur, quæ supra P. 2. c. 1. exaravimus, nisi quod ad ℣. *Et incarnatus est,* in Symbolo; etiam D. Abbas in sede sua una cum aliis genuflectere tenetur.

9. In hac & 2da Missa Celebrans non sumit purificationem, sed hausto diligentius toto sangvine quantum fieri potest, collocat Calicem super corporale, eumq; statim Patena cooperit, nec illum amovet de Corporali, propter aliquas guttas sacrarum specierum, adhuc remanentes, sed Diaconus statim eundem Calicem obtegit velo parvo, & Celebrans dicta statim ad depositionem Calicis Oratione: *Quod ore sumpsimus &c.* recedit parum ad cornu Epistolæ, ubi in vase præparato vitreo abluit digitos, dicendo *Corpus tuum Domine &c.* quam ablutionem contectam palla aliqua relinquit in Altari. Caveat autem Celebrans, tam ille qui in Nocte Celebrat, quam qui in Aurora, aut alius quisquis 1mam & 2dam Missam privatam celebraturus, ne purificet Calicem, neq; digitis extergat labia sua, aut Calicis, sed ea omnia expedite observet, quæ ex Rubrica hujus diei, sunt exarata.

10. Ne autem, Calix ille, impediat incensationem Altaris, in Laudibus, potest per Diaconum, vel alium Sacerdotem cautè asportari in Sacristiam, ubi subposito corporali in loco tuto servetur, ne per ignorantiam à quoquam tangatur, & pro vacuo à Celebrante alio reputetur. Pro Missa 2da solemni idem Calix apponatur in Altari, non tamen sine subposito Corporali. Caveat autem Subdiaconus in 2da, & 3tia Missa, sive alius Celebrans privatus, pariter in 2da, & tertia Missa, ne, volens infundere vinum & aquam, pro Oblatione, extergat Calicem, sed ad extremitatem corporalis, non tamen extra illud, Diaconus ipse in Missa solemni infundat vinum, & aquam cautissimè, ne intus guttis conspergatur Calix, quod si fieri contingat, potius paulatim agitetur vinum infusum, ut simul capiat guttas dispersas, quam ut extergantur, propter sacras Species Sangvinis necdum exsiccatas. Quod etiam in Missis privatis, à quoquam Sacerdote, 3. Missas Celebraturo, observandum erit.

11. Finita Missa 1ma in Galli cantu à D. Abbate, vel alio Superiore, expectat Chorus donec Celebrans deposita Casula,

fula, & Manipulo, capiat Pluviale, ficq; conſtitutus D. Abbas in ſede abſolute incipit Laudes intonando *Deus in adjutorium meum intende*, quas etiam proſequitur de more, incenſat ad *Benedictus* Altare, Ipſeq, Chorus, & Miniſtri thurificantur, ut in Veſperis. Hoc tamen notandum ſupereſt, quod finita 1ma Miſſa, antequam incipiat Laudes, D. Abbas non tantum Planetam, & Manipulum, verum Dalmaticam, & Tunicellam deponere debet. Tum finitis Laudibus non datur benedictio tunc ſolemnis, cum modo in Miſſa data fuerit. 2da Miſſa dicitur ſolemnis etiam, in Aurora poſt horam Primam Canonicam, non ante. 3tia quoq; Miſſa pariter ſolemnis omnino poſt Tertiam, & non poſt Nonam decantari debet, ne ex oppoſito violetur à nobis Rubrica Miſſalis, & Brev.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Epiſcopus ad Matutinum in nocte Nativitatis D. poteſt ſedere vel in ſede Chori, vel in ſede Epiſcopali prout melius ſibi videbitur, & magis populo ſatisfacit. S. R. C. 15. *Martii* 1608. *in Alexandrina. Idem ſentiendum de D. Abbate in loco ſuæ juriſdictionis.*

2. Jn nocte Nativitatis D. poſt cantatam primam Miſſam, nullomodo poſſunt aliæ duæ immediate celebrari, nec fideles communicari. S. R. C. 20, *Aprilis*, & 7. *Decembris* 1641. *in Piſauren.* 15. *Septembris* 1668. *in Januen.* 22. *Novembris.* 1681. *in Lucana.* & 20. *Julii* 1686. *in Angelopolitana.*

3. Præceptum, quod in nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam non poſſint ſucceſſivè aliæ duæ Miſſæ celebrari, nec Communio exhiberi Euhariſtiæ fidelibus depoſcentibus, ligat etiam omnes Regulares, tum Ordinum mendicantium, tum Congregationum Monachalium, tum omnes cujuscunq; alterius inſtituti, etiam ſpeciali mentione nominandi. Neq; poſſunt excipi in Eccleſia Confeſſiones, maximè Mulierum, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſt, ut illuceſcat Aurora, tam pro Confeſſionibus mulierum excipiendis, quam pro Euchariſtia miniſtranda fidelibus utriuſque ſexûs. S. R. C. 23. *Martii.* 1686. *in Senen.* & 15. *Septembris.* 1668. *in Januen.*

4. Jn Natali Domini in tribus Miſſis poſt ſumptionem Sangvinis eundo. & redeundo in medium Altaris, non eſt facienda genuflexio, vertendo ſe Celebrans ad *Dominus vobiſcum.*

&

& ad dandam benedictionem, debet renes vertere ad Altare, licet species vini non sint exsiccatæ in Calice, & serventur Rubricæ Miss. Rom. de ritibus servandis in celebratione Missarum. 11, & 12. n. 2. S. R. C. 20. *Julii 1686. in Angenopolitana.*

5. Jn prima, & secunda Missa, quæ celebratur in die Festo Nativitatis D. N. J. C. non debet fieri purificatio Calicis. S. R. C. 16. *Septembris. 1702. in una Regni Portugaliæ.*

6. Jnfra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Missæ Votivæ, vel pro Defunctis. Jn Missis verò solemnibus pro re gravi infra eandem Octavam celebrandis, dicenda est præfatio juxta Rubricam generalem tit: 12. n. 4. S. R. C. 25. *Septembris 1706. & denuo ab eadem demandatum 15. Septembris 1714. annuente Clemente XI. 29. ejusdem.*

7. Jn Vigilia Epiphaniæ Missæ Votivæ, Defunctorum celebrari non possunt. S. R. C. 10. *Decembris 1718. in Æsina. & 16. Septembris. 1730. in una Ord. Hierosolimitani.*

C A P U T III.

De Festo Purificationis B. V. MARIÆ.

1. FEsto die Purificationis B. V. MARIÆ, de benedictione, & distributione Candelarum, atq; de Processione, sufficienter Rubr. Miss: Rom. seu Monast. instruit, quæ cum debita attentione legenda est, ut cuncta fiant ordinatè, & omnis vitetur confusio. Nonnulla tamen, præsertim pro Pontificalium hac die exercitio sunt annotanda.

2. Finita Tertia, parat se D. Abbas Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, & Stola, ac Pluviali violacei coloris, absq; Sandaliis, & Chirothecis, & acceptis Mitra simplici, & Baculo Pastorali, procedit cum Ministris ad Altare, ubi facta debita reverentia, accedit ad sedem suam. ibiq; deposita Mitra, stans manibus junctis versus Altare, incipit benedictionem Candelarum, quæ, prope sedem D. Abbatis, inter eum & Altare, in aliqua parva mensa, mappa munda cooperta, reponi debent, ministrante Missale Capellano de Libro, ita commode, ut ad benedicendum nullum habeat impedimentum.

3.

3. Cum vero inceperit D. Abbas hanc Orationem recitare: *Domine JESU Christe, qui hodierna die* &c: Thuriferarius cum thuribulo, & navicula, & Minister cum vase Aquæ benedictæ, factis debitis Altari, & D. Abbati reverentiis, accedunt ad sedem, ibiq; quasi ad sinistram D. Abbatis expectant finem dictæ orationis. Ipse verò D. Abbas finitis orationibus sedens cum Mitra, imponit, & benedicit more solito incensum in Thuribulo, ministrante Naviculam Archidiacono, vel in defectu ejus Diacono. Postea D. Abbas deposita Mitra surgit, ter aspergit & incensat præparatos Cereos. His peractis accedit ad sedem D. Abbatis P. Prior, cum debitis reverentiis Altari, & Prælato, & accipit de manu Diaconi, seu Sacristæ elegantiorem & majorem Candelam, quam deosculatam stando porrigit D. Abbati, manum pariter ipsius deosculando.

4. D. Abbas, facta aspersione, & incensatione candelarum sedet, acceptaq; Mitra, recipit à P. Priore candelam, eam tradit Capellano de Libro retinendam. Interim Ceroferarii accedentes ad Sedem D. Abbatis, extendunt Tobaleam mundam supra gremium ejus, sicq; extensam tenent, donec finiatur distributio Candelarum, & ita commodè se locant, ut non impediant cæteros Ministros.

5. Deinde P. Priori omnino genuflexo D. Abbas porrigit aliam Candelam, à Diacono acceptam, & ille manum prius, postea Cereum osculatur, quod & omnes facere tenentur, genuflexi etiam. Tum accedit Archidiaconus, (si ministrat) & ille genuflexus cum debitis osculis recipit Candelam: post quem Sacri Ministri pariter genuflexi cum osculis recipiunt Cereos, tandem ordine suo Religiosi incipiendo à Senioribus, consequenter usq; Novitios, omnes genuflexi recipiunt benedictos Cereos de manu D. Abbatis cum debitis manûs prius, & postea candelæ osculis. Interim cantatur à Choro Antiph. *Lumen ad revelationem* &c: & non intermittitur, prius quam finita distributio Candelarum.

6. Distributis Candelis, D. Abbas sedens adhuc cum Mitra lavat, & tergit manus, postea deposita Mitra surgit, & cantat Orationem *Exaudi* &c: erga Altare conversus, ut in Miss: collucentibus tunc Acolythis cum suis Cereis, ut ad Orationem Vesperarum. Hoc facto D. Abbas sedet & accepta Mitra imponit, & benedicit incensum, & tunc Diaconus conversus ad populum ante Altare canit: *Procedamus in pace*, & responso à Choro: *In Nomine Christi Amen*, ordinatur Processio,

ceſſio, eo quo ſupra dictum eſt modo, & juxta hujus diei Rubr: Procedit itaq; D. Abbas ultimus omnium, medius inter Archidiaconum à dextris & Diaconum à ſiniſtris, tenens dextera ſua Cereum accenſum, & ſiniſtra Baculum, non enim in Proceſſione ut Epiſcopus benedicere poteſt. Prædicti Miniſtri elevant fimbrias anteriores Pluvialis, quilibet à parte ſua una manu, & altera Cereos ſuſtentant, videlicet: Archidiaconus ſiniſtra fimbriam Pluvialis, & dextera Candelam, Diaconus vero è contra, videlicet dextera fimbriam Pluvialis, & ſiniſtra Cereum portat.

7. Interea dum fit Proceſſio, ſi D. Abbas non velit Celebrare Miſsam, aliquis ex PP. Senioribus Miſsam celebraturus capit paramenta convenientia, ſcilicet Albi coloris, niſi cadat dictum Feſtum in aliquam Dominicam Privilegiatam, quia tunc Violacei coloris. Et D. Abbas in fine Proceſſionis cum pervenerit ad Altare ante infimum gradum, facta Altari debita reverentia, revertitur in Sacriſtiam, ubi deponit ſacra Paramenta, & indutus Rochetto, & Mozzetta aſſiſtit Miſsæ. Miniſtri verò Sacri mutant Paramenta, ſi ſint mutanda.

8. Quod ſi D. Abbas velit ipſe celebrare, accedens ad Sacriſtiam, depoſito Pluviali, conſidet in faldiſtorio, accipit caligas & Sandalia, tum Stolam Violaceam mutat in Albam, ſumit Tunicellam, & Dalmaticam, poſtea Chirothecas, Planetam, Mitram, & Annulum, impoſitoq; ac benedicto incenſo, procedit ad Miſsam celebrandam.

9. Jn reliquo omnia exacte ſerventur, quæcunq; Rubrum Miſſalis præſcribit, præſertim, ſi D. Abbas tantum aſſiſtat Miſſæ, ipſe, & omnes in Choro præſentes teneant Candelas accenſas toto tempore Evangelii, & iterum ad elevationem SS. Sacramenti, usq; ad ſumptionem SS. Sangvinis, aut ſi Religioſi, vel Sæculares communicabunt, usq; ad finem communionis eorum. Quando vero dicitur Miſsa de Dominica, tunc cerei nec accenduntur, nec in manibus tenentur.

Decreta S. R. Congr.

1. Benedictio Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ ſimiles actiones quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente vel impedito ad primam dignitatem, non vero ad Heb-

domadarium pertinent. S. R. C. 21. *Martii* 1609. *in Pisauren.* & 25. *Junii* 1611. *in Civitaten. seu S. Severini.*

2. Dignior è Clero à quo Celebrans in diebus; Purificationis, Cinerum, & Palmarum recipit Candelam, Cineres, Palmam, debet accedere ad Altare sine stola, & genuflexus sicut alii recipere Candelam, Cineres, Palmam à Celebrante, & osculari manum Celebrantis porrigentis Candelam, & Palmam. S. R. C. 14. *Februarii* 1705. *in una Capuc. Galliæ.*

3. Benedictio ac distributio Candelarum, & Palmarum, regulariter potest fieri in omnibus Ecclesiis, tam Collegiatis, quam Parochialibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus. S. R. C. 28. *Aprilis* 1607. *in Osten.*

4. Prima dignitas det Candelam Episcopo in Festo Purificationis B. M. V. & Episcopus det statim primæ dignitati, ante Vicarium Generalem S. R. C. 14. *Junii.* 1608. & 28. *Maii.* 1616.

CAPUT IV.

De Feria Quarta Cinerum.

1. DE hac Feria, cum habeatur specialis Rubrica in Miss: Rom: expressa circa benedictionem, & distributionem Cinerum, supervacaneum agere seorsivè censeremus; sed si D. Abbas præsens adesset in Monasterio, & ipse vellet cineres benedicere, aliqua supersunt, ad debitum ordinem, absq; ulla perturbatione peragendum, annotanda. Imprimis tamen ille, qui celebraturus est Missam dictæ Feriæ IV. paret se sacris Paramentis tempestivè, expectetq; adventum D. Abbatis, similiter & Ministri, qui uti possunt Planetis plicatis ante pectus, quinimo deberent.

2. Veniens itaq; D. Abbas post Nonam, induit se Amictu, Alba, Cingulo, & Stola Violacei coloris, similiq; Pluviali, & accepta Mitra simplici, ac Pedo, accedit ad infimum Altaris gradum cum Ministris, ubi facta Altari debita reverentia, accedit ad sedem suam ibiq; sedet. Celebrans autem tempestivè exiens, a latere Epistolæ sedet in scamno, qui adveniente D. Abbate ad gradus Altaris surgit, & manet stans tamdiu, quamdiu Prælatus non pervenerit ad sedem suam, ibiq; toto tempore benedictionis sedet in dicto scamno.

3.

3. D. Abbate confidente in fede fua, Subdiaconus accedens ad Altare, accipit pelviculam cum Cineribus aridis præparatis, eamq; defert ante D. Abbatem, ftanfq; ante eum, tenet ambabus manibus dictos cineres, nec fe movet de loco, priufquam finiatur benedictio. D. vero Abbas, accedente Capellano de Libro, miniftrante à dextris Diacono, fedens cum Mitra legit Antiph: *Exaudi nos Domine &c.* Choro eam interim decantante. Qua cum Pfalmo repetita à Choro, depofita Mitra furgit, & dicit: *Dominus vobifcum,* tum *Oremus*, adjungitq; Orationes in Miffali expreffas.

4. Finitis Orationibus, & advenientibus Thuriferario cum thuribulo, & Navicula incenfi, ac Miniftro Aquæ benedictæ, fedet, & impofita Mitra, miniftrante Naviculam Diacono, imponit, & benedicit thus, poftea depofita Mitra, furgit, afpergit ter cineres, ac ter incenfat. His peractis D. Abbas fedet fine Mitra, interim accedit Officians, & ftans D. Abbati fedenti in fede fua, præmiffa debita reverentia, imponit cineres eidem dicens: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

5. Accepto Cinere D. Abbas, accipit & Mitram, & fedens diftribuit Cineres, imprimis Celebranti ftanti, inclinato tamen capite, eoq; recedente ad fuum locum, accedunt per ordinem primum SS. Miniftri, deinde Religiofi a majori ufq; ad minimum, demum miniftri inferiores fuo ordine. Quia verò fæculares perfonæ fi accederent ad fedem, magnum facerent tumultum, ideoq; potius D. Abbas accedet cum Mitra ad Cancellos, ubi unicuiq; diftribuet dictos Cineres, dicens continuò: *Memento homo &c.* ut notatur in *Rubr. Miff. Rom:* Choro interim cantante ℟℟. *Immutemur habitu* &c. *Inter Veftibulum* &c. *Emendemus* &c.

6. Meminerint tamen Ceroferarii, quia ficut Cap: præc: dictum eft quod debeant Tobaleam extenfam tenere fupra gremium D. Abbatis, quoufq; non finierit diftributionem Candelarum, ita pariter hac die debent extenfam fuftentare Tobaleam, quoufq; in fede non terminaverit D. Abbas impofitionem Cinerum.

7. Diftributis Cineribus D. Abbas accedit ad fedem fuam, ibiq; fedendo cum Mitra lavat manus, extergitq; mica Panis digitos fuos, fi opus eft. Mox depofita Mitra furgit, & junctis manibus, cantat *Dominus vobifcum*, & *Oremus. Concede nobis Domine &c.* ad quam more folito accedunt Ceroferarii cum Cereis accenfis, qui finita Oratione difcedunt ad Altare.

8. Quibus expeditis Ministri sacri accedunt ad Celebrantem, & Missa inchoatur, D. Abbas verò cum reliquis Ministris revertitur in sacristiam, ibiq; deponit Sacra Paramenta, recediτq; in Chorum ad stallum suum, ut assistat Missæ Conventuali, quæ peragitur ordinariè, ut in Missali notatur.

9. Hac die Processio fieri nullatenus in Ecclesiis Regularium debet, quia nullum est fundamentum talis Processionis in Missali tam Rom: quam Monast: adeoq; ad illam non tenentur Regulares. Et licet præscribat Rituale pro Regno Poloniæ, quod de mandato Synodi Prov: Petricov: editum est, illud tamen non obstringit Monasteria Regularium, sed Ecclesias Parochiales tantum; alias ex ea ratione teneremur quolibet Die Dominico juxta illud Rituale peragere Processiones, quæ peraguntur in Ecclesiis Parochialibus, pluresq; alias Cæremonias, quæ & contra Rubr: general: essent, & illæ à nobis alienæ esse deberent. Maxime cum Rubr: Miss: Rom: & Monast: nobis præscribat simpliciter post ultimam Orationem. *Deinde dicitur Missa*, & nihil quidquam innuit de Processione. Insuper *Cærem: Monast: Ben Rom: L. 3. c. 9. n. 7.* aliaq; Cæremonialia, tam *Bavar.* quam *Congr: Montis Serrati in Hisp:* nullam de tali actu Processionis faciunt mentionem.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Cineres distribuendi in Feria IV. post Dominicam Quinquagesimæ debent esse aridi. S. R. C. 23. *Maii* 1603.

2. Cineres Episcopo ministrare Feria IV. Cinerum non ad primam dignitatem, sed ad Canonicum ea die celebrantem pertinet. S. R. C. 28. *Maii* 1616.

3. Celebrans qui cineres distribuit, Candelas, & Ramos, detecto capite stet. S. R. C. 28. *Julii* 1626. *in Piertina.*

4. Absente Episcopo benedictiones Cinerum, Candelarum, Palmarum, & Fontis, fiat per Celebrantem. S. R. C. 12. *Junii* 1627. *in Brundusina.*

5. Benedictio publica sacrorum Cinerum facienda in Feria IV. post Dominicam Quinquagesimæ, non potest fieri post Tertiam, sed servandæ sunt Rubricæ, in quibus præscribitur post Nonam. S. R. C. 22. *Januarii* 1701. *in una Camald: Mont: Coronæ*, & iterum 19. *Januarii* 1743. *in una Congr: Camald: Mont: Cor:*

6. Mis-

6. Missa Conventualis de Festo, seu de Feria currenti omnino cantanda est, non obstante quacunq; contraria consvetudine. S. R. C. 28. *Januarii 1612. in Oscen:*

Benedictus vero XIV. P. M. decrevit: ut applicetur pro Benefactoribus in genere, in omnibus Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & insignioribus Regularibus Ecclesiis, non obstante quavis, licet immemorabili consvetudine, in contrarium. Et non tantum de una, sed etiam de secunda, vel tertia, si forte ex Rubricis Missalis teneantur celebrare, statuit, cum hac tamen moderatione, quod consvetudo in contrarium stare possit, quo ad secundam, & tertiam duntaxat, dummodo eorum benefactorum non obliviscantur in commemoratione defunctorum omnium. Const: quæ incipit, *Cum semper: die 19. Augusti 1744. emanata, ut testatur P. Talu.*

7. Non potest omitti altera ex duabus Missis cantandis de Festo, & de Feria. S. R. C. 16. *Maii 1626. in Burgen.*

8. Missa Conventualis de Feria in Cathedralibus, & Collegiatis, (ac insignioribus Regularibus) omnino est dicenda ultra Missam Festi, & abusus sunt reformandi. S. R. C. 16. *Januarii 1627. in una Abusus reformandi.*

9. Missa Conventualis de Feria in Quadragesima & Adventu nullomodo potest omitti, quando in eis etiam cadat festum alicujus Sancti, non obstante contraria consvetudine. S. R. C. 24. *Novembris 1635. in Gallien.*

P. Spiridion Talu supra dictum Decr: sic explicat: In Quadragesima Missa de Feria semper dicenda, in Adventu vero, diebus Quatuor Temporum, & Vigiliis occurrentibus, in quibus præeligitur Missa de Vigilia cum commemoratione Feriæ Adventûs, Vigilia tamen Nativitatis excepta. Ita sentit *Rubr: Miss: de Feria, & Vigilia n.* 2. In Vigiliis etiam per Annum. Quatuor temporibus, & Feria secunda Rogationum, duæ, vel tres Missæ sunt cantandæ temporibus suis, ut suprad: *Rubr: Gener: loc: cit:* declarat.

10. In Missa solemni de Feria commemoratio non est facienda de Sancto semiduplici occurrente, cujus Missa pariter cantanda est, absque commemoratione Feriæ, & in utriusq; Missis tempore Passionis dicenda est tantum secunda Oratio *Ecclesiæ* vel *pro Papa*, ut docet Gavantus. In Missis autem privatis de festo semiduplici, cum sit clara dispositio *Rubr: IX. de Oratione* n. 5. dicenda est secunda Oratio *de feria*, tertia *Ecclesiæ*, vel *pro Papa;* de simplici vero facienda est commemoratio juxta eandem Rubricam. S. R. C. 10. *Januarii 1693. in una Galliarum.*

11.

11. In Dominicis Adventus & Quadragesimæ, in quibus fit de Festo duplici primæ Classis, non sunt cantandæ duæ Missæ. S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.* *Multominus in Dominicis post Epiphaniam, post Pascha, & post Pentecosten.*

12. Quadragesimæ, Adventus, & Vigiliarum temporibus, nec non in diebus Rogationum, occurrente aliquo Festo duplici, vel semiduplici, non licet post Primam celebrare Missam prædictarum Feriarum, sed servandæ sunt Rubricæ, quæ præscribunt post Nonam. S. R. C. 22. *Januarii* 1701. *in una Camaldul. Mont. Cor.*

13. Quando juxta Rubricas Missalis in Feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, ac Vigiliarum præscribuntur duæ Missæ cantatæ, in Cathedralibus, & Collegiatis, (idem pariter in insignioribus Regularibus) una de Festo post Tertiam, altera de Feria post Nonam; An propter insufficientiam temporis, ratione multarum Votivarum cantandarum possit una ex his duabus substitui lecta? pro cantata, & quæ potius? an de Festo post Tertiam? an de Feria post Nonam? Responsum fuit: Non posse omitti alteram ex his duabus Missis cantandis. S. R. C. 22. *Decembris* 1753. *in una Vilnen: in Lithvan.*

14. An toleranda sit consvetudo cantandi unicam Missam, aliamq; legendi iis diebus, quibus à Rubrica duæ præcipiuntur Missæ? Responsum fuit Negativè. S. R. C. 14. *Aprilis* 1753. *in Conimbricen.*

15. In primis Vesperis Dominicæ Passionis, non solum Cruces, & Imagines Salvatoris, sed etiam Jcones Altarium, & omnes Jmagines Sanctorum tegi debent. S. R. C. 4. *Augusti* 1663. *in una Dalmatiarum.*

16. In Missis Ferialibus quæ contingunt à Dominica Passionis ad Feriam V. Cœnæ Domini, si facienda obveniat commemoratio de Festo simplici, omittenda est tertia Oratio, quæ pro secunda assignatur, in Missali, nempe *Ecclesiæ*, vel pro *Papa*. S. R. C. 22. *Novembris* 1659. *in una Rubricarum*, & 10. *Januarii* 1693. *in una Galliarum.* ac 4. *Maii* 1709. *in Pistorien:* atq; 15. *Septembris* 1736. *in una Rubricarum.*

17. Sabbato Passionis debent velari Imagines, & Cruces, etiamsi occurrat eo die Festum Sancti Titularis, vel Patroni Ecclesiæ. S. R. C. 16. *Novembris* 1649. *in Januen.*

18. Imagines, & Cruces detegi non debent etiamsi in Hebdomada Passionis occurrat Festum Sancti Titularis, aut Dedicationis Ecclesiæ. S. R. C. 16. *Novembris* 1649. *in Januen.*

19.

19. Velum quo cooperitur Crux in Altari semper debet esse Coloris Violacei, & nunquam etiam in Feria V. in Cœna Domini est mutandum. S. R. C. 16. *Novembris*. 1649. *in Januer.*

CAPUT V.

De Dominica Palmarum.

1. DE Officio hujus Dominicæ multa essent inhuenda, nisi Rubr: Miss. Rom: emendati sufficenter instrueret, nonnulla tamen supersunt resolvenda specialiter, & quidem quod Crux Processionalis velo violaceo omnino contegi debet in cujus summitate paretur vitta violacei coloris ad ligandum ramum palmarum post benedictionem, hæc tamen Crux antequam benedictio Palmarum inchoabitur, à latere Epistolæ prope Altare constitui debet, ut commodius à Subdiacono sumatur ad Processionem.

2. Si D. Abbas benedicere Ramos Olivarum voluerit, dicta Hora Tertia Canonica, veniet in Sacristiam in veste Ecclesiastica, ibiq; indutus Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, & Stola, ac Pluviali Violacei Coloris, impositaq; Mitra simplici, & accepto Pedo, procedet ad Altare, ubi facta debita reverentia, accedet ad sedem suam, & sedendo cum Mitra legit Antyph. *Hosanna* &c: quam Chorus in cantu prosequitur. Interim in Credentia quæ erit prope sedem D. Abbatis versus Altare præparantur Rami Palmarum ad benedicendum.

3. Finitâ à Choro Antiph: D. Abbas deposita Mitra, erigit se, & stans decantat Orationem: *Deus quem diligere* &c: qua finita, sedet sub Mitra, & legit Lectionem *Libri Exodi* quam Subdiaconus cantat, in loco suo, ut moris est, legit quoq; pro Graduali ℟℟. admittit Subdiaconum cum Libro ad osculum manus, & deposita Mitra surgit, dicit. *Munda Cor meum &c:* legit Evangelium, & eo finito sedens cum Mitra imponit, & benedicit incensum, ut alias in Missa. ac Diacono pro decantando Evangelio dat consuetam benedictionem.

4. Diaconus dum incipit decantare Evangelium, D. Abbas deposita Mitra surgit, pedum inter manus junctas tenens, stat ad finem, quo finito, Librum osculatur, & ab Archidiacono

no (si inservit) incensatur, alias à Diacono Evang. Mox stans sine Mitra inchoat benedictionem Palmarum, cantendo omnes Orationes in tono feriali, manibus semper junctis, etiam ad præfationem, & nec ad *oremus* disjungit manus, sed tantum versus Altare inclinat Caput, quod & in omnibus aliis benedictionibus servandum erit.

5. Dum post Præfationem 5ta Oratio terminatur, Thuriferarius cum Thuribulo & Navicula, ac Minister de vase Aquæ lustralis, cum debitis reverentiis accedunt ad sedem D. Abbatis, dicta oratione finita Prælatus sedet cum Mitra, imponit, ac benedicit incensum, aspergit aqua lustrali, ac ter incensat Ramos Olivarum, jam stans sine Mitra, & postea adhuc unam decantat Orationem, qua completa sedet, & Mitram resumit.

6. Interim P. Prior, vel in ejus absentia Senior de Communitate in Habitu Chorali scilicet Cucullatus, accedit ad sedem D. Abbatis, cum debitis reverentiis, ibiq; acceptum ab Archidiacono, vel Diacono Ramum pulchre ornatum, stans tradit eum cum osculo illius prius, & postea manus D. Abbatis. Qui D. Abbas recipiendo Ramum, eum tantum osculatur, (idem dicendum de Candela in die Purificationis B. M. V.) & tradit Capellano de Libro custodiendum. Ministrante vero P. Sacrista alios Ramos, distribuit cæteris, & quidem 1. P. Priori, 2. Archidiacono. 3. SS. Ministris, 4. Patribus, & Fratribus per ordinem venientibus, 5. reliquis Altaris Ministris, quilibet autem supradictorum recipiendo Ramum genuflectit, & osculatur prius manum D. Abbatis, deinde Ramum. Chorus verò interim canit Antiph: *Pueri Hebræorum* &c: alternatim, quousq; non finiatur dicta distributio Palmarum.

7. Distributis Ramis Palmarum, D. Abbas lavat manus, & extergit more consueto, tum accedunt ad eum Ceroferarii cum Cereis accensis, ministrantq; ad Orationem sicut supra dictum est. D. autem Abbas deposita Mitra surgit, & cantat in tono Feriali orationem: *Omnipotens* &c: qua finita sedet, capit Mitram, ponit incensum in Thuribulum, ac benedicit. Diaconus stans ante Altare in 2. gradu, Conversus ad populum decantat: *Procedamus in pace*, & Chorus respondet *In nomine Christi Amen.* Subdiaconus interim capit Crucem Processionalem, cujus summitati tempestive Cæremoniarius, vel Sacrista Ramum parvum benedictum alligare debuerat: ordinaturq; Processio eo ordine, & modo, quo in Festo Purificationis.

8. D. Abbas ultimus procedit habens à dextris Archidiaconum,

conum, & à finiſtris Diaconum, elevantes fimbrias anteriores Pluvialis. Sed in defectu Archidiaconi, Diaconus à dextris, & Capellanus de Libro à finiſtris incedere debent. Si vero nec Capellanus de Libro adeſſe poſſit, ipſe Diaconus ſemper à finiſtris incedet, Subdiaconus enim Cruce impeditus eſt. Et ipſe Prælatus ſub Mitra, finiſtra tenens Pedum, & dextra Ramum Olivarum incedet. Procedendo extra portam Eccleſiæ tempeſtive duo Cantores ingrediantur Eccleſiam, & occludant Portam, vertentesq; faciem ad fores Eccleſiæ, & non ad Altare, canant ex Proceſſionali, quæ cantanda ſunt, alternatim cum Choro extra Eccleſiam conſtituto.

9. Subdiaconus ut pervenerit ad portam Eccleſiæ, Crucem, quam tenebat reſpicientem Thuriferarium, converſam tenet per id ſpatium temporis verſus Celebrantem, & omnes Proceſſioni intereſſentes. Terminato vero cantu, convertat faciem Crucifixi ad Eccleſiam, & inferiori haſta Crucis, non vero transverſo ligno, trino ictu percutiat portam Eccleſiæ, ſemper etiam fortiori ictu, ut bene audiatur. Apertis dein per Cantores, & non per aliquem Janitorem foribus, ingreditur Proceſſio ſuo ordine, Cantoribus inchoantibus ℟. *Ingrediente Domino* &c: Choro reliqua proſequente. Accedentes omnes ad Chorum conſiſtunt in ordine ſuo, & D. Abbas ſi noluerit celebrare, revertitur cum Miniſtris in Sacriſtiam, ad deponenda ſacra Paramenta. Interim Celebraturus Miſſam unus ex Superioribus tempeſtivè ornatus procedit cum Sacris Miniſtris ad Altare, & proſequitur Miſſam juxta Rubr. Miſſ. recogniti. Nullæq; aliæ fiant Cæremoniæ, quæ in Ritualibus ex Synodo Provinciali demandatæ ſunt, quia illæ tantum reſpiciunt Parochiales Eccleſias.

10. Præterea Notandum eſt: quod ſi celebrans ad Altare benedixerit Ramos olivarum, & habuerit Miniſtros ſacros, ſcilicet Diaconum Evangelii, & Subdiaconum Epiſtolæ, tunc ipſe Evangelium in cornu Epiſtolæ legere debet, ſicut & Paſſionem in Miſſa, & non niſi ad ultimam partem, quæ incipit: *Altera autem die*, transferatur Miſſale, quam ultimam partem iam in cornu Evangelii legere tenetur. In Lectione dum canitur à Subdiacono, ad illa verba: *ut in nomine JESU omne genu flectatur &c*: genuflectunt omnes, etiam Celebrans, licetſi D. Abbas, manebantq; genuflexi unico genu, usq; ad verbum *Infernorum* incluſivè.

11. Ordo cantandi Paſſionem à tribus Cantoribus antiquitùs ab Eccleſia receptus, & in majoribus Eccleſiis ad hæc

usque tempora conservatus improbari non debet, quinimo laudabilis est, ideoq; ut in omnibus Ecclesiis nostræ Congregationis Regularibus conservetur, & ad effectum deducatur, summe necessarium est, sæpe enim contingit, quod unus Cantans Passionem ita inadvertenter attollat vocem, ut vix finiat, & vocem deperdat, ac vires enervet, ideoq; & audire molestum, & pati nimis injuriosum; si autem tres cantarent, quilibet haberet commodum tempus respirandi. Unde non sine causa in Passione adjuncta sunt tria signa literarum, videlicet ✠: S. C. ubi per ✠ intelligitur persona Christi, per literam C. intelligitur persona Evangelistæ, per Literam S. intelligitur persona turbæ, hæc signa alio modo sic interpretantur, per ✠ denotatur Christus, per literam C. designatur Chronista, per literam S. signatur Synagoga: vel adhuc alio modo: per signum ✠ semper designatur ille, qui personam Christi repræsentat, per literam C. notatur Cantor, & per literam S. exaratur Succentor.

12. Improbatur autem illa distributio Passionis partium, inter Celebrantem Diaconum, & Subdiaconum, ita ut Celebrans vices Christi, Diaconus Evangelistæ, & Subdiaconus turbarum gerat, non enim decet Celebrantem tunc cantare. Si itaq; tres Cantores Passionem sunt cantaturi, parent se in Sacristia sub tempus Lectionis, amictu, Alba, cingulo, Manipulo, & Stola à brachio sinistro ad latus dextrum aptata, ubi magis conveniret Stola latior, quam ordinaria. Dum cantatur *Graduale*, & *Tractus* procedunt ad Altare eo ordine: Primo procedere debet ille qui Evangelistam repræsentat signatus per Literam C. deinde qui turbam designatus per Literam S. deniq; ille qui Christi personam agit in signo ✠. ultimo loco ascendere tenetur, & quilibet suum Librum deferet ante pectus, ad cantandam Passionem, super pulpito ponendum. Venientes itaq; ante infimum Altaris gradum hoc modo prius consistent, qualem sequens demonstrant fig. S. ✠. C. postea genuflectunt, aliquantulum oraturi, deinde surgentes ad legilia sua procedunt ibiq; alio se modo locant, & non ita quemadmodum prius, sed juxta seq. fig:
✠ C. S. videlicet ille, qui notatur litera C. medium occupabit locum, ad cujus dexteram ille stabit, qui sub signo ✠. suam repræsentat personam, ad sinistram vero ipsius stabit, qui sub litera S. expressus conspicitur. Hæc autem superius declarata sunt juxta sensum *Gavant. Merati. Bauldry*, aliorumq; gravissimorum Authorum & praxim Capellæ Papalis.

13.

13. Celebrans in lectione Passionis veniendo ad hæc verba *emisit Spiritum* non genuflectit, sed procedit ulterius, legitq; ad ea verba *Contra Sepulchrum.* Qua altera parte finita, cum suis Ministris vertit se ad Cantores ut ad Evangelium, stantes cum palmis in manibus, & ita manent donec tota Passio fuerit decantata. Dum verba illa à Chronista proferuntur: *JESUS autem clamans voce magna emisit Spiritum.* Celebrans & Ministri accedunt ad medium Altaris, descendenteq; ad 2. gradum genuflectunt in suppedaneo utroq; genu sic genuflexi permanentes per spatium Orationis Dominicæ. Similiter & Cantores genuflexi versus sua legilia pausant. Erectis omnibus, etiam Cantoribus, iisq; secundam Passionis partem prosequentibus, Subdiaconus Ramum suum tradit Acolytho, & transfert Missale Celebrantis ad cornu Evangelii, ubi celebrans legit ultimam partem, quæ Evangelii locum tenet, assistente sibi Subdiacono, qui etiam in fine respondet *Laus tibi Christe.*

14. Cantores finita altera parte, usq; ad ea verba: *contra Sepulchrum.* factis debitis reverentiis revertuntur in Sacristiam eodem modo, quo venerant, cum suis Libris. Interim vero Thuriferarius affert Thuribulum, & Celebrans imponit, ac benedicit incensum, statimq; benedicit & Diaconum, cujus officium est hanc ultimam decantare partem. Accepta benedictione Diaconus, cantat sine *Dominus vobiscum*, aut *Sequentia* &c: sed absolutè incipiendo ab his verbis: *Altera autem die* &c: prius tamen nihil dicendo ter incensat Librum, ut alias ad Evangelium. Defertur liber ad osculandum, per Subdiaconum, & Celebrans incensatur à Diacono, reliqua peraguntur ut in aliis Missis.

15. Notandum insuper, quod in eadem Missa Conventuali solemni ultimum Evangelium semper dicitur S. Joannis: *In principio* &c: licet Ramos Palmarum non ipse Celebrans, sed alius benedixerit, e. g. D. Abbas. Ad capitulum Nonæ, sicut & Feria IV. sequenti ad Introitum Missæ, qui incipit: *In nomine JESU.* non genuflectitur. Pro minoribus Ecclesiis hoc notatu dignum superest: quod Celebrans unicus sine Ministris benedicens Ramos Olivarum, decantata Epistola, & recitato Graduali in cornu Epistolæ, non se movet de loco, sed parum conversus erga Crucem, ac inclinatus manibus junctis, dicit in eodem cornu *Munda Cor meum.* &c: in eodemq; loco decantat Evangelium sine incenso. Quo finito benedicit in eodem loco Ramos palmarum, & omnia peragit, ut in majoribus Ecclesiis.

Decreta S. Rit. Congr.

1. Paſſio in Miſſis privatis legi debet à Celebrante in cornu Evangelii, licet in Miſſa ſolemni legatur in cornu Epiſtolæ. S. R. Congr. 4. *Auguſti* 1663. *in una Dalmatiarum.*

2. Evangelium pro ſolemni benedictione Palmarum à Sacerdote Celebrante abſquè Diacono, & Subdiacono canendum eſt in cornu Epiſtolæ, S. R. C. 27. *Aprilis.* 1697. *in Eugubina.*

3. Epiſcopus aſſiſtens Miſſæ in Dominica Palmarum paratus, vel cum Cappa, non debet ſedere, neq; genuflectere, ſed ſtare diſcoopertus dum cantatur Paſſio, & in caſu impotentiæ debet abſtinere ab interventu ſaltem Miſſæ. S. R. C. 28. *Aprilis.* 1708. *in Bracharen.*

4. In exequiis parvulorum in Feria V. VI. & Sabbato majoris Hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri:* &c: in Pſalmis qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. R. C. 16. *Januarii* 1677. *in Hiſpalen.*

5. In ſecundo triduo majoris Hebdomadæ non poſſunt celebrari exequiæ Defunctorum, & officium, & preces recitentur privatim. S. R. C. 11. *Auguſti.* 1736. *in Placentina.*

6. Utrum in Majori Hebdomada, excepto triduo antè Paſcha, & biduo poſt, & infra octavam Paſchæ, & Pentecoſten, ac etiam in feſtis duplicibus primæ Claſſis, non tamen celebribus, poſſit cantari Miſſa unica ſolemnis de *Requiem*, in ſepultura Cadaveris? & Reſponſum fuit: Affirmativè. S. R. C. 29 *Januarii* 1752. *in una Ord. Carmel. Diſcal. Prov. Pol.*

CAPUT. VI.

De Matutinis tenebrarum.

1. PRæter alia quæ notantur ſufficienter in Rubr. Brev. notanda ſunt ſequentia: Imprimis, quod pro Matutinis tenebrarum parari debet in plano Preſbyterii ad cornu Epiſtolæ, ubi ſcilicet Subdiaconus ſolet cantare Lectionem in Miſſa, & non in medio Candelabrum triangulare, cum candelis 15. In medio verò, in eo ſcilicet loco, ubi ſtare ſolet

solet Subdiaconus cum Patena ad infimum gradum Altaris collocari debet legile nudum, & non coopertum; ad canendas lamentationes, & legendas Lectiones secundi, & tertii Nocturni. Quia vero Matutinæ Feria IV. Majoris hebd. celebrandæ ad diem sequentem spectant, quæ solemnis est ratione Cænæ Dominicæ, & licet officium sit luctuosum, Campanarum tamen sonitus festivus esse debet, usq; ad *Gloria in excelsis.* Sequentis diei inclusivè.

2. Si SS. Sacramentum asservatur in Tabernaculo illius Altaris, ante quod dicendæ sint Matutinæ in Choro, omnino removendum est, & transferendum cum luminibus per aliquem Sacerdotem superpelliceo, & stola indutum, ad aliquod sacellum decenter ornatum, ibiq; lampas continuo ardeat, quamdiu ibi asservatur. Ostiolum Tabernaculi apertum debet relinqui, ne adoretur quod ibi non est. Ab his Matutinis Crux in Altari majori posita ab omnibus cujuscunq; status, & conditionis, transeuntibus, genuflexione adorari debet, usq; ad Nonam Sabbati Sancti inclusivè, excepto Prælato, & Celebrante parato, qui tamen in die Parasceves etiam genuflectere debent, & hoc patet decisum à S. R. C. ex Castaldo, Ita quo ad omnia declarant, & præcipiunt, *P. Merati Sect: VI. c. 13. ad n. 11. notarum Gavanti, & in notis Cærem. Hebd. Sanctæ pag. mihi 35. P. Bauldry P. IV. c. 2. n. 8. Cærem: Monast: Bened: Rom: L. 3. c. 13. n. 7.* Insuper ipsa praxis Eminent. DD. Cardinalium in Capella Sanctissimi nos edocet. Non tamen coram aliis Crucibus, in aliis Altaribus, aut locis, genuflexio facienda, sola enim inclinatio capitis sufficit.

3. Hoc triduo tempestivè recitatur Completorium propter Matutinum subsequens, quod juxta omnes Authores terminari debet ad occasum solis. Antequam igitur Matutinum inchoetur, Sacellanus accendit non tantum supradictas 15. Candelas, in candelabro triangulari, ad cornu Epistolæ constituto, sed etiam omnino sex in Altari majori Cereos, qui hoc triduo ad Vigilias Matutinas, cum Laudibus, totas, ardere debent continuo, ex præscripto Ecclesiæ, ut ad Cantici *Benedictus* ℣. septimum, *Ut sine timore*, &c: paulatim extingvantur, quomodo autem extingvi debeant nisi accendantur, & ardeant? Unde tollendus est ille abusus, ubi per primos 6. versus Cantici *Benedictus* prædicti sex cerei accenduntur & per ultimos sex versus, iidem Cerei extingvuntur, hoc enim est expresse contra Rubri Regulam, quinimo esset quædam Scena, & non Cæremonia, aut Ritus, ideoq; omnino prohiberi debet talis jocosa actio.

4.

4. Maximè quia S. R. Ecclesia in Rubrica sua prætendit, & per S. R. C. præcipit, ut ad omnes Horas canonicas ardeant ad minimum duo Cerei omni tempore; specialiter autem hoc triduo exigit, ut ad Matutinum, & Vesperas in Altari Majori ardeant sex Cerei, nec plures, nec pauciores. Unde prætermissis aliis testimoniis, quæ adducere nimis longum esset, Statuta Capitulorum Generalium initio Congr: Ben: Pol. in Capitulo Diætæ 1730. die 26. Julii celebrato, omnibus Monasteriis ad observandum proposita, & à p. m. Rmo D. Stanislao Mirecki Abbate Calvomont: primoq; Congr. plantatore, sel: rec: SS. D. N. Clementi XII.. Pont. Max. ad approbandum 1732. 15. Maij porrecta, pun. 1. præcipiunt his verbis: *Ut Matutina anticipate de serò, maxime in maiori septimana, incipiendo à Feria IV. recitari, & decantari solita, incipiant ante horam Quintam, & semper deorsum in Togis, & cum Candelis, non solum quindecim in Choro, sed etiam cum Sex super Altari juxta Rubricam celebrando.* Item Supracitato loco pun. 7. sic statuitur: *Nunquam Officium Divinum peragatur sine lumine ad Altare, sed saltem cum duabus Candelis*, videant itaq; & observent ii, ad quos de iure.

5. Supradictæ Candelæ eo ordine accendi debent: videlicet incipiendo ab ea, quæ est proximior Cruci à parte Evangelii, & terminando in ultima dicti lateris Evangelii, postea inchoando à Candela Cruci proximiori ad cornu Epistolæ, & terminando in ultima dictæ partis Epistolæ. Pariter & in triangulari Candelabro incipiendo ab ea, quæ est in cuspide dicti Candelabri, continuatur in ultima ad partem Evangelii respiciente, & similiter descendendo à parte Epistolæ. Extingvi autem debent in Candelabro è contrario, post quemlibet enim Psalmum cui Antiphona subjungitur, una est extingvenda, sicq; post primum Psalmum extingvitur illa, quæ est remotior à parte Evangelii, post 2. Psalmum pari disciplina extingvitur remotior in latere Epistolæ, & sic successivè alternatim, ab utroq; latere singuli Cerei extingvuntur. Ad quod Officium Religiosus aliquis destinari debet, ut suo tempore peragat, quæ peragenda sunt. Similem formam, & Ordinem servare debet dictus Religiosus in extinctione Sex Candelarum Altaris, ad Canticum *Benedictus.* incipiendo à ℣. *Ut sine timore &c:*

6. Licet diebus ferialibus in Quadragesima, & Passione dicantur preces flexis genibus ad omnes horas, tamen notat *Cærem: Episc: L. 2. c. 22. P. Merati Sect: V. c. 13. in Notis ad N. 4.*

N. 4. P. Bauldry P. IV. c. 8. n. 9. quod ante initium Matutini hoc triduo *Pater*, *Ave*, & *Credo* dici debeant a stantibus, inclinatis tamen versus Altare, non verò faciebus ad invicem conversis. *Pariter Pater noster.* in fine cujusq; Nocturni. Iam vero ad ℣. *Christus factus est* &c: etiam ad Orationem Dominicam, quæ tunc in fine horarum sub silentio dicitur, omnes genuflectere tenentur.

7. Quia hoc triduo non dicitur ℣. *Gloria Patri* &c: in fine Psalmorum, & Canticorum, ideo deflectitur vox aliquantulum in fine eorum, ut finis Psalmi cognoscatur, utroq; Choro simul ad id conveniente, & etiam in fine Antiphonarum Officii, quandò dicuntur indirectum, & sine cantu, e. g. Vesperarum. Item deflectitur vox in fine Lectionum 2di & 3tii Nocturni, quia non dicitur *Tu autem* &c: Insuper ad ℟. ℟. prolixa Lectionum, quando etiam non decantantur; Similiter ad ℣. *Christus factus est* &c: dum terminatur à Choro. Pariter in fine Orationis *Respice* &c: ad illud verbum *tormentum*, deflecti, & aliquomodo in deflexo tono prolongari debet. Ita Viri in explicandis Sacris Ritibus peritissimi, & *Cærem: Monast: Bened: Rom: L. 3. c. 14. n. 7.*

8. Ad Laudes pariter extingvuntur Candelæ in candelabro triangulari, sicut supradictum est, ubi tantum intervenit Antiphona. Antiphonam ad *Benedictus*, vel Superior, vel dignior ex Cantoribus inchoare tenebitur. Ipsum vero Canticum à duobus Cantoribus inchoari & paulatim in tono solemniori à Choro decantari debet, ut Religiosus extingvens Candelas Altaris, (convenientius tamen esset, si duo ad tale officium disponerentur) habeat sufficiens tempus, sub quolibet Versu extingvendi unam Candelam, & transeundi à latere Evangelii, ad cornu Epistolæ. Ita *P. Merati loc: cit.*

9. Cum repetitur Antiphona Cantici *Benedictus*. Religiosus prædictus removet ex Cuspide Candelabri triangularis Cereum relictum, adhuc ardentem, & genuflexus in cornu Epistolæ ad Altare manu elevata sustinet. Et cum inchoatur à Superiore ℣. *Christus factus est* &c: illum Cereum necdum extinctum abscondit ita sub Altari in dicto cornu Epistolæ, ut lumen nullomodo appareat. Oratione completa fieri debet ab omnibus fragor per breve spatium, quem incipere debet Superior, virga percutiendo scamnum, duratq; prædictus strepitus, donec Religiosus ille prædictum Cereum, qui fuerat absconditus, adhuc collucentem omnibus ostendat, & tunc eo in summitate Candelabri, ut prius, reposito, omnes cessa-

cessare debent à strepitu, & dein post brevem morulam illum Cereum in Candelabro extingvit.

10. Hoc triduo post Completorium, quod finita refectione recitari statim in Choro debet, non dicuntur *Lytaniæ*, & *De profundis* &c: sed quilibet particulariter dicere potest. Aspersio tamen nonnisi post Matutinum fieri debet, nihil ad illam dicendo, & omnes de Choro in silentio discedunt. Sic enim declarat *Cærem: Monast: Bened. Rom. L. 1. c. 19. n. 10. pag. mihi 68.* his verbis: *In Feria IV. V. & VI. Majoris Hebdomadæ Aspersio post Matutinum differtur, dumq; fit aspersio nihil dicitur.*

11. Ad omnes Horas diurnas Psalmi non recitantur flexis genibus, sed stando, contra enim facientes violant Rubricam, quæ non prius genuflectere præcipit, quam ad ℣. *Christus factus est* &c: ideoq; *Pater*, *Ave*, & *Credo* in principio Horarum, non aliter quam stando, quemadmodum ad Matutinum dici debet. Et hæc, quæ modo dicta sunt, non tantum hodie, sed etiam sequentibus diebus, usq; ad Nonam Sabbati Sancti inclusivè, erunt observanda.

12. Si in Altari majori sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, finitis Matutinis ex Capella ea, ubi ante Matutinum fuerat repositum Feria IV. ad locum suum reportatur cum luminibus eo modo, quo fuerat asportatum. Hoc præterea notatu dignum est: quod licet publicè ad Capellam aliquam transferatur SS. Sacramentum, ibiq; sit repositum, non possunt tamen ibi Religiosi recitare Horas diurnas, vel Nocturnas, sed semper in loco suo, ubi semel pro semper Chorus est destinatus, ideoq; ab his abusibus abstinendum est, quod immutatur locus recitandi Officii divini, expresse enim *Cærem: Episc: L. 2. c. 23.* precipit, ut asservato Sanctissimo Sacramento in Capella, *revertantur in Chorum ad Vesperas*, pariter *Cærem: Monast: Bened. Rom. L. 3. c. 14. n. 21.* de hoc triduo Vesperarum his declarat verbis: *Delato SS. Sacramento, Vesperæ dicuntur in Choro.* Idem sentiunt omnes Authores Rubricarum. Insuper Fer: V. & VI. Majoris hebdom: ad Matutinas tenebrarum tam candelabrum Triangulare, quam Sex Altaris Candelabra cum Cereis non ibi collocentur ubi asservatur SS. Sacramentum, sed omnino ad Majus Altare, ubi Chorus adest, & hæc est expressa mens Rubricæ Generalis, alias mens Ecclesiæ in constitutis Cæremoniis immutaretur, quod sine onere conscientiæ fieri non posset.

CAPUT VII.

De Feria Quinta in Cœna Domini.

1. INter alia, quæ copiosissimè hac die Rubrica Missalis emendati præscribit, cavendum est, ne velum Crucis in Altari majori Violaceum immutetur in album, licet enim nonnulli Authores probabilitatem in suo demonstrant sensu, tamen doctiss: P. Merati in fundamento Decr: S. R. C. 16. *Novembris* 1649. ad propositum Dubium, hanc citat resolutionem: *Colorem non esse mutandum*; innixus præterea *Cærem: Episc:* L. 2. c. 23. n. 10. una cum *Pisart. Guyet*, ac aliis Viris eruditis Sacrorum Rituum interpretibus solidissime deducit: Velum quo tegitur Crux tam in Altari Majori, quam Processionalis, quam etiam in Altari ad lotionem pedum, omnino debere esse violaceum.

2. Præparetur in aliqua Capella locus, ubi reponi debeat post Missam Sacra Hostia in crastinum asservanda, locus tamen ille quantum possibile est, non sit in Sacristia, aut loco aliquo remoto, ubi adveniens populus non possit venire ad orandum, sed in aliquo Altari laterali Ecclesiæ, ibiq; in loco eminentiori collocetur armariolum, seu Capsula aliqua, ubi Calix cum Hostia consecrata, seu Pixis cum aliis etiam particulis sacris reponi possit: orneturq; velis Albis, floribus, non tamen reliquiis, SS. in eoq; Altari ponantur Sex Candelabra cum Cereis, omniaq; bene disposita fiant, ob reverentiam Sanctissimi Sacramenti.

3. Missa à D. Abbate cantatur solemnissimè, qui tamen non dicit Psal: *Judica me DEUS*, nec ℣. *Gloria Patri &c.* licet canat solemniter *Gloria in excelsis DEO.* Finito Hymno Angelico jam amplius organa pulsari non debent, pariter & Campanæ usq; ad *Gloria in excelsis*, in Sabbato Sancto.

4. Duæ tantum Hostiæ majores hac die consecrari debent, & non plures, una scilicet ad consummandum Sacrificium, altera in crastinum reservanda; reliquæ autem Hostiæ parvæ ordinariæ ad communicandum in aliquo Calice præparari debent pro consecratione, juxta numerum sufficientem communicandorum, quia & Sacerdotes hodie non celebrantes Communicare tenentur, eodem modo, quo sæculares homines, præsertim,

quia de diverſitate Hoſtiarum pro Sacerdotibus hac die, & pro ſæcularibus perſonis nullibi fit mentio, quinimo tam Decreta S. R. C. quam Rubr: diei, quamq; & omnes Rubriciſtæ præſupponunt uniformitatem Sacerdotum cum populo hac die in communione ſervandam, & in hoc fundamento. *Statuta Capitulorum Generalium in Capitulo Diætæ 26. Julii 1730. pro Congreg: Ben: Pol: collecta*, ſic pun: 8. decernunt: *Communio Patrum in Cœna Domini fiat per Hoſtias minores, ad proportionem Fratrum, & ſæcularium.* Idem declarat *Cærem: Monaſt: Congr: Montis Serrati in Hiſp: O. S. Ben: P. 1. Diſt: V. cap: 12. n. 3.* & *Cærem: Monaſt: Bened: Congr: Bavar: P. 2. §. VI. fol: 102.*

5. Hoſtia major pro die ſequenti reſervanda, ante Conſecrationem poni debet in dextera parte Corporalis, id eſt à ſiniſtra Celebrantis, e regione alterius Hoſtiæ magnæ, nec elevatur, ſeu nec oſtenditur poſt conſecrationem, ſed ſemper relinquitur in loco ſuo, & Celebrans advertat, ne eam tangat, vel deiiciat manipulo, ideoq; cautè procedat in Miſſa, quod pari caſu obſervari debet ab omnibus Sacerdotibus, quoties pro expoſitione facienda, alteram Hoſtiam magnam conſecrare contingat. Nec particulam aliquam pro communicando ſimul cum Hoſtia magna elevet. Sola enim Hoſtia, quæ à Celebrante ſumitur, elevari, & oſtendi populo debet; non autem alia. Sufficit habere intentionem conſecrandi, & in ea Intentione proferre Verba conſecrationis ſuper Hoſtias, quodquod ſunt præſentes.

6. In Miſſa hujus diei licet dicantur tres Orationes ante Communionem, tamen poſt *Agnus DEI.* Pax dari non debet. Sumpto itaq; à Celebrante pretioſo Sangvine, ſtatim Diaconus genuflexus ad cornu Epiſtolæ, clara, & diſtincta voce dicat: *Confiteor DEO omnipotenti &c.* vel etiam canat, prout magis convenit facere in majoribus Eccleſiis, ut fatetur *P. Bauldry P. IV. c. 2. n. 9.* Et Celebrans dicto *Miſereatur*, & *Indulgentiam*, ſumit Calicem, ſeu Pixidem cum particulis, converſusq; ad populum dicit: *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi*, & accedentes Diaconum, & Subdiaconum prius communicat, ſi vero in Aſſiſtentia D. Abbatis adſit Archidiaconus, prius ipſe communicandus eſt, quam dicti Miniſtri ſacri.

7. Immediate poſt ſacros Miniſtros veniunt bini & bini Patres per ordinem Superioratus vel ſenii ſui, cucullis ornati, habentes Stolas à collo pendentes, priusquam vero accedant ad gradus Altaris, in venerationem SS. Sacramenti trinam, & diſtinctam facient genuflexionem uniformiter quilibet cum ſo-

cio,

cio, ad augendam devotionem populi astantis. Et nemo aliter accedere audeat ad sacram Synaxim, nisi aut Cuculla, aut saltem superpelliceo ornatus; quod non tantum hodie ab omnibus, verum etiam à Rel: Fratribus, quandocunq; Communicant, supradicta semper sunt observanda.

8. Si ipse D. Abbas celebrat, unusquisq; antequam de manu ejus sumat Sacram Eucharistiam, prius propter lucrandas Indulgentias osculetur Annulum Pontificalem benedictum, & statim sumat communionem. Ministri ad Pontificalia, aliiq; impediti, prius tradant aliis, id, quod sustinent, & manibus junctis ante pectus accedant ad Communionem, recepturi denuo ea, postquam redierint à Communione. Circa asservationem S. Hostiæ in Calice, servetur Rubr: Miss: quæ clarissime declarat agenda. In reliquo Missæ D. Abbas non utitur Mitra, propter reverentiam Sanctissimi, etiam benedictionem solemnem dat sine Mitra, nec facit circulum ad eam, sed omnia agit tanquam exposito Sacramento.

9. Finito ultimo Evangelio, statim ordinatur Processio, & post Processionem Vesperæ dicuntur, non ante, alias enim ageretur expresse contra Rubrum Missalis. Quæ autem in dicta Processione sunt agenda, sufficientissimè Missale instruit, cujus Rubrum attente legatur, ne fiat perturbatio. Hoc tamen observandum omnino est, quod finito ultimo Evangelio, Celebrans cum Ministris descendere debeat in planum, cum debitis SS. Sacramento præstandis reverentiis, & depositis Planeta, ac Manipulo, sumere debeat Pluviale. Tum imposito incenso in 2. thuribula, unico tantum incensat Sacramentum, non utroq;. Deinde Velum oblongum omnino imponitur super humeros Celebrantis, qui extremitatibus dicti veli totam Pixidem, seu Calicem contegat, non in parte tantum; neq; etiam medietate veli contegat, & extremitates humeris imponat, hoc enim & indecorum esset, & contrariaretur Rubricæ. Inchoato à Cantoribus Hymno *Pange lingua gloriosi &c.* nulla datur cum SS. Sacramento benedictio, quia de ea nulla fit mentio, ideoq; abstinendum est à superfluis Cæremoniis; quæ enim non præcipiuntur, nec permittuntur, eo ipso prohibentur.

10. Perveniendo ad locum Capellæ omnes genuflectunt exceptis Ceroferariis, & Subdiacono cum Cruce Processionali, qui immobiliter stantes inclinant se tantum. Si celebrans fuerit D. Abbas, medius procedet inter Archidiaconum à dextris, & Diaconum à sinistris; si vero alius superior celebret, cum solo Diacono incedet sinistram tenente, nisi alius fieri,

Subdiaconus ad Crucem processionalem, quia tunc Diaconus à dextris, & Subdiaconus à sinistris assistent. Diaconus in porrigendo, & recipiendo Calice, seu Pixide servet ea, quæ supra dicta sunt de Processione *P. IV. c. 8. n. 9. &c.* Deficiente fumo in thuribulo Celebrans de novo ponat incensum, & thurificet Sacramentum. Occlusa S. Hostia in dicta Capella, omnes extinctis Cereis revertuntur in Chorum, ubi recitant Vesperas, & non in illa Capella.

11. Finitis Vesperis, & non sub tempus Vesperarum; ut patet *ex Cærem: Episc: L. 2. c. 23. & usu Urbis.* Celebrans, videlicet ipse D. Abbas, & non Diaconus, secundum quorumdam sensum, depositis albis Paramentis, super Albam, imponit stolam tantum Violaceam, & assumpta Mitra simplici, sine Pedo procedit ad denudationem Altarium, medius inter Diaconum stolam Diaconalem supra Albam habentem, & Subdiaconum sola Alba indutum, sine Manipulis, præcedentibus Acolythis manibus ante pectus junctis. Unde ille abusus tollendus est, ubi deferebatur ab Acolytho Aqua lustralis, ad mundanda Altaria portatilia, quod omnino contra Rubr: est; maximè, quia sola denominatio denudationis Altarium, nihil ex his denotat, & de tali actione nullus Rubricista facit mentionem. Nihil enim amplius debent facere Celebrans, & Ministri in dicta Cæremonia denudationis Altarium, nisi quod Mappas Altaris amoveant, antipendia auferant, Tabellas Secretarum deponant, eaq; omnia Sacrista adjuvantibus Acolythis recipiens, in tuto loco reponat, relicta ubiq; Cruce velata, & Candelabris in Altari Majori, ad alia enim Altaria etiam Candelabra deponuntur. Altare verò in Capella, ubi Hostia sacra deposita est, non denudatur.

12. Fit autem denudatio hoc ordine: Inchoatur ab Altari majori, ante quod omnes genuflectunt propter Crucem, excepto solo Celebrante, qui tantum profundè se inclinat. Antequam inchoetur denudatio Altarium, Celebrans alta voce incipit Antiph: *Diviserunt sibi &c* quæ non duplicatur, & statim Cantores inchoant Psal: *DEUS DEUS meus respice in me &c.* reliqua Choro alternatim prosequente, & ita prolongante, si plura sint Altaria, ut simul finiatur, quando denudatio Altarium terminatur. Ad omnia Altaria venientes Ministri genuflectunt propter Crucis reverentiam in accessu, & recessu, solo Celebrante faciente tantum profundam inclinationem.

13. Peracta denudatione Altarium revertuntur in Sacristiam, ad sumenda paramenta pro Mandato faciendo, seu ad lotionem pedum, ideoq; ubi numerosa Communitas, præter

Dia-

Diaconum, & Subdiaconum in Albis Paramentis cum Manipulis, alius Tunicella violacea indutus præcedit cum Cruce inter duos Ceroferarios cum Cereis accensis, ad locum Mandati. Celebrans verò D. Abbas supra Albam, Stola, & Pluviali violacei coloris indutus, Mitra decoratus, ac Pedo suffultus, procedit medius inter duos Sacros Ministros, Patribus, & Fratribus processionaliter Crucem subsequentibus, ubi omnia juxta Rubricam Missalis Romani peraguntur. Non intermissa sumptione de pane, & Vino, finito Evangelio, in memoriam Christi Cœnantis.

14. Ut autem ordinatè fiant omnia, D. Abbas, vel in absentia ejus P. Prior designet in schedula aliqua Patres vel omnes, vel aliquos, prout ipsi placuerit, quibus lavare possit pedes, ne cum tempus advenerit incipiant se excusare, & sic Sacra Cæremonia frustrari debeat, cum vix unico, ex 10. vel 20. Patribus lavabit pedes. Conveniret tamen magis, ut ad numerum duodenarium designentur, & si deficiant Patres, etiam ob humilitatem Fratribus lavandi essent pedes, cum *omnes in Christo unum sumus, & sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus.* S. Reg: c. 2.

15. Finita lotione pedum Celebrans lavat manus, & sedet aliquantulum, & quiescat ex fatigatione, donec cantus Mandati ex integro finiatur. Reliqua peragantur ut in Missali sunt notata. Revertentes de mandato pari disciplina, sicut venerant, cum omni modestia celebrantem ad Sacristiam reducant. Post Mandatum sequitur Refectio, ea verò finita, cum Psal: *Miserere mei DEUS &c.* procedunt omnes ad Ecclesiam, seu ad Chorum magis, ubi finita gratiarum actione, ascendunt ad sedilia, recitant Completorium ut in Brev: in cujus fine non dicitur *Pater, Ave, & Credo.* *ita Gavant. P. 2. sect: 6. c. 13. n. 20.*

Decreta S. R. Congregationis.

1. Omnes de Clero, etiam Canonici Eucharistiam sumant de manu Celebrantis in Feria V. in Cœna Domini. S. R. C. 27. *Septembris 1608. in Civitatem, & 15. Septembris 1692 approb. Innocentio XII. in suo Bullario. Constit: quæ incipit:* Cum anno &c. atq; 12. *Septembris 1716. approb: Clemente XI 27. ejusdem in suo Bull: pari. P. 3. Decr: 24. quod incipit:* Cum Festum &c.

2. Clavis Hostiæ repositæ in Feria V. Cœnæ Domini, non debet dari Laico, quantumvis Nobili. S. R. C. 30. *Januarii* 1610. *in Placen.*

3. Feria V. in Cæna Domini Episcopus debet perseipsum ministrare Eucharistiam Canonicis, & Clericis, nunquam vero debet illam ministrare Diaconus, vel unus ex assistentibus. S. R. C. 8. *Augusti* 1643. *in Majoricana.*

4. Patenæ subpositio per Sacerdotem cotta indutum in communione generali, quæ per Dignitates agitur, licita est. S. R. C. 3. *Septembris* 1661. *in Atrien. Idem potest fieri per Diaconum.*

5. Sacerdotes in die Cænæ Domini Sanctissimum Corpus Christi sumpturi, possunt deferre stolam ante pectus in formam Crucis accomodatam, vel à Collo pendentem. S. R. C. 30. *Septembris* 1679. *in una Capucc. P. Spiridion Talu superaddit:* Diaconi verò cum stola ab humero sinistro pendente. *ex Cærem: Episc: L.* 3. *c.* 6. *n.* 1.

CAPUT VIII.

De Feria Sexta in Parasceve.

1. ALtare hac die ex integro nudum esse debet, etiam ad Officium, & sola Tobalea, ac unica, est extendenda pro Cæremoniis, cujus tamen extremitates non debent pendere à lateribus. Candelabra sex immobilia esse debent, quæ & heri in Altari permanebant, cum totidem Cereis, non vero duo tantum, vel quatuor, ut nonnulli per abusum interpretantur. Crux verò, cum juxta Reg: Rubri illa adorationi est proponenda, quæ collocatur in medio Candelabrorum majoris Altaris, & quia sæpe contigit, quod Crux illa, quæ inter Candelabra statuitur sit parva, & nimium incommoda, ideo hac die curare debet Sacrista, ut alia Crux formæ grandioris statuatur inter Candelabra, velo violaceo cooperta, quæ pro toto Officio ea die permaneat in pede suo defixa, & ita aptetur, ut commodè à Diacono de loco suo extrahi, & superimponi possit. Ita *P. Merati P. IV. tit:* 9. §. 1. *n.* 2. *P. Bauldry P. IV. c.* 10. *ar:* 1. *n.* 1. *Cærim: Episc: L.* 2. *c.* 26. *Bissus Lit: A. n.* 295. *Nicolaus de Bralion. P. III. c.* 11. *n.* 11.

2. Celebrans cum Ministris veniens ad gradus Altaris, prius ipse cum dictis Ministris genuflectere unico genu debet, ad adorandum Mysterium Crucis. Tum parum retrocedens, super pannum expansum procumbit, ut Rubr: hujus diei notat,

tat. Sicq; proſtrati prolixius orantes manent per ſpatium Pſal: *Miſerere.* Celebrans, & Diaconus, cum Subdiacono: Acolythi vero cæteriq; inferiores Miniſtri utroq; genu manent genuflexi, cum inclinatione profunda capitis, per ſpatium Orationis Dominicæ, poſtea ſurgunt, & parant, quæ paranda ſunt. Omnes inſuper de Choro, etiam D. Abbas ſi aderit, totuſq; populus congregatus manent genuflexi orantes.

3. Prophetiam non Subdiaconus, ſed aliquis ex Fratribus Minoribus Ordinibus initiatus legere debet. Superpelliceo indutus, ut officium Lectoris adimpleat. Nec prius incipiat, ſed tunc, quando Celebrans eam inceperit legere ſubmiſſa voce. Legat autem ſimpliciter, non canendo, clarè, diſtinctè, & expeditè; & ubi periodus terminatur, deprimat aliquomodo vocem, & reſpiret: in fine autem faciat majorem depreſſionem vocis, cum notabili prolongatione ut agnoſcatur finis, quod non tantum hodie, verùm & die ſequenti ad XII. Prophetias, & Sabbato Pentecoſten ad VI. Prophetias omnes obſervare tenentur, ut lectio Prophetiæ, & à ſimplici in Choro diſtingvatur lectione, & pariter à cantu Epiſtolæ.

4. Finito Tractu Diaconus, & Subdiaconus ſtant poſt Celebrantem, & non ad Miſſale, & Celebrans dicit *Oremus.* Diaconus verò genuflectens ante alios, dicit: *Flectamus genua,* & ſtatim omnes in Choro, etiam Diaconus, & Subdiaconus utrumq; genu flectunt, præter Celebrantem, qui nunquam in talibus genuflectit. Subdiaconus verò ante omnes alios ſurgens, dicit: *Levate,* & ſtatim omnes ſimul ſurgunt. Eodem modo dicta genuflexio in pari caſu fieri debet, quotieſcunq; in hujus diei, vel Sabbati Sancti, aut alterius diei ſimilia verba occurrunt. Celebrans non prius extendit manus, quam incipiat ipſam Orationem, eaſq; uſq; ad concluſionem cujuſq; Orationis extenſas tenet.

5. Paſſio eodem modo decantatur, quo, & Dominica Palmarum, niſi defectus Cantorum ad unicum tantum Diaconum prædictum reducat Officium. Jlle itaq; ſive 3. Amictu, Alba, cingulo, Stola Diaconali, & manipulo tantum induti eſſe debent, dictamq; Paſſionem ſine Ramis Palmarum, (plures in contra male ſentiunt) manibus tantum ante pectus junctis decantare tenentur. Celebrans pariter cum Miniſtris ad eandem Paſſionem legendam non utuntur iiſdem Ramis Olivarum, ſed Celebrans poſitis hinc inde manibus legit primam, & ſecundam Paſſionis partem in cornu Epiſtolæ, ut Dom. Palmarum. Miniſtri verò Sacri ſtant hinc inde ad latera Celebrantis junctis

mani-

manibus. Celebrans insuper & tertiam Passionis partem, quam ordinarie Diaconus decantat, ab his verbis: *Post hæc autem &c.* legit in eodem cornu Epistolæ, similiter in eodem loco dicit: *Munda Cor meum &c.* parum tantum conversus erga Crucem, & inclinatus. Post primam partem non genuflectit Celebrans, nisi cum Cantoribus.

6. Lecta postrema parte Passionis, Celebrans in eodem cornu Epistolæ convertit se ad Cantores quod pariformiter faciunt Diaconus in 2. gradu, & Subdiaconus in plano formando ad Altare rectam lineam, genuflectentes omnes in morte Christi cum Cantoribus, sicut Dom: præc: Finita altera parte Passionis, Cantores facta prius Cruci genuflexione, & Celebranti modica inclinatione, cum Libris suis redeunt in Sacristiam. Tum Diaconus accepto Missali, ponit illud super Altare, dicit genuflexus *Munda cor meum &c.* non petit benedictionem, ignem, & incensum non adhibet, & tertiam partem decantat in tono feriali Evangelii, voce aliquantulum depressa. Non tamen in Dalmatica, eam enim omnino deponere tenetur, sicut & Subdiaconus ad Epistolam.

7. Celebrans dum cantat monitionis, advertat ut distinctum earum cantum faciat ab Oratione, sive alio tono decantet, scilicet ad instar præfationis, Orationes autem tono suo feriali. Ad monitiones semper junctas ante pectus manus teneat, ad Orationes verò extendat. Nomen Imperatoris non est mutandum in Nomen Regis, neq; addi nomen Regis, quia expresse ageretur contra *Bullam S. Pii V.* ut advertit *Vinitor P. VI. tit.* 11. *n.* 18. Finitis monitionibus, & Orationibus, Celebrans per viam breviorem, scilicet per gradus laterales descendit in planum, ubi in cornu Epistolæ deponit Planetam, quod pariter facit Diaconus deponendo Dalmaticam, & Subdiaconus deponendo Tunicellam. Insuper Celebrans & Sacri Ministri manipulos suos deponere debent, ad mentem Decr: S. R. C.

8. His peractis Diaconus ascendit ad medium Altaris, & facta prius genuflexione Crucem obvelatam grandioris formæ accipit de suo pede, & cum omni reverentia portat conversa facie Crucifixi ad semetipsum; & Celebranti stanti in plano cornu Epistolæ penes infimum gradum, juxta parietem, quasi collateraliter Candelabris, versa facie ad populum, tradit in manus sine osculis, ipseq; consistens à dextris Celebrantis eum in denudatione Crucis adjuvat. Et imprimis deponitur velum de summitate Crucis, usq; ad lignum ejus transversum, ita ut titu-

titulus appareat, Caput tamen Crucifixi needum conspiciatur. Elevata parum Cruce, Celebrans depressiori voce intonat: *Ecce lignum Crucis*, elevando dictam Crucem tantum ob oculos, non ultra, Acolytho Librum tenente ante eum stando. Diaconus vero & Subdiaconus tantum, & non plures versa facie ad Crucem in eodem tono respondere tenentur: *In quo salus mundi pependit*, & mox Chorus adjungit: *Venite adoremus*, & omnes ad ea verba utrumq; genu flectunt, simulq; caput profunde inclinant. Quod pariter fit altera, & tertia vice. Pro 2da denudatione Crucis Celebrans ascendit ad illum locum, ubi Introitum legere consvevit, & discooperit brachium dextrum Crucis, una cum Capite Salvatoris, & elevando modicum supra Caput Crucem, cantat altius, quam prius, *Ecce lignum Crucis*; respondentibus tam ministris, quam Choro, eodem, ut supra, modo, elatiori tamen voce. Demum Celebrans accedit ad medium Altaris constitutus inter Diaconum & Subdiaconum, ubi discooperta tota Cruce altius, quam prius, modeste tamen elevat, & canit: *Ecce lignum Crucis*, voce adhuc elatiori, ad quæ Ministri & Chorus respondent ut supra.

9. Processio longior institui non debet cum Cruce, sed in fine Presbyterii extenditur Pannus, & cussinum superponitur. Celebrans vero portans elevatam Crucem, facie Crucifixi ad populum conversa, recta procedit ad locum destinatum, in quo candelabra cum cereis non debent esse. Genuflexus itaq; Celebrans utroq; genu reponit Crucem paulatim in dicto Cussino supra pannum, surgente Celebrante, surgunt & Sacri Ministri, præsto enim ad latera tunc debent assistere. Postea facta cum Celebrante iterum, genuflexione, recedunt ad partem Epistolæ, ad locum seorsivum, ubi depositis calceamentis consistunt ante Crucem, in proportionata distantia, mox adorationem Crucis peracturi.

10. Et imprimis Celebrans depositis calceamentis solus procedit, non per ipsam mediam viam, sed quasi per latus Evangelii, parum à medio recedendo, genuflectitq; ter in via utroq; semper genu in proportionata distantia post duos circiter passus. Tantam porro moram trahet ad quamlibet ex dictis adorationibus peragendam, ut possit submissa voce dicere hæc verba: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi quia per Crucem tuam redemisti mundum.* Factaq; trina genuflexione, cum dictis verbis tertio submissa voce prolatis, osculabitur tantum Pedes Crucifixi propter majorem humilitatem. Et si ibi aderit particula veræ Crucis, eam pariter osculabitur. Postmodum

Uu sur-

ſurgit, & facta unico genu adoratione revertitur ad locum ubi depoſuit Calceamenta, quaſi per latus & non recta via, ne terga vertat Cruci. Hanc formam adorationis Crucis præſcribunt *Cærem. Epiſc. L. 2. c. 25. P. Merati R. IV. tit. 9. n. 29. P. Baudry P. IV. c. 10. a. 3. n. 8. Cærem. Monaſt: Bened: Congr. Bav. P. II. §. 7. pag. 112. Cærem: Monaſt. Bened: Rom: L. 3. c. 16. §. 2. n. 4.* & plures alii.

11. D. Abbas eadem forma, & modo ſtatim poſt Celebrantem, diſcooperto Capite, faciet ſolus adorationem Crucis, & revertetur per latus, & non eadem via, qua acceſſerat, depoſitis pariter calceamentis, quia *Cærem: Epiſc.* loc. cit. etiam Epiſcopum non celebrantem, ad adorationem tamen Crucis venientem, requirit excalceatum. Quod etiam de toto Religioſorum Cætu ſentiendum venit, ex eodem *Cær. Ep. pluribusq; Authoribus, Sacrorum Rituum interpretibus*, exceptis ſæcularibus perſonis, & ita omnino præcipit *Cærem: Monaſt. Congr. Montis Serrati in Hiſp. P. 1. c. 13. n. 9. pag. 223.*

12. Poſt D. Abbatem, adorabunt Crucem Miniſtri ſacri, poſt eos Patres, & Fratres per ordinem bini, & bini Cucullis ornati, poſt hos Acolythi, & omnes eandem Methodum adorationis in omnibus ſervabunt, ſicut Celebrans, ut ſupra dictum eſt. Hoc tamen advertant, ut poſt oſculum pedum Crucifixi erecti, adhuc in eodem loco iam unico genuflectant, & ſtatim ad latera recedant, ne eadem revertentes via, accedentes impediant, aut ne terga vertant Cruci. Dum illi in receſſu faciunt genuflexionem, hi qui adveniunt, primum genuflexionis faciant acceſſum, & cum ſocio ſuo ſemper æqualem; manibus ante pectus junctis, Caput in genuflexione profunde inclinando, in ſignum profundæ ſubmiſſionis.

13. Curent omnes, ut uniformem in omnibus habeant actionem, genuflexi ita debent eſſe ante Crucem, ut ipſa Crux ſit quaſi in medio utriusq; dum adorant, ſimul ſurgant, ſimul genuflectant, & nec prius Senior, aut dignior ſurgat, quin Junior adoraverit, ut ambo ſimul ſurgant. Miniſtri ſacri poſtquam adoraverint, revertuntur ad locum ſibi deſtinatum prope Celebrantem, ubi, ſicut & Celebrans induunt Calceamenta, ſedentq; cum illo in Scamno præparato ad latus Epiſtolæ, acceptoq; Miſſali recitant Improperia, & alia quæ à Choro canuntur, expectantes, donec terminata fuerit adoratio Crucis, Acolythi genuflexi à principio penes Crucem hinc, inde, permanere debent ad finem, modeſte orantes, qui tumultuantem ſecularem populum, eundemq; ad modeſtiam, & devotionem, ſi

opus

opus est excitare tenentur. Circa finem adorationis peragun-tur exactè ea omnia, quæ in Rubro Miss: sunt præscripta.

14. Processio ad Capellam fit per viam breviorem, & de Capella cum SS. Sacramento per viam longiorem, si fieri potest. Et Calix, seu Pixis obtegitur ut heri extremitatibus veli pendentis ab humeris Celebrantis. Incensatur prius SS. Sacramentum, antequam extrahatur de suo asservatorio, seu Armario, aut Capsula, ubi heri inclusum fuit. Non benedicitur populus cum eo. Finita Processione, postquam Celebrans deposuerit in Altari SS. Sacramentum, statim velum humerale Subdiaconus amovet ab eo, qui constitutus in 2. gradu, genuflectit in Suppedaneo, ac ter incensat Sacramentum.

15. Finita hac incensatione Celebrans non lavat manus, contra quosdam, sed ascendens ad Altare cum Ministris, iterum unico genuflectit cum illis, discooperit Calicem seu Pixidem; congruentius esset ut S. Hostiam aliquomodo eam extraheret, non tangendo digitis, si autem tetigerit, abluat digitos in vase aliquo vitreo, hancq; ablutionem sumat post suam Communionem. Infuso Vino, & Aqua in Calice sine benedictione, Celebrans ad Altare stans, parumq; conversus ad Diaconum, & Thuriferarium, imponit incensum, non tamen illud benedicit, recipit thuribulum incensat de more oblata, post quæ incensat tantum Crucem, & non Sacramentum, quia iam est incensatum, in fundamento Decr: S. R. C. postea pergit incensare Altare more solito, nec tamen incensatur à Diacono.

16. Dum Celebrans elevat una manu Hostiam, altera scilicet sinistra tenet patenam supra Corporale, sub Hostia Sacra, ita ut pollex, & index dictæ manus innitantur Patenæ, reliqui digiti ponantur supra Corporale, iam amplius non genuflectendo, dum enim demittit ab elevatione Sacram Hostiam, posita statim in eodem loco, scilicet supra Corporale, patena, sinistram manum apponit S. Hostiæ supra Calicem statim frangendo, ut in Missis. Ideoq; Diaconus invigilet, ut tempestive Calicem detegat, ne cogatur Celebrans expectare. Reliqua peragit, ut in Rubrica dici. Intortitia tamen ardentia in manibus Religiosorum, ab ipsa Processione non prius extingvi debent, quam sumpto Calice.

17. Finitis Cæremoniis Celebrans descendit, in planum, ante gradus Altaris, ubi facta genuflexione, surgit, & inclinatus cum omnibus versus Altare dicit *Pater*, & *Ave* inchoatq; Vesperas ab Antiph: *Calicem*. &c: quas in Choro stando

recitant. Et dum post *Magnificat* inchoat ℣. *Christus factus est* &c: omnes cum Celebrante genuflectunt, concluduntq; genuflexi dictas Vesperas, ubi Celebrans recitat genuflexus Orationem *Respice* &c: secundum Rubr. Brev.

18. Et quia secundum consvetudinem Regni nostri particulæ remanentes in Pixide SS. Sacramenti collocantur in loco, luminibus corruscante, variisq; decoribus adornato, ubi remanent usq; ad Noctem Resurrectionis Dominicæ, quem locum vulgo vocamus *Sepulchrum*, ideoq; processionaliter dictæ Sacræ particulæ inferendæ sunt. Proinde finitis Vesperis accedunt 2. Thuriferarii, & Celebrans in plano ante gradus Altaris stans, ministrante Diacono Naviculam, imponit thus in utrumq; Thuribulum, ac tandem in suppedaneo genuflexus, unico thuribulo tantum incensat ter Sacramentum, in Pixide, impositoq; humeris suis velo oblongo, accipit velatam Pixidem extremitatibus prædicti veli, & conversus ad populum consistit donec Cantor inchoét ℣. *Recessit Pastor* &c: quo inchoato, sine ulla benedictione procedit Processionaliter ad locum designatum eo ordine, quo ex Capella venerat ad Altare, Religiosi omnes ardentia intortitia in manibus deferent, prosequentes cum Cantoribus reliquum Responsorii

19. Ubi vero Celebrans pervenit ad dictum locum sepulchri, Sacerdoti iam parato Superpelliceo, & stola reddit Pixidem, quam ille locat in eminentiori loco, velo tamen obducto. Et Celebrans cum Ministris Sacris, cæterisq; comitantibus genuflectit, excepto Subdiacono cum Cruce, & Ceroferariis cum Cereis, qui manent stantes. Dum in loco congruo repositum fuerit SS. Sacramentum, & velo aliquo subtili, per quod Pixis videri possit, obducatur, Celebrans incensat illud, cum profunda ante, & post reverentia, & manet genuflexus, donec terminata fuerint ℟. ℟. quibus finitis eo ordine quo venerat recedit in Sacristiam. Et ex eo tempore Psalterium canatur à PP. & FF. ordine in horas dispositis; per schedulam aliquam a P. Priore conscriptam, ne Ecclesia sileat, ut nocte, dieq; Psalterium concinatur. Cujus Psalterii tonus usq; ad Missam Sabbati Sancti erit Octavus, post Missam vero in signum Paschalis gaudii iam annuntiati canatur tonus Quintus.



De-

Decreta S. R. Congregationis.

1. In Feria VI. Parasceves non est ministranda Eucharistia nisi infirmis, (scilicet periculose decumbentibus) S. R. C. 19. *Februarii 1621. in una de festo Annuntiationis.*

2. Celebrans in Parasceve mittat particulam in Calicem, sine aliquo signo Crucis, neq; se signet cum Calice. S. R. C. 28. *Augusti 1627. in una Urbis.*

3. In Feria VI. Parasceves thurificanda sunt oblata, sed post thurificationem oblatorum, non est iterum thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præsentiam, non est omittenda thurificatio Crucis, sed Crux & Altare thurificanda sunt, eo prorsus modo, quo fit in aliis Missis, non omissis debitis genuflexionibus, transeundo ante SS. Sacramentum. S. R. C. 5. *Julii. 1695. in Panormitana, & 3. Augusti 1697. pariter in Panormitana.*

4. In adoratione Crucis Feria VI. in Parasceve, debent Celebrans, & Ministri, deponere etiam Manipula. S. R. C. 15. *Septembris 1736. in Toletana.*

CAPUT IX.

De Sabbato Sancto.

1. SAbbati hujus Sancti Cæremonias, sat, superq; exaravit Rubr: Missalis, ast quia aliqua videntur ambigua, ea hic explanare, gravissimorum Rubricæ interpretum innixi Judicio, non dubitamus. Itaq; præprimis sciendum est; non esse denuo benedicendum Cereum Paschalem, qui anno præterito benedictus est: quia cum jam habeat esse Sacrum, quod benedictione confertur, frustra secunda benedictio adhibetur. Cum enim Cereus semel benedictus non perdat benedictionem, quo ad partes non consumptas, ideoq; iterum benedici non potest, saltem absq; veniali peccato. Nec obstat quod sit refectus in minori parte, non enim amittit benedictionem ex eo, quod postea reficiatur, solum addita minori parte absumpta, quia potius major pars quæ remanet benedicta, trahit ad se minorem, & sic Cereus totus, quamvis refectus, remanet benedictus. ergo non potest iterum benedici; nam benedictio secunda fuo frustra-

straretur effectu, contra reverentiam ei debitam. Aliter autem sentiendum est de Cereo præteriti anni in majori parte refecta, & renovato: Cereus enim benedicendus, absolute debet esse novus, & talis benedici debet, ex vi Rubr: Miss: & ex vi formæ benedictionis, seu præconii, quod Cereum novum esse debere, supponit. Abstinendum itaq; est ab illa parcitate, quia propter decorem domus Dei, nec sumptibus parcendum.

2. Grana incensi, debent esse aut de incenso ipso elaborata, aut majori ex parte facta, quid enim benedicitur, si nullum est incensum in dictis granis? utiq; ex sola Ecclesiæ denominatione quisq; inferre potest, quia Rubrica, expresse denominando grana Incensi, talia esse præsupponit, ideoq; non Ceram, sed incensum benedicere præcipit. Hoc ipsum eruditissimi *P. Merati in Cærem: Hebd. Sanctæ, Sabbato S. pag: mihi* 143. atq; *P. Bauldry P. IV. c.* 11. n. 13. præcavent: *Ut saltem plus thuris appareat, quam alterius rei*, & *Paris Crassus L. II. c.* 48. vult esse novum omnino incensum, & prætendit tale incensum appellare: *Masculum.* Hac die Ceroferarii præter Missam nullum Officium habent, ideoq; non sunt necessarii, patet hoc ex Rubr: & multis Authoribus, præsertim quia habent alia Officia, quibus satisfacere debent vi muneris sui.

3. Finita Nona Canonica, & omnibus bene secundum Rubr: Miss: præparatis, ac dispositis, Celebrans aliquis ex superioribus, non tamen D. Abbas, paratus amictu, Alba, cingulo, Stola in modum Crucis aptata, & Pluviali coloris violacei, cum Ministris, scilicet Diacono & Subdiacono in Paramentis coloris Violacei, procedit hoc ordine: Præcedit minister de vase aquæ benedictæ solus, post eum minister tenens grana incensi in pelvicula, habens à sinistris suis Thuriferarium cum thuribulo vacuo, consequitur eos minister de candelabro triangulari. Tum Subdiaconus cum Cruce Processionali absq; Ceroferariis, quem sequuntur Religiosi per ordinem. Ultimo loco incedit Celebrans manibus junctis, habens à sinistris suis Diaconum. Omnes aperto capite, præter Celebrantem, sicq; procedunt ante portam Ecclesiæ, ad benedicendum novum ignem.

4. Excusso novo igne de silice, accensisq; lignis sulphuratis, dum jam ebullit ignis à Celebrante benedicitur. Subdiaconus stat cum Cruce, ex opposito Celebrantis, Crucifixi effigie erga eum versa. Finita benedictione novi ignis, antequam procedant ad Ecclesiam, Celebrans ita sufficienter imponit incensum in thuribulum cum benedictione, ut sufficiat & ad Processionem, & ad Libri Præconii incensationem. Proceden-

dentes ad Ecclesiam, hunc servent Ordinem, imprimis præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, habens Acolythum cum 5. granis incensi à dextris suis, sequitur Subdiaconus cum Cruce, tum Religiosorum turma, deinde Acolythus cum arundine, ad cujus sinistram Minister de vase aquæ benedictæ, quam alicui sæculari viro tradere potuit, & ipse candelulam parvam accensam portabit, ad accendendas Candelas arundinis. Hos consequitur Diaconus, qui ad portam Ecclesiæ, depositis violaceis paramentis, capiet Manipulum, Stolam à brachio sinistro in latus dextrum transversam, & Dalmaticam coloris Albi. Ultimo loco incedet Celebrans tecto Capite in Pluviali suo violaceo.

5. Ut Diaconus fuerit ingressus Ecclesiam, & post eum Celebrans, sistunt se omnes, & Acolythus ignem novum ferens accendit candelam unam in triangulari arundine existentem, qua accensa prius Diaconus & omnes cum Celebrante utroq; genuflectunt, præter Subdiaconum, Crucem ferentem; sic ergo Diaconus genuflexus elevando arundinem cantat *Lumen Christi*, tono mediocri, ita ut 2da, & 3tia vice altius vocem elevando, commode canere possit. Quo audito Celebrans, & omnes genuflexi surgunt, atq; in eodem tono respondent: *Deo gratias.* Quod secundario in medio Ecclesiæ accendendo alteram arundinis candelam, & tertia vice in Choro ante Altare pari modo servandum est. Ad Præconium petitur à Diacono benedictio, ut ad Evangelium, non tamen dicitur *Munda Cor &c.* & datur à Celebrante benedictio mutatis mutandis, nec tamen manum ejus osculatur Diaconus. Ita *Cærem: Episc: L. 2. c. 27.*

6. Minister ille Acolythus, qui ad aquam lustralem fuit, quiq; novum ignem ferebat, modo, dum Diaconus accipit benedictionem, capit Cereum Paschalem vel de Sacristia, vel de Candelabro, non enim prius apparere debuit, quam dum necessitas exigit. Ideoq; in Processione illa nulla ratione fuit deferendus, cum nulla Rubr: nullusq; Author mentionem faciat de altefato Cereo in processione gestando. Ordo autem omnium Ministrorum, circa Diaconum astantium erit, talis ut sequitur.

7. Imprimis ut rectè observetur Rubr: Miss: & omnia ordinatè fiant, sciendum est: quia Diaconus cantaturus Paschale præconium, non ita stare debet ut ad Evangelium cantandum, licet in eodem loco in quo Evangelium canitur; scilicet facie ver-

versa non ad Aquilonem, sed ad meridiem, (prout exponit *P. Merati P. IV. tit:* 10. §. 7. *n* 21.) & consequenter ad Celebrantem; ipse enim Celebrans stare debet in cornu Epistolæ, conversus ad Diaconum, sicut ad Evangelium. Et circa Diaconum omnes stare versa facie ad Celebrantem tenentur in recta linea. Unde præfatus Author loc: cit: dicit: *Quando à Diacono canitur Præconium in Pulpito, seu suggestu, tunc Diaconus non cantat facie versa ad Aquilonem, sed potius ad Meridiem, nimirum ad Celebrantem. Et cum præscribatur* à Cærem: Episc: L. 2. c. 27. *quod prædicti omnes Acolythi debeant vertere facies prout ipse Diaconus; Hinc sequitur, quod sicuti Diaconus in pulpito canit Præconium versa facie ad Celebrantem, & Meridiem, ita pariter hoc eodem modo cæteri manere debent, non autem vertendo renes ad Meridiem, & facies ad Aquilonem. Et idem faciendum esse censeo, si canatur præconium super legile, quod aptari deberet eo modo, ut Diaconus cantet præconium facie versa ad Sacerdotem, inhærendo etiam Gavanto.* Nimis enim indecorum esset, si omnes Acolythi Celebranti terga verterent. Prædictum ergo Præconium cani debet ad instar Evangelii, ut testatur Rubr. non tamen est ipsum Evangelium, ideoq; canitur in eodem loco, in quo & Evangelium, diverso tamen situ Corporis Diaconi ut ad Evangelium.

8. Sic itaq; collocato legili, panno pretioso, seu Tobalea eleganti cooperto. Diaconus ita se locet, ut terga vertat ad Aquilonem, latus sinistrum ad Altare, faciem ad meridiem, seu ad Celebrantem reliqui Ministri pariter se locant, formantes ab Altari lineam rectam in hac Fig: Literarum hujus figuræ

T. S. D. A. C. G.

hæc est explicatio: T. denotat Thuriferarium, S. Subdiaconum cum Cruce, qui faciem Christi Crucifixi convertere debet erga Celebrantem, D. significat Diaconum Præconium canentem. A. signat Acolythum arundinem cum tribus candelis tenentem. C. Acolythum Cereum Paschalem tenentem. G. autem denotat Acolythum 5. grana incensi super pelvicula, ambabus manibus sustinentem. Omnes itaq; in recta linea stantes, habeant illuc faciem conversam, ubi Diaconus, qui cantat prædictum Præconium, *Exultet &c.* ut per omnia salvetur Rubr: Missalis Rom: seu Monast. Hæc enim est decisio Sapientissimorum Virorum Rubr: interpretum.

9. Quando in Præconio Diaconus devenit ad illa verba *Curvat imperia*: convertit se ad sinistram, & ministrante Acolytho grana incensi, infigit eadem in Cereo Paschali in modum

Cru-

Crucis, non qualicunq; Methodo, sed secundum sequentem figuram forma, qua solet benedicere; Ita ut 1mum Granum figat in superiori parte. 2dum Granum in medio, 3tium Granum in inferiori, 4tum in dextera Cerei, & 5tum in sinistra ejusdem Cerei. Insigitq; aliquomodo fortius ne decidant, & si necessitas compulerit, & ferrei Clavi essent in dictis Granis, hi ad ignem calefieri possunt, ut sic profundius penetrent, & firmius inhæreant. 1. 4. 2. 5. 3.

10. Et licet Rubrum præcipiat, ut tempestivè lampades in Ecclesia extingvantur, ut postea tempore præfixo novo lumine accendantur; hoc intelligendum est de lampadibus aliis per Ecclesiam, si quæ sint, non vero de iis, quæ ardent continuò coram Sanctissimo Sacramento in Sepulchro deposito, quia hæ lampades extingvi non debent propter reverentiam Sacramenti. Ideoq; dum tempus aderit accendendi lampades, tunc Acolythus in Altari majori duas vel plures accendere debet, & his accensis, Sacrista accepto novo igne, vadit ad sepulchrum, ibiq; antiquum ignem extingvit in lampadibus, & statim novo easdem accendit, ne deficiat ignis ante Venerabile Sacramentum. Ita declarat *P. Merati P. IV. tit.* 10. §. 7. *n.* 26. *Nicolaus de Bralion P. III. c.* 13. *n.* 14 & plures alii.

11. Lampades autem, vel Lampadem non ipse Diaconus accendere debet, sed post illa verba: *Apis mater eduxit,* aliquantulum cesset à Cantu, faciatq; pausam. Et ille Acolythus, qui ministrabat grana incensi, reposita prius pelvicula, & accepta de Credentia candelula, revertitur ad locum suum, servatis debitis reverentiis Altari, Celebranti, & D. Abbati, si aderit; Tum finitis supradictis verbis, accendit Candelulam, procedit ad Altare, non sine debitis reverentiis, ibiq; accendit lampades. Saltem una lampade accensa Diaconus prosequitur suum præconium, & non expectat quousq; in Sepulchro novo igne lampades accendantur.

12. Finito Præconio Celebrans non osculatur Librum, sed per viam breviorem descendens in planum ad cornu Epistolæ, deponit Pluviale, & accipit Casulam una cum Manipulo, coloris violacei, reverriturq; ad locum suum. Subdiaconus pariter deposita Cruce prope Credentiam, capiet manipulum Violaceum; Diaconus vero procedit ad Sacristiam, ibiq; alba paramenta commutat in violacea, & accedet ad Celebrantem. Aut si aliquis ex Senioribus cantavit Præconium, alius tempestive paratus Diaconus procedat ad Altare, & ille reversus in Sacri-

cristium deponet sacra Diaconalia paramenta. Acolythus Cereum gestans locabit eundem accensum in suo majori Candelabro ad cornu Evangelii. Pariter Acolythus de Arundine, locabit eam cum Candelis ardentibus propè Cereum in aliquo tuto loco, & non extingvantur, nisi finita Missa, & Vesperis. Thuriferarius, & Acolythus de granis redibunt in Sacristiam.

13. Prophetiarum publica lectio in Ecclesia convenit omnibus præsentibus Religiosis, incipiendo ab iis, qui sunt initiati minoribus Ordinibus, usq; ad Sacerdotes, omnes enim in Choro præsentes, atq; Acolythi inservientes dictas Prophetias legere debent, exceptis Celebrante, cum SS. Ministris, scilicet Diacono, & Subdiacono, D. Abbate, & P. Priore, ac venerabilis senii debilitate. Quia & in Cathedralibus Prælati Canonici non legunt, alii vero Canonici legere tenentur, ut patet ex *Cærem: Episc: L. 2. c. 28.* Ad dictas Prophetias ministri sacri stabunt unus post alium, post Celebrantem recta linea. Legile autem statuatur nudum in medio Chori, in quo ponatur Missale, ibiq; ex eo legantur prædictæ Prophetiæ, & non in cornu Epistolæ. Si exiguus inveniatur numerus Religiosorum, potest unus plures Prophetias legere, non tamen continuatim, sed cum interruptione quorumdam, & ii præsertim ad id eligantur, qui fortiori voce pollent, expeditiùs legunt, quibus longiores Prophetiæ committi possunt, legant autem eo modo quo Cap: præcedenti n. 3. declaravimus: curare enim quilibet lector debet ut voce sonora, & intelligibili, expedite, & non morosè legat, ne sit tædio audientibus, habeat etiam manus extensas, positas super librum. Quilibet autem superpelliceo solo indutus, vel ad summum Cuculla vestitus esse debet, absq; tamen Stola.

14. In Missa, finita Lectione Subdiaconus, si aderit D. Abbas in Choro (quod conveniret) aut si Celebraverit, accedet ad eum, propter osculum manus, imprimis tamen facta ei debita reverentia constitutus prope illum, dicet: *Reverendissime Pater, annuntio vobis gaudium magnum, quod est Alleluia,* & statim accedens osculatur ejus manum. Ita *Cærem: Papæ L. 2. sect: 1. c. 57. & Cærem: Episc: L. 2. c. 27. & 28.* insuper *P. Bauldry P. V. c. 27. n. 25. & c. 28. n. 10* & alii.

15. Hodie licet ad Canticum *Magnificat* incensatur Altare, non tamen incensatur SS. Sacramentum in Sepulchro, licet sit expositum, thurificatur tamen Celebrans, D. Abbas, Chorus, atq; Ministri. Sed ad Canticum *Nunc dimittis* in Completorio, licet solemniter dicatur, nulla fit incensatio propter prohibitionem

nem Decreti S. R. C. Completorium peragitur solemniter, ante horam 5. non tamen majoribus campanis pulsatur, sed ordinaria tantum campanula. Finito Completorio sequitur Collatiuncula. Psalterium canitur usq; ad mediam noctem continuo, dispositis in schedula per Horas Patribus, & Fratribus, ut populus ad majorem excitetur devotionem, & etiamsi nemo sit, canatur tamen, ut supra dictum est in Tomo 5.

16. Cereus Paschalis congruenter ex peritorum sententia, in latere Evangelii collocatus, ordinariè accendi debet: 1mo. In die S. Paschæ ad totum Matutinum solemne, & Laudes, in Missa solemni, ad Vesperas, & completorium. 2do. Duobus sequentibus diebus Paschatis, ad Missas Solemnes, & Vesperas. 3tio. Sequentibus diebus usq; ad Dominicam in Albis ad Missam Conventualem. 4to. In omnibus Dominicis usq; ad Ascensionem D. ad Missas cantatas, & Vesperas. 5to. In diebus Festis Sanctorum solemniter in Choro celebratis, ad Missam Conventualem, & Vesperas. 6to. In Missis Votivis solemnibus pro re gravi, dummodo non adhibeatur Color violaceus, unde non est accendendus in Missis Rogationum, & in aliis similibus. 7mo. In die Ascensionis D. accenditur ad 1: Vesp. Missam totam unam Cantatam, & ad Missam Conventualem usq; ad Evangelium. Quæ omnia erui videntur ex Decr: S. R. C.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Cereus Paschalis regulariter accendi debet ad Missas, & Vesperas Solemnes, in triduo Paschatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis usq; ad Ascensionem, quo die cantato Evangelio extingvitur. Ad Matutinum, & in aliis solemnitatibus, & diebus solemniter celebratis, non accendatur, nisi adsit consvetudo, quod durante tempore Paschali accendatur. S. R. C. 19. *Maii 1607. in Florentina.*

2. In Sabbato Sancto etiamsi occurat Festum Annuntiationis B. M. V. Celebratio Missarum privatarum omnino prohibetur in quibuscunq; Ecclesiis, & Oratoriis, tam publicis, quam privatis, non obstante quacunq; contraria consvetudine: sed unica tantum Missa Conventualis, una cum Officio ejusdem Sabbati Sancti celebretur. S. R. C. 11. *Februarii 1690. approb. Alexandro VIII. 11. Martii anni ejusdem.* & 13. *Septembris 1692. ac 10. Januarii 1693. in una Galliarum.*

3.

3. Benedictio Aquæ in Sabbato Sancto, etiam sine infusione Olei Sancti fieri non potest in Ecclesiis, non habentibus Fontem Baptismalem; quamvis usus sit in hujusmodi Ecclesiis, talem benedictionem fieri S. R. C. 13. *Julii.* 1697. *in Januen.*

4. Prima pulsatio Campanarum in Sabbato Sancto non est de Juribus Parochialibus, prout jacet, sed spectat ad Ecclesiam digniorem, ad formam Constit. Leonis X. S. R. C. 10. *Decembris* 1703. *in Decr. generali.*

CAPUT X.

De die Sancto Paschæ.

1. HAC die S. Paschæ, quæ est nobilitas Anni, Mensium decus, alma dierum, splendor horarum, ut fatetur *Rupertus L. VI. c.* 20. nihil ordinariè venit notandum, cum & in Missali præter Solemnitatem, & in Brev. præter Celebritatem nullæ speciales Cæremoniæ adnotantur. In Regno tamen nostro Poloniæ, cum ex antiqua, & immemorabili consvetudine, atq; ex instituto Synodi Provinc. à Feria VI. in Parasceve deponatur vel Sacra Hostia in ostensorio obvelata, vel Pixis cum Sacris Particulis in aliquo loco à latere, luminibus adornato, quod vulgo vocatur Sepulchrum, dictæq; Sacræ Particulæ, aut Hostia permaneat usq; ad diem S. Paschatis; nonnulla circa Cæremoniam in nocte Resurrectionis D. peragendam veniunt declaranda.

2. Hora itaq; duodecima Noctis, excitatis à somno Patribus & Fratribus in Monasterio existentibus, omnibusq; compte se ornantibus, datur signum adam pro Matutinis Vigiliis quadrante uno post mediam Noctem, vel semisecundo. Antequam autem inchoetur Matutinum, priùs juxta morem Provinciæ debet fieri apertio Sepulchri, prout notatur in Rituali Romano, Cracoviæ, vel Brunsbergæ Typis impresso, de mandato dicti Synodi Provincialis. Ideoq; omni, qua par est, Solemnitate, D. Abbas indutus Pontificalibus, scilicet Amictu, Alba, Cingulo, Pectorali, Stola, & Pluviali albi Coloris, Mitraq; pretiosa ornatus, ac Baculo Pastorali suffultus, pro-

cedit

cedit de Sacriſtia cum Miniſtris, cœtuq; Monachorum, ardentes Cereos in manibus portantium ad alteſatum locum Sacri Sepulchri.

3. Ubi genuflexi ordine ſuo, inchoante D. Abbate, canunt Antiph: *Gloria tibi Trinitas* &c: adjungendo Pſal: *Laudate Dominum omnes gentes*, &c: & *Domine quid multiplicati ſunt* &c, cum *Gloria Patri* &c: Tum repetita Antiphona, decantatisq; Verſibus, & Oratione à D. Abbate, ab eodem reſerantur ſigilla, ſeu velum Sepulchro affixum. Tandem aſſumpta de Sepulchro Cruce Proceſſionali Stola præcincta, atq; effigie Reſurrectionis Dominicæ ſculpta, tradit ea in manus Miniſtrorum, & ipſe cum Miniſtris genuflectit. Interim Campanæ adhuc ſilent, nec tempeſtive pro Matutino erit pulſandum, ſed tantum ordinaria Campanula quæ eſt in clauſtro, per primum & 2dum pulſum, excitandi, & convocandi ſunt Fratres ad Eccleſiam.

4. Genuflexis omnibus, D. Abbas erigit ſe, imponit incenſum in thuribulum, tum iterum genuflexus incenſat SS. Sacramentum, cum profunda ante, & poſt reverentia. Tum miniſtrante aliquo Preſbytero Cotta, & Stola induto, deponitur de loco ſuo Sacramentum cum Oſtenſorio, in quod tempeſtivè imponi debet Hoſtia conſecrata, Pixis autem cum particulis ad Ciborium deferri cum luminibus in ſilentio. Imponitur etiam per Subdiaconum Velum oblongum humeris D. Abbatis, & aciculis ante pectus connectitur, qui ſurgens, & propius ad Sacerdotem Oſtenſorium tenentem accedens, genuflectit, accipitq; prædictum Oſtenſorium, ac adjuvante Diacono Manus, ac pedem Oſtenſorii obtegit velo, ut ſola Sacra Hoſtia in ſole appareat.


5. His peractis convertit ſe D. Abbas ad populum, & vel ipſe, vel potiùs Cantor inchoat Antiphonam *Cum Rex gloriæ* &c: quæ dum canitur tota, D. Abbas immobiliter perſiſtit in loco ſuo, ſtatim verò ut elevatur Oſtenſorium de Sepulchro, Tubæ Tympana, & Organa reſonant, ac Campanæ omnes pulſantur, omnisq; Tryumphi fit applauſus. Finita prædicta Antiphona, inchoatur à Cantore 2da Antiph. *[illegible]* &c: & tunc data benedictione ſemel cum Sacramento, ſurgunt omnes & proceſſio ordinatur eo modo, quo ſupra dictum eſt, in qua non tantum ſemel circuitur per Eccleſiam, vel per locum Proceſſioni deſignatum ſed trina fit circuitio, juxta morem Specialiorem Provinciæ.

6.

6. In Processione trina cantantur ab omnibus Antiphonæ in Processionali ordinario præfixæ, quibus Polonicus interiicitur Hymnus: *Przez Twoie Swięte Zmartwychwstanie* &c: Et dum tertius circulus terminatur, in ipsa Processione, absq; ulla statione, vel genuflexione à Cantore inchoatur Ambrosianus Hymnus: *Te DEUM laudamus.* &c: quem omnes decantant cum Organis progredientes ad Altare, eumq; terminant. Postea à D. Abbate cum Ostensorio ad populum converso canitur trina vice ℣. *Salvum fac populum tuum Domine*, additoq; ad tertiam repetitionem: *Et benedic hæreditati tuæ*, datur ab eodem cum Sacramento benedictio, & facta postea incensatione Sacra Hostia servatur in Pixidem, quæ statim includitur in Tabernaculo, nihil dicendo. Et jam præter superius dicta nulla additur Cæremonia, scilicet cum Cruce Processionali facienda, hæc enim respicit tantum Ecclesias Parochiales; sed immediate inchoatur Matutinum, & omni qua par est Solemnitate absolvitur.

7. Ad Primam dum Lector Martyrologium est cantaturus, non prius pronuntiet Kalendas, quam annuntiabit Paschalis lætitiæ diem, per verba: *Hac die* &c: ut in dicto Martyrologio notatur. Ad quæ verba totus Chorus stat capite aperto, faciebus ad invicem conversis. Et dum pronuntiantur Kalendæ, omnes consident. Reliqua autem tam in Officio Divino, quam in Missis debito ordine peraguntur, & nihil speciale invenitur, nisi quod, omnia fiant cum maxima Solemnitate, necesse est, ut populus ad majorem excitetur devotionem.

8. Hoc præterea notandum est: quod Cereus Paschalis non debeat portari in Processione, nullum enim hujus invenitur fundamentum, neq; ulla de talibus fit mentio in Rubricis aut generalibus, aut specialibus; quinimo magis convenit ut dictus Cereus Paschalis ardens permaneat immobilis in suo Candelabro sub tempus Processionis. Quod experientia ipsa didicimus, conspicientes Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, atq; Regularium in talibus dispositionem. Ideoq; abusus ille, ubi invaluit, ut pote imperitorum Parochorum inventum, tollendus est.



C A-

CAPUT XI.

De Litaniis majoribus, & minoribus.

1. IN die S. Marci Evangelistæ fit solemnis Processio Supplicationum per omnes Ecclesias Cathedrales scilicet, & Collegiatas, Regulares & Parochiales, in quibus canuntur Litaniæ, quas preces S. R. Ecclesia vocat Litanias majores. Pariter tribus diebus Ascensionem Domini prævenientibus, videlicet diebus Rogationum, fiunt etiam similes Processiones, quas Rubrica apellat Litanias minores. Ideoq; non nuda Litaniarum recitatione Chorus satisfacere menti Ecclesiæ supponat, sed omnino Processio per Ecclesiam, vel per locum alium Processioni designatum, cum cantu Litaniarum de omnibus Sanctis instituenda est, ad adimplendam Rubricam his diebus præscriptam.

2. Non desunt, qui dicant: Parochialium Ecclesiarum esse munus his diebus instituere Processionem; sed respondeo: Lex Ecclesiæ statuens his diebus Processiones est generalis, & universim omnes stringit Ecclesias, maximè vero has, ubi Officium Divinum in Choro persolvitur. Ideoq; & *Brev. Monast. pro omnibus sub Reg. S. P. Benedicti militantibus Die XXV. Aprilis* talem habet Rubr: *Hodie qui non intersunt Processioni Litaniarum, dicant illas privatim post Matutinum.* & Fer. II. in Rogationibus, sequens habetur Rubr: *Hoc triduo qui non intersunt Processionibus Rogationum, privatim post Laudes dicant Litanias.* Ex quibus Rubr: Brev. Monast. nihil aliud inferri potest, quam prædictis diebus, Processiones Litaniarum omnino institui debere.

3. Itaq; pro dicta Litaniarum Processione Celebrans paret se Amictu, Alba, Cingulo, Stola in modum Crucis aptata, & Pluviali violacei coloris, non vero superpelliceo, & Stola, cum expresse Rubr. prædictis ornatum Officiantem exigat. Ministri pariter Sacri Diaconalibus, & Subdiaconalibus Paramentis vestiri debent, absq; Manipulis. Et tunc (ut concedit *Cærem: Episc: L.* 2. *c:* 32. pluresq; Rubricistæ conveniunt) tam Celebrans, quam Sacri Ministri Reliquias Sanctorum deferre possunt.

4. Antiphona *Exurge Domine* &c: Stando cantari debet, sed

sed ea finita omnes genuflectunt ad ℣. *Peccavimus* &c: Duo Cantores genuflexi inchoant Litanias de omnibus Sanctis ex Brev. Monast: cæteris pariter genuflexis respondentibus. Postquam autem inchoatum fuerit: *Sancta MARIA.* omnes surgunt, & procedunt statim ordine suo prosequentes Litanias, & non expectant hunc ℣. *S, Petre*, quia nullibi de tali Cæremonia sit mentio. Si longior sit Processio nihil tamen aliud cani debet, quam dictæ Litaniæ, & Psalmi aliqui vel ex Pænitentialibus, vel ex Gradualibus, & nulla Cantica lætitiæ ad mentem Ritualis Romani. Decantatis Litaniis Preces & Orationes ad stationem vel aliæ recitari debent quæ sunt in Brev. Monast. vel etiam illæ Commemorationes de SS. Patronis Regni Poloniæ ut notantur in Rit. Rom. ex mandato Synodi Provinc. impresso Cracoviæ, vel Brunsbergæ. Ad dictas preces, & Orationes omnes manent genuflexi, Celebrans tantum solus ad Orationes surgit, & non prius. Neq; tunc Ministri Sacri surgunt, sed manent genuflexi tenentes Celebranti Librum ad Orationes.

5. In supradictis tamen Suffragiis Sanctorum, seu Commemorationibus eorum non seligantur nonnulli tantum Sancti, sed eorum omnium SS. Patronorum Regni, in dicto Rituali expressorum fiat mentio. Videlicet 1. *de Sancto Spiritu* 2. *de S. Cruce.* 3. *de B. V. MARIA.* 4. *de SS. Apost: Petro & Paulo.* 5. *de S. Patrono Ecclesiæ* 6. *de S. P. Benedicto.* 7. *de S. Adalberto E. M.* 8. *de S. Stanislao E. M.* 9. *de S. Venceslao M.* 10. *de S. Floriano. M.* 11. *de S. Hedvige Vid.* 12. *contra hostes Ecclesiæ*, 13. *Pro Rege.* 14. *Pro serenitate, vel Pluvia, vel Benignitate aëris.* 15. *pro avertenda mortalitate.* 16. *Pro pace.* 17. *conclusiva de omnibus Sanctis.* Hoc tamen nota, quia in die S. Marci, fieri debet de eo commem: sub num. 5. Horum ergo omnium fieri debet memoria, quia sic Synodus Provinc. Petricov: decrevit.

6. Ad imitationem harum Processionum poterunt aliæ ordinari, quæ fiunt per Annum, vel ad placandam iram DEI, vel ad pestem, famem, bellum, & alia tollenda, vel ad Serenitatem, aut pluviam impetrandam, in paramentis Violaceis. In omnibus tamen vitandum omnino est, ut non addantur Sancti in Litaniis, neq; speciales Patroni loci, Urbis vel Provinciæ, neq; Ordinis, sed ii tantum exprimantur qui sunt in Brev: Monast: expressi, quia id prohibuit S. R C.

Decreta S. R. Congr.

1. Non possunt in Litaniis inseri alii Sancti, præter ibidem descriptos, neq; tempore pestis addendi sunt Titulares, & Patroni Civitatis, sine speciali concessione. S. R. C. 27. *Martii* 1631. *in Rhegien.*

2. Occurrente Festo S. Marci die Dominico, in Missa Rogationum non dicitur *Credo* quia est Missa ferialis. S. R. C. 25. *Septembris.* 1688. *in Mutien.*

3. Si Feria III. Rogationum occurrat festum simplex, in Cathedralibus, & Collegiatis non sunt cantandæ duæ Missæ. S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

4. Occurrente Festo S. Marci infra Octavam Paschatis, in Missa Rogationum non est dicendum *Credo.* S. R. C. 5. *Julii.* 1698. *in Collen.*

5. In Festo S. Marci, vel respectivè in Feriis Rogationum, si fiat de Officio duplici, vel semiduplici in locis, ubi tantum una Missa cantatur pro majori populi commoditate, ut possit post Processionem vacare laboribus, convenientius est Processionem facere post Nonam, inde cantare Missam Rogationum. S. R. C. 5. *Maii.* 1736. *in Einsidlen.*

CAPUT. XII.

De Vigilia, & Die Pentecostes.

1. Vigilia Pentecostes in unum fere conincidit cum Sabbato Sancto, exceptis duntaxat Prophetiis in minori numero, & quod nec ignis nec Cereus benedicitur, ideoq; quoad Cæremonias Ecclesiasticas nihil superest notandum præter nonnulla dubia superiùs cap. 9. resoluta. Ad Prophetias Celebrans cum Ministris in paramentis Coloris violacei procedit ad Altare, ubi facta reverentia Cruci, vel Tabernaculo, osculatur in medio Altare Celebrans, & accedens ad cornu Epistolæ simpliciter inchoabit legere dictas Prophetias submissa voce; Et in medio Chori Clerici Religiosi vel etiam Patres illas per ordinem legent, inter quæ post *Oremus* non dicitur *flectamus genua* vel *levate* quia tempus Paschale est. Procumbit Celebrans cum Ministris ad Litanias, Missa in colore Rubeo celebratur, & ad *Gloria* Campanæ pulsantur.

2. Dominica Pentecostes, & per totam Octavam usq; ad Sabbatum sequens inclusivè, mutatur Hymnus ad Horam Tertiam canonicam, dicitur enim *Veni Creator Spiritus*. ad cujus Hymni primam stropham omnes in Choro præsentes genuflectere debent utroq; genu. Pariter & in Vesperis etiam Celebrans & Ministri ad supradicta præfatam genuflexionem exercere tenentur. Convenientius tamen esset, ut Celebrans in Vesperis, & Superior in Choro dictum Hymnum *Veni Creator Spiritus* inchoet, prout iam supra innuimus P. I.

3. Festa hæc cum omni Solemnitate sunt celebranda, in quem finem Ecclesia ornari debet quantum possibilitas permittit, ut ex decore domus Dei populus confluens majorem sumat affectum devotionis suæ. Sabbato sequenti, dicta in Choro Nona Canonica, & celebrata Missa, quæ omnino dici debet post Nonam, canitur Antiph: *Regina Cæli* &c. cum ℣. & Oratione pro conclusione temporis Paschalis.

Decreta S. R. Congr.

1. Missa Votiva de B. V. MARIA in Vigilia Pentecostes non potest dici S. R. C. 19. *Augusti* 1651. *in una Urbis.*

2. Infra Octavas privilegiatas non potest cantari Missa Defunctorum in Anniversario, & Officio Solemni S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

3. A Vigilia Pentecostes, usq; ad Festum SS. Trinitatis inclusivè, prohibetur officium etiam primæ Classis. Item prohibentur Missæ Votivæ, & de *Requiem*, excepta una solemni præsente Cadavere, quæ tamen prohibentur triduo sequenti. S. R. C. 10. *Decembris.* 1718. *in Æsina.*

CAPUT XIII.
De Festo Corporis Christi, ejusq; Octava.

1. HOc Festum cum sit solemnissimum, summa, qua par est, devotione, & reverentia ab omnibus celebrari debet. Ordo hac die devotionis non est unus, idemq; in omnibus Ecclesiis, sed variè in variis Provinciis, & Regnis peragitur. quia tamen Congregatio nostra Benedictino Polona in Regno Poloniæ, & M. D. L. sita sit, laudabili consvetudini hujus Regni standum videtur. Ideoq; Rituale ad usum Eccle-

sia-

siarum Regni Poloniæ hac de re consulatur, omniaq; ibi disposita ad amussim serventur, nihilq; minuatur, & nihil superaddatur.

2. Rituale Thorunii typis impressum, cum sit ab uno ex PP. Ord: S. Franc: Reform: editum, dicto Ordini S. Francisci tantum inservire videtur, ideoq; additamenta illa, præter Cæremonias Ritualis ordinarii Regni in nostra Congregatione pro regula non possunt haberi, quinimo prætermitti debent; præsertim cum sint contra Regulas Rubri, & multiplicata illa benedictio cum SS. Sacramento nullibi præscribatur, imo prohibeatur, unde nimia oriretur Celebranti confusio, ac summa fieret molestia: Regula autem generalis Rubri præcipit: ut si fiat benedictio cum Sacramento, illa sit tantum in conclusione Processionis, & tunc à Celebrante nihil canatur, quia & Rit: Rom: sic præcipit, & Gavantus expressam ponit regulam his verbis: *Nihil autem*, & ratio est, quam fatetur *P. Merati P. IV. tit. 12. n. 22. in Gavant. n. 7.* quia *propriè Celebrans non est ille qui benedicit populum, sed Sacramentum*, tunc enim, tantum Organa svavi modulamine resonare deberent.

3. In Rituali pro usu Ecclesiarum Regni Poloniæ edito, præscripta RR. prolixa ad quamlibet Stationem canantur, & non omittantur, quæ magis inchoari debent à Cantoribus, quam à Celebrante. Antiphona tamen *O! Sacrum Convivium &c.* vel statim post IV. Evangelium canatur, vel etiam finita Processione ad Altare majus concinatur, alias secundum Rubricam dicti Rit: deberet fieri 5ta statio, seu 5tum Altare ad prædictam Antiphonam, ideoq; hic error videtur corrigendus, & postea recedente Processione à supradicto Altari canatur Antiphona *Melchisedech &c.* & nulla amplius fit statio, nisi in Altari majori ad quod concludenda est Processio.

4. Officium Divinum, seu Horæ Canonicæ in Choro dicuntur exposito SS. Sacramento à primis Vesperis dicti Festi, usq; ad Completorium in Octava Corporis Christi: Unde curandum est omnino, ut ad minimum 6. Candelæ ex cera, & non ex sævo ardeant, toto illo tempore, quo dicta expositio publica peragitur, sin secus melius esset non exponere, quam expositum Sacramentum debito cultu, & honore non prosequi. Decreta enim S. R. C. aliæq; Summ: Pontif. Constitutiones præcipiunt, ut quoties fit expositio, ut 16. Candelæ Ceræ albæ ardeant. Cum ergo in tantum numerum vix quisquam consentiat libenter, ideoq; saltem 6. accendere, & continuo ardere Rector Ecclesiæ curet.

5. Et cum hi, qui hac tota Octava Corporis Christi interfuerint horis canonicis, lucrari possint Indulgentias a Summ: Pontif. concessas, etiamsi Officium non fuerit de Octava, sed de Sanctis occurrentibus, quas Joannes XXII. suo Decreto confirmavit; ideo sive multi, sive pauci sint sæculares præsentes, Matutinum non media nocte, sed post Vesperas, & Completorium absolvatur, ante Cœnam, per totam Octavam. Hoc patet ex Statutis Capitulorum Generalium in additamento Constitutionum expressis, à Capitulo Diætæ 26. Julii 1730. receptis, & S. Sedi Apost: ad approbandum porrectis, cujus tenor sequitur & est talis n. 9. *Per totam solemnem Octavam SS. Corporis Christi pridie die sero Matutinum, immediate post Completorium pro die sequenti dicitur, ad lucrandas Indulgentias ab intervenientibus, pro his diebus peculiariter concessas.*

6. Quamvis resolutum sit à S. R. C. præsertim die 23. Maii 1709. quod ille qui celebrat Missam in Festo SS. Corporis Christi, debeat deferre Sacramentum in Processione, tamen ab hac regula excipitur Episcopus, pariter & D. Abbas, qui licet non celebret Missam Pontificalem, nihilominus ab ipso deferri debet Venerabile Sacramentum in Processione hodierna, nisi legitimè fuerit impeditus, & non à prima Dignitate, vel Superiore qui Missam cantavit. Et hoc colligitur ex *Cærem: Episc: L. 2. c. 33. & P. Merati P. IV. tit: 12.* §. 2. *n.* 11. *pag:* 504:

7. Hoc insuper notandum est: quia nullomodo à Celebrante, sive hac die, sive per Octavam, sive aliis diebus, fieri debet processio cum SS. Sacramento in Planeta, sed semper in Pluviali, juxta dispositionem S. R. C. Cæterum alia omnia, quæ concernunt expositionem, Processionem, asservationem, ac benedictionem cum SS. Sacramento, superius Parte præcedenti sufficienter sunt notata, ut ex iis unicus idemq; ordo ab omnibus addiscatur peragendi ea, quæ sunt necessaria, & omittendi ea, quæ sunt superflua.

Decreta S. R. Congregationis.

1. In Festo SS. Corporis Christi non convenit cantare cantiones vulgari sermone. S. R. C. 21. *Martii* 1609. *in Abulen.*

2. In Festo SS. Corporis Christi deferatur Eucharistia à Celebrante, in Vesperis autem diei Octavæ (si fiat Processio)

dese-

deferatur ab eo qui cantavit Vefperas. S. R. C. 12. *Junii* 1627. *in Brundufinà.*

3. Proceffio in folemnitate SS. Corporis Chrifti incipere debet à Cathedrali, feu Matrice, & ad eandem terminare, non verò à Parochiali. S. R. C. 19. *Augufti* 1629. 1. *Septembris* 1708. & 9. *Junii* 1718. *in Nolana.*

4. Miffa in die Solemnitatis Corporis Chrifti non debet cantari poft abfolutam Proceffionem, & hujufmodi confvetudo, uti à Cæremonialis difpofitione aliena, omnino abronganda eft. S. R. C. 3. *Junii* 1662, *in Albinganen.*

5. In Fefto SS. Corporis Chrifti fervanda eft difpofitio Cærem: Epifc: L. 2. c. 33. in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobifcum*, non vero Rituale Rom: ubi dicitur addi *Dominus vobifcum*, & fic fervat in Urbe fummus Pontifex, & fervatur ab omnibus S. R. C. 16. *Junii* 1663. *in Granaten.* & 28. *Septembris* 1675. *in Salernitana.*

6. Infra Octavam SS. Corporis Chrifti prohibentur Miffæ Votivæ quæcumq; vel pro Defunctis. S. R. C. *approb: Clemente* X. 21. *Junii* 1670. & 12. *Septembris* 1671. *in Nufcana.*

7. In expofitione SS. Sacramenti quæ fit ad inftar Profcenii, quantitas luminum pietati facientis expofitionem remittitur, & in Altari fuper Candelabris ad minus fex Candelæ accendi debent. S. R. C. 15. *Martii* 1608. *in Narnien.*

8. Abfq; Pluviali non licet in die, & infra Octavam SS. Corporis Chrifti peragere Proceffionem cum SS. Sacramento, non poteft tamen cogi, ut ejus expofitio fiat cum Pluviali. S. R. C. 22. *Januarii* 1701. *in una Camald: Mont. Coronæ.*

9. Ex vi, aut lege Cærem: Epifc: non prohibetur Epifcopo, ut propria utatur fede, qua defuper umbraculum, feu baldachinum dependeat, dum Divinis affiftit, vel per fe ipfum peragit, SS. Sacramento fuper Altari palam expofito; dummodo genuflexiones tunc præfcriptas, debitafq; reverentias ad amuffim obfervet, atq; aperto capite in fignum reverentiæ faltem affiftat. S. R. C. 9. *Junii* 1742. *in Conimbricen.*

10. Genuflexio utroq; genu eft facienda a tranfeuntibus ante SS. Sacramentum, etiamfi fuerit in Pixide patenter expofitum. S. R. C. 7. *Maii* 1746. *in Varfavien.*



CAPUT XIV.

De Festivitatibus Sanctæ Crucis.

1. QUoniam Congregatio nostra Ben: Pol: sub titulo S. Crucis fundata est, utraq; festivitas S. Crucis, Inventionis scilicet, & Exaltationis, in nostris Monasteriis cum omni celebritate peragi debet, præsertim quia in dictis festivitatibus Indulgentiæ plenariæ perpetuò sunt concessæ. Nonnulla itaq; ad observandum sunt hic annotanda; Maximè autem de particula veræ Crucis; quæ in seorsivo Altari collocata, tota illa die exposita esse debet, cum luminibus proportionatis; quia si expositis Sanctorum Reliquiis juxta S. R. C. Decreta, ultra lampadem, saltem duo lumina continuo ardere debent, multomagis particula Veræ Crucis quam Salvator sangvine suo conspersit, plura requirit lumina.

2. In Processione cum SS. Sacramento nullatenus deferri potest Lignum vitæ, quia cum in Sacra Hostia verum Corpus Christi adoratur, & in illo Mysterium passionis repræsentatur, frustra & particula veræ Crucis proponitur adorationi, maxime cum nec locus assignari potest, ubi cum dicta particula Sacerdos incedere deberet. Et sic essent duo Celebrantes, duæ simul res Sacræ ad adorandum offerrentur, & ex his una deberet adorari cultu Latriæ absoluto, altera respectivò, & simul; quod esset contra omnem Rubr: ac contra omnem sensum. Si enim Reliquiæ Sanctorum non debeant deferri in Processione cum SS. Sacramento, pariter & lignum vitæ.

3. Si autem sine Sacramento fieret Processio, & cum solo Ligno vitæ, laudabilius esset; illa tamen particula veræ Crucis, ut cum ea fiat Processio, debet esse notabilis, non autem ita subtilis, ut vix videri possit. Ideoq; si tam parva particula invenitur, potius abstinendum à dicta Processione, quia quod portatur in processione debet omnino videri ab omnibus, subtilis verò particula, cum vix prope recognosci possit, quomodo ergo à longe conspici valeat, ut adoretur. Cæterum prædicta Sapientum decisioni relinquo, ut etiam cognoscant, num vera sit Reliquia, & à quo approbata? ne fiat seductio populi, & ne superiorum conscientia oneretur.

Decre-

Decreta S. R. Congregationis.

1. In Processionibus, in quibus defertur Lignum Crucis, tam Clerus, quam sæculares, detecto Capite incedere debent. S. R. C. 18. *Junii 1690. in Cajetana.*

2. Quando exponuntur sacræ Reliquiæ, ultra lampadem, debent continuo supra Altare ardere duo saltem lumina, alias non exponantur. S. R. C. 22. *Januarii 1701. in una Camald: Montis Coronæ.*

3. Post expositionem Reliquiæ SS. Crucis, vel post ejus delationem in Processione, benedicendus est populus cum ipsa. S. R. C. 15. *Septembris 1736. in Brixien.*

4. Reliquia SS. Crucis non est incensanda à Celebrante genuflexo. S. R. C. 15. *Septembris 1736. in Brixien.*

5. Consvetudo deferendi in Processionibus Reliquiam SS. Crucis, manibus opertis cum velo a spatulis pendente potest retineri. S. R. C. 16. *Septembris 1741. in Bracharen.*

6. Licitum est Episcopo incedere cum Mitra, quando defert Reliquiam ligni SS. Crucis in Processionibus. S. R. C. 14. *Junii 1692. in Maceranen.*

7. Si in loco principe Reliquia Sanctissimæ Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usq; ad terram flexo venerare debent; diversimode verò sola capitis inclinatione, si præfata Reliquia recondita erit intra custodiam. S. R. C. 7. *Maii 1746. in Varsavien. P. Talu excipit Celebrantem paratum.*

CAPUT XV.

De die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum.

1. DIe 2. vel 3. Novembris statim post Festum omnium Sanctorum, fit commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, pariter & die 14. vel 15. ejusdem Mensis post Festum omnium Sanctorum Monachorum Ord: S. Benedicti, fit commemoratio Defunctorum Patrum, & Fratrum Ord: nostri Benedictini. Ideoq; tam in illa, quam in ista Commemoratione eadem devotionis ratio peragitur in Monasteriis Congr: nostræ.

2.

2. Pridie ergo dicto in Vesperis Festi *Benedicamus Domino* omisso ℣. *Fidelium &c.* statim absolute ab Ant: *Placebo Domino &c.* inchoantur Vesperæ Defunctorum. Matutinum vero Mortuorum mane, ante Primam Canonicam recitari in Cantu totum debet. Ad quæ si usus est ut Celebrans peragat dictum Off: Def: servetur consuetudo, aliàs in Choro simpliciter præsertim Matutinum decantari solet, quia pro defunctis est Officium feriale.

3. Missa Solemnis pro Defunctis, dictis diebus, omnino debet esse Conventualis, & non alio tempore decantari debet, nisi post Nonam, nequaquam autem post Primam, ut in aliquibus locis abusus irrepsit, quia S. R. C. omnino prohibuit, & servandas esse Rubricas præcepit. Ideoq; his diebus, duæ debent esse Missæ Conventuales, una post Tertiam concordans cum Officio diei, altera post Nonam de *Requiem.* Et licet Festum duplex tunc celebretur in Officio quando utraq; incidit Commemoratio Defunctorum, omnes tamen Missæ fiant pro Defunctis in colore nigro, unicâ post Tertiam relicta de Festo in colore convenienti. Speciale enim privilegium his diebus concessit S. Mater Ecclesia.

4. Quia vero post primas Vesperas, & ipsa die post Missam solet fieri absolutio solemnis Defunctorum cum Processione, & fideles solent adesse, dicta Processio eadem via, cum aliis, instituenda est. Stationes tamen tempestivè à Superioribus loci sunt designandæ, ne tempore Processionis fiat perturbatio, ad quas Stationes ℟℟. sunt cantanda ea, quæ præscribit Rubrum Ritualis ad usum Ecclesiarum Regni Poloniæ, in ipsis vero stationibus ℣℣. & Orationes ibi notatæ in cantu Feriali recitentur à Celebrante, qui sine Cruce, ac sine Instrumento pacis, sed solum manibus ante pectus junctis incedere debet, Caput cooperiens Birreto, habensq; à sinistris Diaconum, Librum ante pectus sustinentem.

5. Fit tamen Aspersio, & Incensatio Sepulchrorum in dicta Processione, ideo antequam inchoabitur, Celebrans ad Altare veniens, ministrante Diacono Naviculam, & Thuriferario thuribulum ponit ac benedicit incensum in thuribulo more consueto. Tum accipiens Aspersorium genuflectit in infimo gradu, & ter aspergit terram (ut in Aspersione Dominicali) cantore incipiente ℟. *Absolve Domine &c.* Reddito aspersorio, ordinabitur Processio, & ℟. continuabunt omnes, præter ℣. qui à 2bus Cantoribus intonari debet.

6. Præcedit Sacerdos superpelliceo, & Stola nigri Coloris indutus, habens à sinistris suis Ministrum cum vase Aquæ lustralis,

ſtralis, aſpergens ubiq; pavimentum, omniaq; loca, in quibus corpora defunctorum ſepulta eſſe dignoſcuntur. Sequitur Thuriferarius cum thuribulo fumigante tenens manu ſiniſtra Naviculam, dextera vero Thuribulum. Deinde incedit Subdiaconus cum Cruce Proceſſionali aperto Capite, medius inter Ceroferarios, Cereos accenſos in Candelabris portantes. Poſtea Religioſi ſecundum Ordinem vocationis, vel præeminentiæ ſuæ. Deniq; Celebrans tecto capite cum Diacono à ſiniſtris ſuis. Et ſi D. Abbas voluerit aſcendere, poſt Celebrantem incedet.

7. Ultima ſtatio non ad Altare fieri debet, (ut notat alteſatum Rit: Rom:) ſed ſecundum communiorem Rubriciſtarum ſententiam, ad lecticam mortuorum, quod vulgo dicitur *Caſtrum doloris.* Ubi circa finem ℟. *Libera me &c.* Celebrans imponit, & benedicit incenſum, & decantato à Choro *Kyrie eleiſon,* clara voce dicit: *Pater noſter.* Omnibus verò genuflexis, ac orationem Dominicam proſequentibus, dictus Celebrans aſpergit, & incenſat Lecticam tantum ad latera, ter ad dextram lecticæ partem, ter ad ſiniſtram, prout in ſepultura Cadaveris, & non amplius. Reverſus deinde cantat verſus genuflectendo, ad ſolam tantum Orationem ſurgit. Subdiaconus cum Cruce ſemper animadvertere debet Lecticam quomodo conſtituitur, & pro quibus ſit Commemoratio, quia ſemper ad caput Lecticæ contra Celebrantem conſiſtere tenetur. Omnes genuflexi permanere debent, nec prius ſurgant, donec à Cantoribus fuerit ℣. *Requieſcant in pace,* decantatus.

8. In die Commemorationis Defunctorum Ord: N. hæc ſpecialiter obſervanda ſuperſunt: Imprimis, quod tam poſt Veſperas, quam poſt Laudes in Officio Defunctorum dici debent Pſalmi annexi, videlicet: *Lauda anima mea Dominum &c.* & *De profundis &c.* Licet enim in aliis Cæremoniis æquiparatur diei Commemorationis Omnium Fid: Def: non tamen in iis Pſalmis, quod expreſſe notat. *Brev: Monaſt: ad diem 13. Novembris.*

9. In fine Officii Defunctorum, & ad Miſſam, quæ dici debet, primo loco poſita, dicitur Oratio: *DEUS veniæ largitor &c.* ſed dicto: *ut noſtræ Congregationis Fratres,* mox additur: *qui ex hoc ſæculo tranſierunt &c.* recitaturq; uſq; ad finem; intermittuntur autem verba illa: *propinquos, & benefactores,* neq; etiam additur *Sorores,* quia & hæ veniunt nomine *Fratrum;* ita declarat Brev: Monaſt: & dilucidabitur ex Decr: S. R. C. infra Num: 2.

10. Licet hac die ſolemus proceſſionem pro Defunctis Fratribus peragere, quemadmodum die 2. Novembris, omniaq;

℟℣. quæ illa die cantata sunt etiam hac die repetere, stationesq; supradictas observare, Oratio tamen ad dictas stationes nullomodo est immutanda, sed in omnibus stationibus, una eademq; Oratio, *DEUS veniæ largitor &c.* cum prædicta omissione verborum: *propinquos, & benefactores,* recitatur à Celebrante, non enim investigamus hac memoria Abbates, Sacerdotes, Fratres, Sorores, & Philadelphicos speciatim, sed nomine *Fratrum* omnes generaliter à nobis DEO præsentantur, quia omnes in Domino Fratres sumus: ideoq; a proprii partûs Imaginationibus abstinendum censeo.

11. In die Commemorationis omnium Fid. Def. Subdiaconus cum Cruce locat se inter fores Ecclesiæ & feretrum, quia sæcularium lectica, caput ad januam Ecclesiæ respiciens, habere debet, & Celebrans inter majus Altare, & lecticam recedendo de medio ad latus Epistolæ, proxime tamen ad feretrum. Jam autem in die Commem. Def. O. N. Subdiaconus locat se inter Altare & feretrum, recedendo ad cornu Evangelii, quia tunc Castrum doloris repræsentans Sacerdotes, caput lecticæ habet versùs Altare, & tunc Celebrans consistet inter feretrum, & portam Ecclesiæ. Quod non tantum his diebus observandum erit, sed semper respiciendum, pro quo Exequiæ absolvuntur, vel cujus fit sepultura.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Matutinum Defunctorum pro generali eorum Commemoratione non debet cantari pridie Vesperi in Festo OO. SS. sed recitandum est mane, die 2da Novembris post Laudes diei. S. R. C. 23. *Maii 1603. in Egitanien. 1. Septembris 1607. & quidem* Albescente die, *præcepit 21. Julii 1607. in Oscen.*

2. Moniales in *Confiteor* ad Primam, & Completorium, ne dicant: *Tibi Mater,* nec *vobis Sorores,* sed ut in Breviario. S. R. C. 18. *Augusti 1629. in una Brev: Rom: Sequitur consequentia ad Num: 9. hujus Cap:*

3. In Commemoratione omnium fidel: Def: potest fieri Officium de festo duplici minori, sed Missæ sunt Celebrandæ de *Requiem* S. R. C. 5. *Octobris 1686. in una Urbis. 27. Septembris 1698. in una S. Germani Montis Casini,* & 19, *Junii 1700. in Curien.*

4. Quandó ab aliqua Congregatione dicitur totum Officium Def: non debet illud dici, ut 2da Novembris, omittendo Psal-

Psalmos post Vesperas, & Matutinum, positos in Officio Defunctorum. S. R. C. 5. *Julii* 1698. *in Collen.*

5. In die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum Sacrificia possunt à Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum. S. R. C. 4. *Augusti* 1663. *in una Dalmatiarum* 9. *Decembris* 1709. *in una Ord: Capuc.*

6. Jn omnibus Congregationibus Ord. Benedictini, post Festum OO. SS. 13. Novembris celebratur solemnis Commemoratio omnium Defunctorum Confratrum dicti Ordinis; unde si die illa 14. Novembris alicubi adsit Festum duplex translatum, sive occurrens, fiet quidem Officium de tali Festo duplici, cum Missa solemni post Tertiam, Officium vero Defunctorum recitandum erit post Laudes, & omnes Missæ privatæ dicendæ erunt pro Defunctis Confratribus, in paramentis nigris. Quapropter commemoratio omnium Defunctorum non est transferenda in tali casu. S. R. C. 5. *Maii* 1736. *in Einsidlen.*

7. Jn absolutione, in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non est dicenda tota conclusio in Oratione. S. R. C. 5. *Julii.* 1698. *in Collen.*

8. Jn die commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non potest celebrari Missa solemnis de *Requiem* post Primam, sed servandæ sunt Rubricæ, in quibus præscribitur post Nonam. S. R. C. 22. *Januarii.* 1701. *in una Camald. Mont. Coronæ.*

9. Absolutio Solemnis, cum assistentia Quatuor dignitatum, vel Canonicorum ultra Celebrantem, in anniversario alicujus Episcopi, non debet fieri, quia obstant Rubricæ Pontif. Rom. S. R. C. 14. *Novembris.* 1654. *in Recineten.*

10. Jn Exequiis post absolutionem quæ fit supra Cadaver, in die obitûs, vel suprà tumulum in die Anniversaria, dicto ℣. *Requiescant in pace.* subjungi debet: *Anima ejus, & animæ omnium fidelium Defunctorum, per misericordiam Dei, requiescant in pace.* Sed super lecticam, seu castrum doloris in commemoratione omnium fidelium Defunctorum nihil est superaddendum. S. R. C. 2. *Decembris* 1684. *in una Can. Reg. Lat.*

11. Jn depositione Defunctorum, in illis verbis: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia nullus apud Te iustificabitur homo.* Quando est Mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba *Servo tuo* immutari in *Serva tua* vel *Servis tuis,*

tuis, alijq; Sacræ Rubricæ læsione, & servandum est Rituale. S. R. C. 31. *Augusti.* 1697. *in Fanen.*

12. Officium super Cadaveribus in Ecclesiis Regularium spectat, & pertinet ad ipsos Regulares, non autem ad Curatos Defunctorum, & ita in posterum servari mandavit, non obstante contraria consvetudine. S. R. C. 27. *Novembris.* 1638. *in una Ord. S. Fran. de Observ.*

13. Psalmi *Lauda Anima mea* &c: & *De profundis* &c: omittuntur in precibus post Officium Defunctorum, in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & in die obitus, seu depositionis Defuncti duntaxat. Cæteris autem diebus semper, & omnino dicantur. S. R. C. 3. *Augusti.* 1737. *in Nolana.* & 23. *Junii in Einsidlen* 1736. *ac* 8. *Martii* 1728. *in una Erem. Ord. Camold.*

14. Jn exequiis defuncti Sacerdotis præsente Corpore locetur Crux ad Caput Defuncti, inter feretrum, & Altare. S. R. C. 3. *Septembris.* 1749. *in una. Massæ & Populoni.*

CAPUT XVI.

De Oratione publica coram SS. Sacramento, quæ dicitur Quadraginta horarum.

1. TAm Sancta, & laudabilis oratio, quæ à S. m. Clemente VIII. instituta, & in nonnullis Monasteriis nostris recepta, summa devotione continuatur, æquum est, ut omni, qua par est. pietate celebretur, de qua uberrimos fructus, & infinita commoda mentes fidelium, orationis pabulo refectæ, mirabiliter colligunt. Nonnulla itaq; supersunt dicenda, circa hujusmodi Orationis Augmentum. Itaq; tempore uno, & nunquam immutato, quando ea instituta est Oratio, per speciale Privilegium, tribus diebus ita dispopantur horæ, ut omnino 40. enumerari valeant, quibus expositum sit publice Sacramentum in ostensorio, & in Tabernaculo magnifice exornato immobiliter permaneat, neq; aliquando velo umbraculi contegatur.

2. *Clemens XI. Anno* 1765. *die* 20. *Januarii.* edidit instructionem, qua Rectores Eclesiarum facile informari possint, quo

quomodo illa devotio 40. horarum peragenda fit, quam instructionem p. m. Clemens XII. confirmavit, eandemq; reimprimere, atq; ad praxim omnium Ecclesiarum deducere præcepit Decr. suo 1. *Septembris* 1730. Quam præ manibus habere curent ii, ad quos pertinet, ne aliquid desit ad tantæ devotionis augmentum. Altare majus, in quo debet collocari SS. Sacramentum, paretur ut in Festis præcipuis solemni, ac magnifico ornatu; luminum, florum, candelabrorum, cæterorumq; maiestatem repræsentantium, & ad devotionem excitantium, adsit copia. Candelæ, quæ continuò ardere debent, ex dicta Instructione n. 4. debent esse 20. ex cera alba, exceptis lampadum luminibus.

3. E Religiosorum Cœtu bini, & bini continuò genuflectere debent, qualibet hora mutantes se, in quem finem Superior Monasterii in schedula conscribere curabit, ut ad quamlibet horam bini genuflectant, & in paucitate Subiectorum etiam unus bis de die genuflectere potest, ut sæcularibus exemplum præbeatur. Ut autem dicti Religiosi locum commodum habeant genuflectendi per horas, præparari debent ante Altare duo genuflexoria, cum pulpitis, ut commodè possint legere, sive ad meditandum, sive ad orandum. Hæc genuflexoria panno aliquo cooperiri debent, ne nuda appareant. Dicti itaq; Religiosi Viri non in ordinario suo habitu, sed in publico Chorali, scilicet Cucolla, seu Thoga genuflectere tenentur, Sacerdotes stolam à collo pendentem coloris albi habeant; & si D. Abbas voluerit horam aliquam publice genuflectere, indutus Rochetto, & Mozzetta, cum Stola à collo pendente dictam peragat devotionem; tunc enim SS. Sacramentum speciali quodam honore à nobis est venerandum.

4. Decet procerto, ut non tantum Religiosi, sed etiam sæculares, ad hanc animati devotionem, horas genuflectant, ideoq; Superiores providere debent, ut domestici inservientes assignatis horis, quæ nec iis molestæ; nec officiis eorum damnosæ, sed animabus eorum proficuæ credantur, easdem genuflectant, & cum devotione orent. Ut autem cognoscatur hora ab omnibus advenientibus, & recedentibus Horologium in Choro prope Altare est suspendendum. Ne vero impediantur orantes, prohibuit S. R. C. omnibus Sacerdotibus, ne tunc ad majus Altare celebrent, præter Missam Conventualem Votivam de SS. Sacramento post Nonam cantandam cum *Gloria*, & *Credo*, ac unica Oratione, tanquam pro re gravi, vel publica causa. Alteram

vero

vero Missam post Tertiam, si cantanda est, potiùs ad aliud Altare celebrare convenit, quam ad majus Altare. Cæteræ Missæ privatæ ad alia Altaria celebrentur, in quibus omnino fieri debet Commemoratio de SS. Sacramento, post omnes alias commemorationes.

5. Præter Horas Canonicas, quæ in choro recitantur, nullus cantus alius audiatur, sed in silentio omnes orent, ne distrahatur populus in sua Oratione. Cavendum insuper est, ut nullus sæcularis intra Presbyterium ingrediatur, quacunq; causa, sive ad emungendos, vel accendendos Cereos, hoc enim, stante præsenti devotione ad solos Religiosos pertinet, qui tamen omnino superpelliceo induti, dictum officium præstent. Si Concio habeatur, sermocinator Sacerdos tunc Stola supra Cucullam indutus, nudo capite, devote, reverenter, brevi sermone, affectus auditorum moveat. Decet etiam, ut si concursus populi requisierit, alter sermo Vespertino tempore habeatur. Sub tempus Concionis, non est tegendum velo umbraculi SS. Sacramentum.

6. Initio Orationis summo mane, fiat expositio eo modo, ut innuimus par. præc. sub cantu *O! Salutaris hostia.* & data benedictione collocetur ostensorium in Tabernaculo pulchre ornato, locoq; eminentiori, nec moveatur de loco, donec Vesperi finiatur unius diei devotio, & tunc cantato *Tantum ergo* &c: eoq; finito, datur benedictio, nihil dicendo, & servatur in Ciborium, seu Tabernaculum. Secunda die summo mane exponatur sine ullo cantu, sed data in silentio benedictione cum SS. Sacramento, collocatur in loco suo, quod pariter & die Tertia fieri debet, at asservatio SS. Sacramenti vesperi die secunda pariter peragatur sicut die prima. Vesperæ tamen prima, & secunda die solemniter celebrari debent.

7. Tandem die Tertia vespertino tempore, convenit ut D. Abbas solemnes Vesperas celebret, quibus decantatis pariter cum Completorio, si Sermo habendus est, habeatur, & tandem Processio solemnis instituatur, per Ecclesiam. Adsint bini Thuriferarii cum duobus Thuribulis, omnes Cereos accensos in manibus gestantes, præterea 4. aut 6. Religiosi, seu in defectu eorum sæculares viri compti, & honesti, superpelliceis induti, cum facibus procedant, circa Celebrantem: Quæ vero spectant ad Celebrantem, & Ministros, iam supra sufficienter notavimus P. IV. C. 8.

8. Ad

8. Ad Processionem inchoetur Hymnus *Te Deum laudamus &c.* procedant omnes cum summa modestia, & gravitate, ut decet tantum Sacramentum; Quoties vero continget in hac Processione occurrere, & transire ita, ut conspiciatur facile Ostensorium, ab omnibus genuflectendum est, juxta Decr: S. R. C. Reliqua ita peragantur, quemadmodum supra exaravimus de asservatione SS. Sacramenti.

Decreta S. R. Congregationis.

1. Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio 40. horarum, vel spiritualium exercitiorum, si accidat in Festo primæ, vel secundæ Classis, sive in Dominica privilegiata primæ, vel secundæ Classis, tunc in Collegiatis vel duæ cantentur Missæ, una de Festo, seu de Dominica, post Tertiam, altera Votiva de Sacramento post Nonam. Vel una cantetur de die cum Commemoratione SS. Sacramenti. S. R. C. 13. *Februarii 1666. in Romana.*

2. Missam in Altari majori, ubi est expositum publice SS. Sacramentum, (intellige in devotione 40. horarum) non licet celebrare, præsertim si in Ecclesia adsint alia Altaria in quibus Celebrari possit. S. R. C. 9. *Augusti 1670. in Bononien.*

3. In Missis Votivis privatis de SS. Sacramento, & de Officio duplici, quæ celebrantur in Ecclesiis, ubi adest SS. Sacramentum expositum, occasione 40. horarum non dicitur *Credo* nisi aliter competat Missæ officii duplicis de die. S. R. C. 2. *Decembris 1684. in una Canon: Regul. Lateranen:*

4. In Missa privata de Sancto duplici, vel semiduplici, de quo tali die fit Officium, potest quidem fieri commemoratio de SS. Sacramento exposito occasione 40. horarum, sed omittenda in Festis primæ, & secundæ Classis. S. R. C. 2. *Decembris 1684. in una Can: Reg: Lat.*

5. Durante expositione SS. Sacramenti occasione 40. horarum regulariter celebrari non potest Missa privata de *Requiem*, licet occurrat officium hujusmodi Missas admittens, neq; cantari potest Missa Defunctorum, pro adimplenda mente Testatoris, sive Anniversario satisfaciendo, S. R. C. 2. *Decembris 1684. in una Canon. Regul: Lateran.*

6. Dum Missa cantatur coram SS. Sacramento in Altari exposito, debet fieri Commemoratio de eodem SS. Sacramento post omnes alias Commemorationes de præcepto, & in Mis-

Missis solemnibus tantum primæ, & secundæ Classis est facienda sub unica Conclusione. S. R. C. 23. *Junii* 1736. *in Burgen.*

7. Commemoratio de SS. Sacramento in Missis privatis potest fieri, quando ejus expositio fiat pro publica causa, etiamsi Sacramentum expositum sit in Pixide. S. R. C. 7. *Maii* 1746. *in Varsavien.*

8. Instructio pro Oratione 40. horarum Romæ, jussu fel: rec: Clementis XI. primum edita, extra Urbem non obligat, laudandi tamen, qui se illi conformare student. S. R. C. 12. *Julii* 1749. *in una Congr: Orat: S. Philippi Nerii Civitatis Patavinæ.*

Reliqua huc spectantia videantur supra Sparsim in aliis Materiis.

F I N I S

PARTIS QUINTÆ.



PARS

Pro Usu Patrum Monasterii Plocen. Ord. S. Benedicti ad Sctm Adalbertum Ep. & Martyr. in Arce.



PARS VI.

DE CÆREMONIIS MONASTICIS.

Congrua scribendi ratio postulat, ut prælibatis Cæremoniis communibus, & particularibus Ecclesiasticis, tam Chori quam Missarum, ad ea quœ speciatim in ordine, & Congregatione nostra enucleanda occurrunt, accedamus: quamobrem non segniter manum operi admovere cupientes, specialiores Monasticas Cæremonias pro viribus exprimere conati sumus: ut mandatis Capituli Generalis in Monast: Tynecen: celebrati in omnibus obtemperemus, ac menti ejus satisfaciamus. Sit itaque.

CAPUT I.

Modus suscipiendi Candidatum in Sacrum Ordinem nostrum.

SIquis ad ordinem nostrum Benedictinum aspiraverit, & ad Habitum suscipi rogaverit, Magister Novitiorum ex eo investigare tenetur, de vocatione ad Religionem, quo illa motivo, in eo, orta fuerit, an non ex coactione Parentum, aut consanguineorum, quia talis vix, aut raro perseverare audet in sancto proposito: An

non ex egestate, quia talis veniret magis propter esum, quam propter Jesum: An non etiam ex timore alicujus pœnæ pro perpetrato delicto subsequentis? quia talis vocatio rarissime bono fine consumatur; debet enim vocatio esse voluntaria, ex instinctu Sancti Spiritus procedens, et fine bono facta, scilicet zelo majoris laudis Divinæ, & motivo salutis animæ suæ. Facienda est præterea investigatio de vita, natalibus, moribus, et sufficienti literatura, aliisque qualitatibus Novitiorum. Ita declar: Caſſin: ſupra Reg: c. 58. n. 1.

Dictus Candidatus, seu Aspirans inprimis scribat petitionem suam in aliqua scheda, ubi stylo Oratorio exprimat ardens desiderium humilemq; postulationem suam, ut possit in Congregatione suscipi. Hoc petitum legatur omnibus in Capitulo, ut ex illo possit cognosci literatura ejus. Tum exquisito ab omnibus de susceptione ejus consensu, vocari debet ad Capitulum; perductus ergo à Magistro suo, in medio Capitularium Patrum. et Fratrum genuflectere debet. Ubi à D Abbate, vel in ejus absentia à P. Priore interrogatus: QUID PETIS *respondeat:* MISERICORDIAM PETO á DEO, & à VOBIS PATRES ADMODUM REVERENDI. *Dein interrogatus à Superiore:* QUAM AUTEM MISERICORDIAM PETIS? *respondeat Aspirans:* SI DEO PLACERET, ET VOBIS PATRES ADMODUM REVERENDI, CUPEREM IN ISTA RELIGIONE SALVARE ANIMAM MEAM, INTER IPSORUM ANIMAS. *Tum superior adhortetur Candidatum, his ex V. Ludovico Blosio Abb: Lætiensi, vel similibus verbis:*

Chariſſime! ſi in fraternitatem noſtram aſſumi, & ſub jugo Regulæ Benedictinæ in Monaſterio vivere, Chriſtoq; Domino ſervire deſideras; oportet inprimis ut opere compleas quod dicit Salvator:

Qui

Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Si igitur paratus es propter DEUM omnia dimittere, & teipſum abnegare verè; Si paratus es penitus relinquere voluntates tuas, & frangere, quantum in te eſt, tuas vitioſas inclinationes & paſſiones; ſi paratus es viriliter abrenuntiare omnibus ſæculi pompis, voluptatibus, illecebris: Si paratus es cum DEI adjutorio relinquere omnem ſuperbiæ faſtum, ac quælibet humilia, ſimpliciaque amplecti: Si paratus es propter amorem Chriſti ſuſtinere increpationes, injurias, tentationes, variaſq; Corporis, & Cordis moleſtias, atque preſſuras; Si, inquam, paratum te ſentis ad omnia hujusmodi complenda, ac toleranda, ſecurus Monaſticam converſationem aſſumere potes, confidens de benigniſſima DEI miſericordia; alioquin ſi non es paratus ad omnimodam tui de-

relictionem, non expedit, ut Religionem irreligiosè ingrediaris Jn Monasterio non tuo, sed alieno arbitrio vivere, & in omnibus humilē obedientiā exhibere debebis. Quando aliquid tibi præcipietur secundū DEUM, & sacræ Religionis convenientiā oportebit, ut illud sine contradictione, aut murmure perficias. Quando optabis quiescere forte fatigaberis laborib9; quando ad sublimia te præparabis, forte deiicieris ad infima; breviter, quando hoc, vel illud facere volueris, forte dicetur tibi, ut quid aliud facias, & in omnibus adniti debebis, ut promptissimè sequaris voluntatē præcipientis. Neq; aliquando dicere poteris: Jn his paratus sum obtemperare, sed in illis obtemperare nolo; Oportebit, ut simpliciter obtemperes in omnibus, quæ rationabiliter prœcipientur, & quæ non sunt in se mala, vel sanctæ Professioni contraria. Tu quidem diversas tribulationes, & difficultates frequenter

sin-

ſenties, in hujuſmodi confractione voluntatis, & inclinationum tuarum: ſæpe diabolus, ſæpe caro, vel homines verum DEI timorem non habentes tibi ſuggerent, ut murmures, & contradicas, ſed neceſſe erit te pariter perſeverare in ſancto propoſito, & peſſimas ſuggeſtiones repellere. Non iam tibi licitum erit ſuperflua, delicataq; intempeſtivè requirere, non erit licitum inhoneſtis diſſolutionibus, vel cæteris ineptiis remiſſioris vitæ vacare; ſed relicta prorſus lubricitate, & vanitate mundi, relictâ latâ viâ ſæcularium, debebis per arctam, & laborioſam pænitentiæ viam incedere omnibus diebus vitæ tuæ. Debebis penuriam rerum neceſſariarum ſuſtinere, frequenter jejunare, perpetuam Caſtitatis integritatem ſervare, orationibus, meditationibus, ſacrisque lectionibus inſiſtere, taciturnitatis, et ſilentii diſciplinam obſervare, vitam à ſæculari-

um conſortio abſtractam ducere, Monaſterium raro egredi, nullam omnino rem, quantumvis modicam, proprietarie habere, puritati cordis jugiter ſtudere, ſola cæleſtia quærere, die, ac nocte infatigabiliter Officio, Miniſterioq; Divino aſſiſtere, ſive ſit æſtus, ſive frigus: denique omnibꝰ, quæ ſacræ Religioni conveniunt, fideliter adhærere, & cuncta, quæ ei contraria ſunt prudenter, & generoſe reiicere. Ardua ſunt iſta, fateor: verumtamen non te abſterreant prædictæ difficultates, ſed tu, de te prorſꝰ diffidens, in Dno JESU omnem tuam fiduciam repone; Jpſe enim confirmat debiles, & erigit jacentes. Jpſe aſpera reddit plana, & amara convertit in dulcia; Jpſe ea, quæ hominibꝰ importabilia videntur, non ſolũ facillima, ſed etiã jucundiſſima per ſuã gratiã efficit; Jpſe eſt, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, et diſcite à me, quia

mit-

mitis ſum, & humilis corde, jugum enim meū ſvave eſt, & onus meū leve. Aditus viæ ſalutaris plerūque anguſtus, triſtis, & difficilis eſt, ſed poſtea creſcente amore Divino, cordeque per Charitatem ſe dilatante, cum inenarrabili gaudio perficitur iter mandatorum DEI. Jam ergo, ſi ſvave Chriſti jugū tollere, & onus ejus leve ſubire deſideras; ſi ſacram SS Patris noſtri Benedicti Regulam, ſaluberrimas Congregationis noſtræ conſtitutiones, & diſciplinam Monaſticam rite obſervare, ac cuſtodire velis; ac demum, ſi verè DEUM in ſacra Religione quærere intendas, patet ſacræ Religionis janua; ſi nolis, adhuc potes liber diſcedere.

Candidatus audita exhortatione ſi conſtans ſteterit dicat:

De Divina Miſericordia, et veſtro auxilio confiſus, ſpero, fore, ut omnia obſervem ſecundum poſſibilitatem, et vires meas:

Poſtea Superior annuat ei dicendo: FIAT TIBI, SICUT PETIS & ROGAS.

Et ſtatim proponat ei, qui in veſtibus ſæcularibus adhuc ad probandum ſpiritum permanebit ad XV. dies ſicq; Chorum, et Refectorium cum aliis frequentabit, ut interim poſſint eius mores, conſiderari ab omnibus. Ita Declar: Caſſin. ſuper Reg: c. 58 n. 4. et 5.

Die vero Decimaquinta à ſuſceptione ſui, antequam Aſpirans Habitu Monachali indutus fuerit à ſuperiore inquirendus eſt: AN FIRMITER CONSTITUERIT SECUM, VITAM MONASTICAM SUB REGULA SANCTI BENEDICTI DEINCEPS AMPLECTI? *Quo annuente, Magiſter Novitiorum adducet ad eum Barbitonſorem, ut perſiſtenti in vocatione ſua Caput, & barbam ad normam aliorum Religioſorum radat. Et poſtea deducatur Candidatus ad Chorum, vel ad locum Capituli, in quo et non in Eccleſia, congregatis omnibus de Communitate, D. Abbas indutus ſupra Rochettum ſtola, & Pluviali: aut in abſentia ejus P. Prior indutus ſuperpelliceo, Stola, & Pluviali, coloris albi ante Altare, conſiſtet, cæremonias Inveſtituræ peracturus, ubi aliquot Candelæ accendi debent.*

Hoc tamen ſummopere vitandum eſt, ne hæc Cæremonia induendi Novitii peragatur in Eccleſia, nam plures Congregationes Ord: noſtri Benedictini, non alicubi, quam in Choro ſeorſivo aut loco Capitulari dictam perſolvunt inveſtituram, ut patet ex Cærem: Bavar: P. IV. §. I, pag: 181. & Cærem; Monaſt: Congr: Mont: Serr: P. 11. diſt: 3. c. 3. n. 2. & 4. *Ideoque & nos in inclyta Congregatione Benedictino-Polona abſtineamus ab illo actu publico, cum ſæpius hic inveſtituræ actus fruſtratur ſuo effectu.*

CAPUT II.

Modus induendi Candidatum in S. Ordinem noſtrum ſuſceptum.

P*Aratus itaque Prælatus facta reverentia Cruci, progreditur ad faldiſtorium paratum, ſi D. Abbas, in cornu Evangelii, ſi P. Prior, in cornu Epiſtolæ, ubi ſedet, donec Candidatus indutus*

veſte

veſte nigra tantum, habens ſuperiorem veſtem ſæcularem, cum Pileo ſæculari, accedat ad locum peragendæ Cæremoniæ, ibiq; genufleɛtat. Tunc Prælatus depoſita Mitra ſurgens, atq; ſeipſum ſignans á fronte uſque ad pectus dicit:

℣. Adiutorium noſtrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, et terram.
℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟ DEUS meus ſperantem in te.
℣ Oſtende ei Domine miſericordiam tuam.
℟ Et ſalutare tuum da ei.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟ A facie inimici.
℣ Nihil proficiat inimicus in eo.
℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣ Mitte ei Domine auxilium de Sancto
℟ Et de Sion tuere eum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟ Et clamor&c: ℣ Dominus vobiſcum.
℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS qui nos à ſæculi vanitate converſos, ad bravium ſupernæ vocationis accendis, et qui renuntiantibus ſæculo, manſiones paras in Cælo, Famuli tui N. cor cæleſtibus bonis accende; ut fraterna nobiſcum teneatur compagine charitatis, unanimis Regularia Inſtituta cuſtodiat, ſobrius, ſimplex, et quietus, gratis ſibi datam, ſuæ converſionis gratiam, cognoſcat, eiusque vita ſentiatur in opere. Per Chriſtum Do: &c. ℟ Amen.

OREMUS

DOmine JESU Chriſte Dux, et fortitudo noſtra, tibi humiliter ſupplicamus, ut famulum tuum N. quem ſanctæ compunctionis ardore, ab hominum cæterorum propoſito, ſeparaſti à converſatione carnali, et ab immunditia terrenorum actuum; infuſâ ei celitùs ſanctitate diſcernas, et gratiam, qua in te perſeveret, infundas: ut protectionis tuæ mu-

munitus ſubſidis, quod, te donante, deſiderat, te roborante, opere compleat, et ſuæ converſionis executor exiſtens, ad ea, quæ perſeverantibus promittere dignatus es, pertingere mereatur. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

DEUS qui beatiſſimum Patrem noſtrum BENEDICTUM abſtractum à mundi turbinibus, tibi ſoli militare juſſiſti: tribue quæſumus, huic famulo tuo N. ſub eius Magiſterio ad tuum ſervitium feſtinanti, perſeverandi conſtantiam, et perfectam uſque in finem victoriam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

His dictis, et omnibus genuflexis, Prælatus etiam genu flectit, et incipit Hymnum. VENI CREATOR SPIRITUS &c. *Ad cuius primam ſtropham omnes manent genuflexi, qua finita, omnes ſurgunt, et perficiunt Hymnum, Prælatus verò ſtatim benedicit ſcapulare cum Caputio in hunc modum*

℣ Dominus vobiſcum. ℟ Et cum ſpiritu tuo

OREMUS.

DEUS æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, et certiſſime perſolutor, qui veſtimentum ſalutis, et indumentum jucunditatis tuis fidelibus promiſiſti; clementiam tuam humiliter exoramus: ut hæc indumenta, humilitatem cordis, et contemptum mundi ſignificantia, propitius bene ✠ dicas; ut beatæ abnegationis Habitum, quem, te aſpirante, ſuſcipit, te protegente cuſtodiat, ut quem veſtibus venerandæ Religionis induis temporaliter, beata facias immortalitate veſtiri. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et aſpergit aqua luſtrali ſcapulare nihil dicens, poſtea ſedet Prælatus cum Mitra, & accedentem Candidatum, ac genuflexum, exuit Superiori Sæculari veſte, dicens:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis.

Induit tandem eum ſcapulari cum Caputio dicens:

Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum DEUM creatus eſt, in juſtitia, & ſanctitate veritatis.

Poſt

Post hæc tribuit illi in manus Regulam SS. Patris BENEDICTI, dicens:

Ecce Lex, sub qua militare vis, vide, ut non solum auditor, verumetiam factor illius esse possis.

His completis Prælatus deposita Mitra surgit, et dicit:

℣. Dominus vobiscum. ℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS

Dignare Domine famulo tuo N. renunciantı sæcularibus pompis gratiam tuam tribuere, qui pro amore JESU Christi Filii tui, comam capitis sui deposuit, & Habitum ordinis Sancti Patris Benedicti suscepit; conserva in eo, spiritum perseverantiæ in bono, & eum à mundi impedimento, ac omni sæculari desiderio custodi, atque cor eius defende, ut sicut in vultu immutatur exteriùs, ita dextera tua ei virtutis tribuat incrementum interiùs. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

OREMUS.

DIgnare Domine famulo tuo N. renuntianti sæcularibus pompis gratiæ tuæ januas aperiri, qui despecto diabolo confugit sub titulum Christi; jube eum, venientem ad te, sereno vultu suscipi, ne de eo valeat inimicus triumphare: tribue ei brachium infatigabile auxilii, & mentem eius fidei lorica circumda, ut pericula cuncta, & diaboli tentamenta, se gaudeat evasisse. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℞ Amen.

Tum Prælatus, sedens cum Mitra, quærit ex candidato QUOMODO VOCARIS?

Novitius respondeat, exprimendo Nomen, quod in sæculo habuit: N N. EST NOMEN MEUM.

Et D. Abbas declarando aliud Nomen in Ordine, dicat ei: NEQUAQUAM VOCABERIS AMPLIUS NN. SED NN ERIT NOMEN TUUM *Deinum Prælatus surgit, & cum Mitra benedicit Novitium dicens:*

BENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS, PATRIS, ✠ & FILII, ✠ & SPIRITUS ✠ SANCTI, DESCENDAT SUPER TE, & MANEAT SEMPER. ℟. Amen.

Novitius accepta benedictione, osculatur manum Prælati, & cum P. Magistro suo qui semper in talibus adesse debet, revertitur ad chorum, ubi facta Confessione, in Missa Conventuali sumet Communionem.

No-

Notandum tamen, quod prædicta Candidati investitura tempestivè peragi debeat, ante Tertiam, ut habeat Novitius tempus absolvendæ Confessionis Sacramentalis, & sit paratus in Missa Conventuali sacram Synaxim sumere.

Quæcunq; hic dicta sunt, aut erunt de Prælato, intelligenda sunt etiam de P. Priore, ex commissione D. Abbatis, dictam Cærimoniam peragente, eo tantum excepto, quod ubi dicitur: deponit Mitram *vel* accipit Mitram, *non potest intelligi de Birreto, sed totam investituram aperto capite peragere debet. Et in fine benedictionem cum unica tantum Cruce tribuet dicens:* BENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS, PATRIS, & FI✠LII, & SPIRITUS SANCTI, descendat super te, & maneat semper, ℟. Amen.

CAPUT III.

Modus præparandi, ac suscipiendi Novitium ad futuram sacram Professionem.

POstquam duobus mensibus primis perlecta, & explanata fuerit Novitio S. Regula, iuxta eiusdem Reg: cap: 58. mandata, interrogari debet in Capitulo de perseverantia, sicut & Communitas investigari debet de defectibus, si quos observavit in illo. Itaq; facta omnium in Capitulo decisione, vocetur Novitius, qui veniens in medium congregatorum Capitulariter, genuflectat, & à D. Abbate, vel in loco eius à P. Priore interrogetur his, vel similibus verbis:

Frater N. iam aliquomodo vidisti rationem vivendi, quam tenemus, dum in nostro Cœtu hactenus fuisti; simul etiam vidisti, legisti, & expendisti Regulam SS. Patris nostri BENEDICTI,

se-

secundùm quam vitam instituere debes; Quapropter sive in sententia persistas, sive non, dicito nobis; utique tibi datur optio, si potes observare Regulam, ingredere, si vero non potes, liber discede.

Si Novitius decreverit perseverare, respondeat cum omni modestia.

MEA VOLUNTAS EST, & FIRMITER MECUM, ADJUVANTE DOMINO, CONSTITUI, PERSEVERARE IN ISTO SANCTO HABITU OMNIBUS DIEBUS VITÆ MEÆ: *Cui D. Abbas:* DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS ADAUGEAT TIBI FRATER GRATIAM SUAM, UT QUOD ORE EXPRIMIS, OPERE COMPLEAS. VERUMTAMEN: &c.

Hic exprobrentur ei defectus, in quibus à Communitate fuit accusatus, & reprehendatur seriò, assigneturq; ei aliqua pœnitentia ad probandum Spiritum, sine qua numquam dimittatur ex capitulo, licet nulli in eo conspiciantur defectus. Ad gratias tamen agendas V. Communitati pro eo, quod illum in ulteriori relinquat probatione, semper adigatur. His peractis recedat in pace.

Exactis deinde sex mensibus aliis, adeòq; octo à sumpto Habitu, item prorsus fiat cum dicto Novitio quæ supra declaravimus, ex Cærem. Monast. Congr. Mont. Serr. P. II dist. 3. c. 4. n. 16 17. *ad mentem tamen sacræ Regulæ* Cap. 58.

Completô Novitiatûs Annô, instituatur Capitulum à D. Abbate, vel ex ejus comissione à P. Priore, ubi vocatus F. No-

Novitius primariò, procidat in genua, & faciat petitionem in ſequenti forma: Reverendiſſime ac Ampliſſime Domine Domine Præſul! Admodum Reverende ac Venerabilis Pater Prior! cæterique multum Reverendi, ac Religioſi Patres, & Fratres! ſteti, licet indignus, cum adjutorio cæleſtis gratiæ, per annum, in probatione Monaſticæ converſationis, & quamvis me talem non exhibuerim, ſicut debui; nihilominùs cum ſperem, cum eadem gratia Dei vitam, moreſque meos in melius commutare, humillimè ſupplico, ut me purè propter DEUM ad Profeſſionem ſanctæ Regulæ, & ſacræ veſtræ Congregationis incorporationem ſuſcipere dignemini.

Poſt hanc petitionem D. Abbas pauca de ſeveritate ſtatus Religioſi, & ad quid emiſsa ſacra Profeſſione obligetur, ſubjungat; & expreſſe ei ſignificet, quod non ſolum ad Regulam, ſed etiam ad Conſtitutiones Congregationis noſtræ profiteri teneatur & hoc in ſequenti forma fieri poſſet:

Humilis petitio tua, Fili Chariſſime! perennem in noſtram Fraternitatem admiſſionem continet, qua non ſolum ſanctam SS. Legislatoris noſtri BENEDICTI Regulam, ſed et Conſtitutiones, ac ſtatuta almæ Congregationis noſtræ Benedictino-Polonæ ſervare promittis. Deinceps ergo Chriſto vero

ro Regi militaturum, te obedientiæ fortissima, atque præclara Arma assumere oporet, propriis voluptatibus abrenuntiando, ut si aliquado aliter feceris, quàm in sacra Professione promiseris, ab eo te damnandum scias, quem irrides. Mollia, & commoditates in sacra Religione non quæras, sed per dura, & aspera itur ad DEUM. Hæc docet S. Regula, quā satis, & considerate perlegisti, sub qua militare de cætero desideras; nec minùs per annum Novitiatûs ejusdem observantiam expertus es. Si igitur potes eam observare, ingredere; si verò non potes, liber discede. Jam nunc foras egredere, & expecta, quid circa admissionem tuam statuendum sit.

Post discessum Novitii, fiat consilium in Capitulo de eius admissione ad sacrā Professionem, nec facilem tribuant ei ingressum, qui forte durante probatione, dimissionem petiit, & non obtinuit; ne facta Professione eveniat casus insanabilis. Si verò dignus inventus, & per majora vota Capituli admissus sit, iterum vocetur, & genuflexo à D. Abbate adhuc admoneatur in hæc, vel similia verba:

Cha-

Chariſſime Frater! licet his & his (*obiiciantur ei defectus à V. Communitate obſervati*) defectibus vitam deturpes Religioſam, Confidendo tamen ego, cum Venerabili Communitate de tua emendatione, quam ſpopondiſti in humili petitione tua, non denegamus tibi conſenſum ad emittendam Profeſſionem. Verumtamen duo tibi ob oculos ponimus: (*hic demonſtret ei D. Abbas ex una parte poſitum Habitum Monachalem, ex altera autem parte veſtes ſæculares, quas ſecum ad Monaſterium Novitius attulit*) aut Habitum SS. Patris noſtri Benedicti eligas, & mundo, cum omnibus ſuis oblectamentis valedicas; aut tuis veſtibus ſæcularibus indutus, ad ſæculum redeas.

Ad quæ Novitius perſeverans reſpondeat: Sæculum cum omni pompa ſua ſperno, igitur ad illud redire nolo. *Quem rurſus D. Abbas interroget*: Quid ergo petis? *Et Novitius reſpondeat*: Sacram Profeſſionem peto; cupio enim per celeſtem gratiam auxiliumque Divinum vivere, & mori in habitu Sanctiſſimi Patris Benedicti. *Tum D. Abbas dicat ei:* Quia per cæleſtem gratiam deſideras vivere, & mori in Habitu SS. Patris noſtri Benedicti, fiet tibi, ut petiiſti.

Et ſtatim D. Abbas deſignabit ei diem, emittendæ ſacræ Profeſſionis, ad quā ut ſe per octiduana ſacra Exercitia ſtudioſè diſponat, mandabit, interim pro defectibus aſſignet ei ſalutarem pœnitentiam, non jam aliam, quam in ſacris precibus e. g *Coronam, vel Roſarium, aut Pſalmos Pœnitentiales, ſive Pſalmos Graduales, aut etiam Officium Defunctorum. Et dimittat eum in pace, non tamen ſine gratiarum actione Communitati, pro ſua admiſſione ad S. Profeſſionem. Hæc ſupra dicta excerpta ſunt ex* Cærem: Monaſt: Benedictino, Congreg: Bavaricæ P IV § 2. & 3.

ORATIONES

Dicendæ triduò á Professione, pro Neo-Professis, in iis Missis, in quibus Communionem sacram sumpturi sunt.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui nos, arctam, & angustam viam jussisti arripere; famulum tuum de hujus sæculi periculis ad te confugientem, propitius respice: & delictorum pænam, qua se constrictum sentit, clementer disrumpe, & perseverantiam boni operis ac præmia ei æterna largire. Per Dominum nostrum, &c.

Secreta.

Munera, quæsumus Domine, famuli tui dignanter respice, & quem desiderio æernæ beatitudinis à mundano segregasti proposito, etiam à carnali delectatione, & omnibus antiqui hostis insidiis potenter defende. Per Dominum nostrum &c.

Post.

Postcommunio.

HÆc nos, quæsumus Domine, Divini Sacramenti perceptio à nostris mundet offensis; & famulum tuum à mundanis pravitatibus & ab omnibus tumultuum delectationibus clementer eripiat. Per Dominum nostrum, &c.

CAPUT IV.

Modus solemniter Profitendi.

D*IE, quando Novitius, finito Anno probationis profiteri debet, si D Abbas non sit celebraturus, alius sacerdos præparet se ad Missam celebrandam solemniter, quæ erit de Festo occurrenti, vel de Dominica; non enim potest aliqua Missa Votiva solemnis dici, cum id prohibeat S. R. C. sequen: Decr:* Receptio ad habitum, & ad Professionem Religiosam sub re gravi numerari non potest, ut ex consvetudine cantari possit Missa votiva solemnis, etiam de spiritu Sancto, in Dominicis, vel Duplicibus, & hic abusus omnino est derogandus S. R. C. 24. *Julii 1683 in. Ruremunden. P. vero Spiridion Talu declarat, quod licet non possit in Dom: vel Dupl: cantari Missa votiva, potest tamen in semiduplicibus, sed sine* Gloria & Credo *ut habet Rubr: Miss: de Miss: Votiv:*

Pro noviter tamen Professis potest addi Collecta in Missa ultimò loco, non tantùm in eâ, in qua emissuri sunt professionem, verùm in duabus subsequentibus, in quibus S. Synaxim sunt recepturi; eruntque hi dies tres continui à Professione. Dictæ autem Collectæ supra exaratæ, si pro pluribus dici debeant, in Numero plurali

rali formentur, si vero pro uno, in numero singulari ut sunt impressæ exprimantur.

Ad emittenda solemniter Vota, præparari debet sedes, seu faldistorium pro D. Abbate, vel P. Priore, in loco solito, & super Credentiam vas aquæ benedictæ, cum aspersorio. Insuper Vestes Neo-Professi benedicendæ, scilicet scapulare cum suo Caputio, & Cuculla. Tum seorsivè præparentur 4. Candelabra cum Cereis, & Pannus niger Mortuorum, cum pulvinari, atramentarium cum Calamo, ad signandum Chirographum Professionis, Regula Sacra, cum Constitutionibus Congr: Ben: Pol. atq; hoc Cærem: Monast.

Dicto itaq; offertorio, facta Oblatione, incensatisque oblatis, D. Abbas, si non ipse celebraverit, in sacristia sumet Sacra Paramenta, scilicet: Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, stolam, & Pluviale, & super imposita Mitra, ac Pedo assumpto, comitantibus Ministris proportionatis, accedet ad Altare. Ubi Sacerdos Celebrans secedet ad cornu Epistolæ, ibique sedebit, Ministri vero sacri D. Abbati assistent.

Prælatus ut pervenerit ad Altare, deponit Mitram, & facta debita Cruci, vel Tabernaculo reverentia, accedit ad faldistorium in latere Evangelii sibi præparatum, ubi sedet cum Mitra; Interim Magister Novitiorum Cucullatus, una cùm socio pariter cucullato, deducet Novitium ad Professionem, inter se medium. Et dum ducitur Novitius paulatim, ad cantum versuum paululum subsistendo, inchoante Prælato cantantur sequentia.

D. Abb:


Veni - - - te *Chorus* Be - ne - di - cam Dominum



in omni tempore; semper laus eius in ore meo. *D. Ab:*





Abb: Veni - - - te. *Chor:* Jn - Do - - - mino laudabitur




anima mea: audiant manſveti & lætentur.



D. Abb: Veni - - - te Fi - - - lii *Chor:* Ma - gnifica - te



Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in



idipſum. *D. Abb:* Au - - di - te - me. *Chor:* Ex - qui - ſi -



vi Dominum, & exaudivit me: & ex omnibus tribu-



lationibus meis, eri - puit me. *D. Abb:* Ti - mo - rem


Do-



Do - mini do - cebo vos. *Chorus.* Acce - dite ad eum,



& illu - minamini: & facies veſtræ non confun-



dentur.

Et Novitius conſtitutus ante medium Altaris in plano, aperto capite, facta genuflexione cum profunda capitis inclinatione, erigit ſe & facta Prælato profunda reverentia, ſtans in medio Magiſtri ſui, & ſocii eius, legat Chirographum Profeſſionis ſuæ, in ſequenti forma:

Hoc tamen adhuc notandum eſt, quia pro tunc nec debet aperiri oſtiolum Tabernaculi SS. Sacramenti (ut quidam prætendunt) nec pro hoc actu omnino exponi, alias fieret plenior irreverentia Sacramento. Cum enim Credamus, Deum ubique præſentem eſſe, multomagis in Domo orationis qui cum videat abſcondita cordis, magis audit expreſſionem oris.

Forma Profeſſionis.

Jn Nomine Domni noſtri JESU Chriſti. Amen.

ANNo à Nativitate eiuſdem (*e.g.*) Milleſimô ſeptingenteſimô, ſeptuageſimô ſeptimô Die N. Menſis N. Ego N.N. (*hic exprimatur locus Nativitatis ſuæ ſcilicet Diœceſis, & Palatinatus, vel Diſtrictus aut Terræ, ſeu Regnum*) promitto ſtabilitatem meam, & converſio-

nem morum meorum, & obedientiam ſecundum Regulam ſanctiſſimi Patris, ac Patriarchæ noſtri Benedicti, coram DEO, & omnibus Sanctis, quorum Reliquiæ habentur in hoc Monaſterio N. in præſentia Reverendiſſimi & Perilluſtris ac Ampliſſimi Domini Dñi N. N. Abbatis. N. & Admodum Reverendi in Chriſto Patris N. N. Prioris eiuſdem Monaſterii, Congregationis Benedictino Polonæ. Ad cuius rei fidem hanc petitionem propria manu ſubſcripſi. Anno, et die, quibus ſupra

Perlecto Chirographo Novitius, accedat cum eo ad Prælatum, ante quem genuflexus ponat ſchedam in gremio eius, ibiq; accepto Calamo cum Atramento ſub prædicta forma Profeſſionis faciet ſignum ✝ notabile. Poſtea deoſculata manu Prælati, accedet ad Altare, quod oſculabitur in medio, & relinquens Chirographum in eodem Altari, ad cornu Epiſtolæ, ipſe revertetur ad Planum, & in infimo gradu genuflectet. D. Abbas ſedet toto hoc tempore, & dum Neo-Profeſſus ponit ſchedulam in gremio eius, ipſe in duabus ſuperioribus extremitatibus, utroq; manu ita tenet, ut reliquum Chirographi ſit ſupra genua poſitum.

Genuflexo Neo-Profeſſo, Prælatus ſurgit depoſita Mitra, & ſignando ſe à fronte ad pectus, dicit:

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc, et uſque in ſæculum.
℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit Cælum, & terram.

OREMUS.

FRatres chariſſimi, ut quod Frater iſte ore profeſſus eſt, opere feliciter compleat, auxiliante Domino noſtro JESU Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat DEUS in ſœcula ſæculorum. ℟. Amen.

Hac oratione dicta Prælatus ſedet cum Mitra, & Neo-Profeſſus erigit ſe, & extenſis brachiis in modum Crucis decantat:

Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & vivam:*

Et cum hæc dexerit, ſtatim jungat ante pectus manus ſuas, & genuflexus proſequitur:

Et non confundas me ab expectatione mea.

Quo dicto oſculatur terram, & permanet genuflexus, quouſq; Chorus eundem Verſum totum repetierit. Et ſurgens iterum, atque tertio repetat eadem verba eodem ordine, ac Cæremonia, ſemper paulo altius elevando vocem, in tono eo, qui ipſi meliùs placuerit quod idem repetatur à Choro, etiam trina vice, adjunctis ad ultimam vicem à Choro ℣℣.

Suſcepimus DEUS miſericordiam tuam:* in medio templi tui.

Gloria Patri, & Filio:* & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & ſemper:* & in ſæcula ſæculorum Amen.

His peractis, Prælatus depoſita Mitra, ſurgit, & dicit:

℣ Dominus vobiſcum. ℟ Et cum ſpiritu tuo

ORE-

OREMUS

OMnipotens ſempiterne DEUS, cuius charitatis ardore accenſus hic famulus tuus, ſtabilitatem ſuam tibi in hac Congregatione promittendo, tuo jugo collum ſubmittit; concede propitius: ut in ultimo tui examinis die, in dextera tua collocatus, cuncta devotionis ſuæ promiſſa ſe adimpleviſſe lætetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

OREMUS.

DEus indulgentiarum Pater, qui ſeveritatem tuæ diſcretionis temporans indulſiſti, ne Filius portaret iniquitatem Patris, & qui mira diſpenſatione etiam malis benè utens, tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris; quæſumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo non obſiſtat, quod Habitum Religionis per nos, tanta, ac

tali re indignos accipiat, ſed Miniſterium, quod per nos exterius exhibetur, tu interius per donum ſancti ſpiritus exequaris. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate eiuſdem Spiritus Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟ Amen.

OREMUS

DEus, qui per Coæternum Filium tuum cuncta creaſti, quique mundum peccatis inveteratum per Miſterium Jncarnationis eius renovare dignatus es; te ſuppliciter exoramus: ut eiuſdem Domini Noſtri gratiâ, ſuper hunc famulum tuum, abrenuntiationem ſæculi profitentem, clementer reſpicere digneris, per quam ſpiritu mentis ſuæ renovatus, veterem hominem cum actibus ſuis exuat, & novum, qui ſecundum

DE-

DEUM creatus eſt, induere mereatur.
Per eundem Chriſtum Dominum no-
ſtrum. ℟. Amen.

OREMUS

DOmine JESU Chriſte, qui es via,
ſine qua nemo venit ad Patrem,
quæſumus benigniſſimam clementiam
tuam; ut hunc famulum tuum à carna-
libus deſideriis abſtractum, per iter di-
ſciplinæ Regularis deducas: & qui pec-
catoribus veniam dediſti, dicens: Ve-
nite ad me omnes, qui laboratis, & one-
rati eſtis, & ego reficiam vos: præſta,
ut hæc vox invitationis tuæ ita in eo
convaleſcat, quatenus onera peccato-
rum deponens, & quàm dulcis es, gu-
ſtans, tua refectione ſuſtentari mereatur;
& ſicut atteſtari de omnibus ovibus tu-
is dignatus es, agnoſce eum inter oves
tuas, & ipſe te agnoſcat, ut alienum
non

non ſequatur, ſed Te: neque audiat vocem alienorum ſed Tuam, qua dicis: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. ℞. Amen.

OREMUS.

SAncte Spiritus, qui te DEUM, ac Dominum revelare dignatus es mortalibus, immensæ tuæ pietatis gratiam poſtulamus; ut ſicut, ubi vis, ſpiras, ſic & huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas. Et quoniam tuâ ſapientiâ eſt conditus, tuâ quoque Providentiâ gubernetur; quem iuxta tibi consvetam gratiam, unctio tua de omnibus doceat, & per interceſſionem beatiſſimi Patris noſtri Benedicti, quem præcipuum ſanctæ hujus inſtitutionis Legislatorem dediſti, nec non & aliorum Sanctorum, ad quorum nomina petitionem facit, cum à va-

nitate ſæculi veraciter converte. Et ſicut es omnium peccatorum remiſſio, deprimentes impietatis obligationes in eo diſſolve, & ad obſervantiam huius ſancti propoſiti fac eum certatim fervere, ut in tribulationibus, & anguſtiis tua indeficiente conſolatione valeat reſpirare, & juſte & pie per veram humilitatem, atque obedientiam in fraterna charitate fundatus, quod te donante hodie promittit, felici perſeverantia compleat. Qui cum Deo Patre, Sanctoq; unigenito Filio eius Domino noſtro JESU Chriſto vivis, & regnas Deus per infinita sæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Completis orationibus D. Abbas permanens ſine Mitra, vertit ſe ad benedicendum indumenta Monachalia (quæ ab aliquo Miniſtro ſuſtentantur, & non ſupra Altare ponuntur) & dicat: ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine JESU Chriſte, qui tegumentum noſtræ mortalitatis induere dignatus

es

es: obſecramus immenſam tuæ largitatis abundantiam; ut hoc genus veſtimenti, quod ſancti Patres, ad innocentiæ, & humilitatis indicium abrenuntiantes ſæculo, ferre ſanxerunt, ita bene † dicere, & ſancti † ficare digneris, ut hic famulus tuus qui hoc uſus fuerit indumento, te quoque induere mereatur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, in unitate Spiritus Sancti DEUS. Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

DEUS æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, & certiſſime perſolutor, qui veſtimentum ſalutis, & indumentum jucunditatis tuis fidelibus promiſiſti; clementiam tuam humiliter exoramus: ut hæc indumenta, humilitatem cordis, & contemptum mundi ſignificantia, propitiùs bene † dicas, ut beatæ abnegationis Habitum, quem te aſpirante ſuſcepit, te

pro-

protegente cuſtodiat; ut quem veſtibus venerandæ Religionis induis temporaliter, beata facias immortalitate veſtiri. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMUS.

DOmine DEUS bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, te ſuppliciter deprecamur; ut has Veſtes, quas famulus tuus pro indicio agnoſcendæ Religionis induere vult, ut inter reliquos Fratres tibi cognoſcatur dicatus, bene✠dicere, & ſancti✠ficare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Et ſtatim D. Abbas poſito, ac benedicto incenſo in thuribulo, accipit aſpergillum, aſpergit Veſtes & Novitium dicendo: Jn nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Jnſuper ter adolet incenſo, veſtes, nihil dicendo.

Poſtea omnibus genuflexis, Prælatus ſtans ſine mitra, ante medium Altaris inchoat.

Hymnum. Veni Creator Spiritus. &c

Quo intonato, etiam Prælatus genuflectit, uſq; ad finem primæ ſtrophæ; poſtea ſurgit, & ſedet cum Mitra. Tum accedentem Neo-Profeſſum ad ſe, exuit ſuis Veſtibus, ſcilicet Chlamide, ſeu

Mantello (quo in Processionibus Novitii uti debent, iuxta declar: Cassin: supra Reg: cap: 58 n. 8.) *& dicit clara voce:*

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis.

Et induendo eum scapulari benedicto dicat:

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum DEUM creatus est in sanctitate, & justitia veritatis.

Deinde imponendo ei Cucullam, seu Thogam, & Caputium, Prælatus dicit:

Accipe hoc indumentum salutare, quod Sanctus Pater BENEDICTUS illæsum custodivit, ut per eiusdem imitationem, ipsius cætui aggregatus, ante Tribunal Christi valeas perenniter gaudere. Per eundem Christum Dominum nostrum ℟ Amen.

Deniq; D. Abbas porrigat ipsi sacram Regulam, una cum Constitutionibus Congregationis Benedictino-Polona dicens:

Ecce Lex, sub qua militare vis, vide, ut non solum auditor, verùm etiam factor illius esse possis.

Chorus, non attendendo ad ea, quæ modo declarata sunt continuet in cantu prædictum Hymnum. His autem omnibus peractis, D. Abbas, respondente Choro, prosequitur:

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Pater noster, *reliqua secreto usque ad:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Adiutorium nostrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum, et terram.

℣.

℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. DEUS meus ſperantem in te.
℣. Oſtende ei Domine miſericordiam tuam.
℟. Et ſalutare tuum da ei.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor: &c ℣ Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS miſericors, DEUS clemens, cui bona cuncta placent, ſine quo nihil Sanctum inchoatur, nihilque bonum perficitur, adſint noſtris humillimis precibus, aures tuæ pietatis, & hunc fa-

mulum tuum, cui in tuo ſancto Nomine Religionis Habitum impoſuimus, à mundi impedimento, vel ſæculari deſiderio defende; & concede ei: ut in hoc ſancto propoſito devotus perſiſtat, & remiſſione peccatorum percepta, ad Electorum tuorum valeat pervenire conſortium. Per Chriſtum Dominum noſtrum ℞. Amen.

OREMUS.

DEUS, qui beatiſſimum Patrem noſtrum BENEDICTUM abſtractum à mundi turbinibus, tibi ſoli militare juſſiſti; tribue quæſumus, huic famulo tuo ſub eius Magiſterio ad tuum ſervitium feſtinanti: perſeverandi conſtantiam, & perfectam uſque in finem victoriam. Per Chriſtum D. N. ℞. Amen.

OREMUS.

PRæſta Domine, famulo tuo renuntianti ſæcularibus pompis gratiæ tuæ ia-

nu-

nuas aperiri, qui despecto diabolo, confugit sub titulum Christi; iube eum venientem ad te sereno vultu suscipi, nec de eo valeat inimicus triumphare: tribue ei brachium infatigabile auxilii tui, & mentem eius fidei loricâ circumda, ut pericula cuncta, & diaboli tentamenta se gaudeat evasisse. Per Dominum nostrum &c. ℟ Amen.

His completis, Neo-Professus surgit de loco suo, & accedit ad Prælatum, ubi osculatur sinistrum humerum D. Abbatis, accipiendo ab eo Pacem, & dicenti Prælato: Pax tecum *respondet* Et cum spiritu tuo *ac statim genuflectit ante eum, à quo, cum Mitra erecto, benedicitur, solita forma:*

BENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS, PATRIS, ✠ & FILII, ✠ & SPIRITUS ✠ SANCTI, DESCENDAT SUPER TE, & MANEAT SEMPER. ℟. Amen.

Si D Abbas non celebraverit, sed alius sacerdos, tunc ddta benedictione recedet in sacristiam ad deponenda sacra Paramenta; Neo-Professus verò statim accepta benedictione accedit ad Celebrantem, & ab eo accipit pacis osculum solito modo; & exinde recedat ad locum sibi præparatum, ubi genuflexus supra cussinum, ab omnibus Religiosis suo ordine advenientibus, recipiat osculum pacis, iisq; vicissim tribuat. Celebrante interim Missam prosequente.

Finito osculo pacis, Neo Professus surgit, accedensq; ad medium Chori, supra tapete extensum cum gravitate procumbit, ita, ut non cruce in terra prostratus iaceat, sed dextro late-

lateri incumbat, faciem Caputio, manus, & pedes Cucullo concinnè obtengens, desuper verò pannô nigrô mortuorum cooperiatur, Hinc inde circa illum quatuor Candelabræ cum totidem cereis accensis in modum ✝ collocentur: & campanæ (ut pro mortuis moris est) pulsentur, in signum, ut vivat mortuus, & moriatur vivus. Ita coopertus Neo Professus permaneat usq; ad communionem Celebrantis, qua finita, Diaconus præcedentibus duobus Ceroferariis cum cereis accensis, accedat ad Neo-Professum, & elevans pannum funebrale mediocri voce dicit:

Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. *Neo-Professus statim surgens, primus omnium ad Communionem accedit. Deducatur postea à Magistro suo ad Chorum, & ibi assignetur ei, ultimus locus Professorum.*

CAPUT V.

Modus recipiendi ad Communitatem Neo Professum die Tertia à Professione.

Quia forma recipiendi Novitios ad Professionem, in Iliade expressa, An. 1751. Typis mandata, & à Congregatione nostra recepta, præcipit, ut noviter professus per tres dies continuos à Professione sacram synaxim sumat in iis Missis, in quibus pro ipso dicuntur: Oratio, Secreta, & Post-communio; *ideo ipse Neo Professus hoc triduo Caputio involutus manere debet: Hoc Caputium ipsi nec in Choro deponere licebit, nisi tantum inserviendo Missæ Sacrificio, in quo sumpturus est S. Communionem, deponere potest. De cætero strictissimum silentium servabit, in Choro non imponet* Antiphonam Psalmum, *vel* Lectionem. *aut* ℣℣ *sive* ℟℟ *non psallet cum aliis, sed seorsim complebit Officium Divinum, & servitutis suæ pensum, per dictum triduum, in piis exercitiis, ac gratiarum actione pro inæstimabili, ad vitam Monasticam, vocationis bene-*

neficia, perſeverans, abſolvit. *Jta* Cærem: Monáſt Congr. Bavar. P. IV. §. 4. pag 216. *Cum enim Congregatio noſtra Benedictino Polona ad normam Congregationis Bavaricæ ſit erecta, ut patet ex* Conſtit P. II c. 13 ac illarum Proœmio, *ideo non tantum in legibus, ſed etiam in Ritibus conformare ſe debemus.* *Jdipſum pariter declarat* Cærem. Monaſt, Congr. Monat. ferrat. P. II. diſt. 3. c. 5. n. 18 pag: 401.

Die itaq: tertia Neo Profeſſus ſumit ſacram Communionem, ſolitò tempeſtivius, ſi placuerit ſuperiori, congregaturq; Capitulum ante, vel poſt Miſſam Conventualem, ſive poſt Prætiosa. Congregatis omnibus, lecto ac explanato S. Regulæ aliquo Cap. vocetur Frater nuperrimé Profeſſus, qui adveniens in medium congregatorum; inclinatione profunda omnibus præſtabit reverentiam, & adhuc Caputio obvolutus accedet ad ſuperiorem, & ante eum genuflectet. Prælatus verò deponit Caputium de Capite eius, & faciendo ſuper eo ſignum Crucis, dicit tantum:

Jn Nomine Patris, & Filii, ✝ & Spiritus Sancti. Amen.

Deinde ſurgentibus omnibus, & Neo-Profeſſo genuflexo permanente, Prælatus dicat ſeq:

℣. Adiutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit Cælum, & terram.

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS

Domine JESU Chriſte, totius ſanctæ Religionis origo, omniſque Profeſſionis in te æterna ſalvatio, ſuſcipe propitius votum famuli tui, qui de huius ſæculi vanitate, & turbine ad te confugit; & ſi-

ſicut Capitis ſui hac triduana involutione myſticam ſignificationem prætendit, ſit quæſumus Domine, te adiuvante, ab omni negotiorum ſæcularium ſtrepitu exutus, à delectationibus ſæcularium præſentium evulſus, à cunctis mundi huius occupationibus extraneus; ab antiqui hoſtis fraudibus ereptus, mundo huic crucifixus, á ſæcularibus pompis remotus: remotus á cunctis malorum implicamentis, remotus á præſentis vitæ contagiis, remotus ab omnibus pravorum retinaculis, remotus à cunctis antiqui hoſtis inſidiis. Doce eum Domine, omnia huius vitæ contemnere proſpera, non timere adverſa, iniurias non inferre, ſed illatas æquanimiter tolerare, inimicos diligere, pro perſequentibus, & calumniantibus ſuppliciter deprecari: nihil concupiſcere carnaliter, vel ambire: non ſuperborum iniuriis fatigatus deficiat, non eum ſuperbia inflet, non ar-

ardor avaritiæ ſuccendat, non incentiva luxuriæ inflamment, non vana gloria præturpiter iactet, non gula, aut ebrietas præpediat, non ambitio ventosa præcipitet, non ardor animosæ contentionis exagitet, non diabolus auctor perditionis lædat; aut perdat, ſed tuæ pietatis dextera Clementiſſime DEUS! eum à cunctis eruat malis, atque in præſenti, & futuro protegat, regat, & gubernet. Aperi ei ſenſum, ut in divinarum ſtudiis literarum te legat, corde, ore, & opere meditetur, & intelligat; die, noctuq; tibi ſerviat; obediens ſit, & inſtructus; humilitatem, & vilitatem teneat, atque exerceat; caſtimoniam, & pudicitiam corde, & opere amplectatur: patientiam, & longanimitatem arripiat; jeiunio, & abſtinentiæ ſtudeat, ſimul & amet. Suſcipe quæſumus, Domine Deus Omnipotens hunc famulum tuum, quem de huius ſæculi naufragiis, & periculis eruere, & ad Monaſticam vocare dignatus

es gratiam; & concede propitius: ut arctam, & angustam, quam professus est, vitam jugiter diligat, atque sectetur, quatenus ad æternam, quam in te perseverantibus promittere dignatus es, gloriam pervenire mereatur. Qui cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟ Amen.

Tum omnibus, Capitulariter congregatis, considentibus, & Neo-Professo manente genuflexo, Prælatus breviter eum admoneat de sua Professione exequenda, cum declaratione obligationis, & remunerationis, secundum quod viderit conditionibus personarum expedire. Quod forte hunc in modum fieri posset:

CHarissime Frater! Jam redde Domino Deo tuo vota tua; obedientiam jurasti Deo, ac in ea, ac per eam etiam Paupertatem, & Castitatem: cave ergo ne aliquando inobediens Religiosus audias, & per inobedientiam animam tuam damnes districto Judici. Si vis omnes Religionis difficultates superare, tentationes vincere, & tuæ gravissimæ obligati-

oni ſatisfacere, ſolam cole obedientiam, vir enim obediens loquetur victorias; quemadmodùm inobediens in omnia ſe-rè vitia pronilſimus cadit. Tuum iam eſt ad meliora ſemper progredi, & per votum converſionis morum pravos exuere mores, ac vitioſas & Confratribus graves deponere actiones. Nam eum in finem Religioſis in ſacra Profeſſione immutatur Nomen, ut meminerint, cum nomine pariter vitam, moresque mutare debere in melius. Triduana tua involutione præſignaſti, amoroſum Dei Filium tui amore occiſum triduo jacuiſſe in ſepulchro, antequam devicta morte triumphans reſurrexerit; ita & tu iam mundo mortuus, per triduum Caputio involutus fuiſti, ut pariter de eo devicto glorioſiorem triumphum deportares. Et licet myſtica hac involutione jam ſis evolutus; verumtamen maioribus obligationibus hoc ipſo involutus es; ſcias enim Le-

ge Regulæ constitutum, ex hac die tibi non licere egredi de Monasterio, nec collum excutere de subiugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare: ante fuisti liber, nunc vero servus factus es per solemnia vota, cui nec voluntas, nec corpus proprium amplius in propria potestate manet. Cordi deinceps habeto doctrinam S. Pauli *ad Phil:* 4. Quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, hæc cogita: ministerium tuum, seu munus imple, aliena non cura: media quotidie proficiendi, seu spiritualia exercitia nunquã intermitte; modestiam religiosam ubique, & inter omnes observa. Quæcunque sacra Regula prohibet; levia numquam dixeris, sed omnia, quasi divinitùs imperata forent ac tutum exequere: nunquã extingvatur in nocte temporis lucerna primi fervoris; facile bonus eris, si ea in te vitabis, quæ in aliis vituperas. Merces te magna nimis manet in cælis, si

ve-

verè ſæculo renuntians, Dominũ ſecutus fueris, & ſtudueris diſplicere mundo ut placeas Chriſto ſoli animæ tuæ ſponso, qui pariter factus eſt obediens uſque ad mortem. Hæc ergo facienti regna patebunt æterna. Cæteroquin te participem reddo omnium Privilegiorum quæ cuicunque Conventualium de jure, & vi Regulæ, ac ſtatutorum competere poſſunt & competunt, teque in numerum Conventualium, peramanter recipio. De ſecreto ſervando, in iis, quæ in Capitulis quibuscunque aguntur, te admoneo, & in his conſcientiam tuam onero. Jam vade in pace, & pro tibi factis gratiis, omnibus gratias age.

Neo-Profeſſus audita brevi exhortatione, ſurgit, omnibus in Capitulo præſentibus PP. & FF. incipiendo à D. Abbate ſecundum ordinem gratias referet, atque ex illa die in Congregatione reputetur.

CAPUT VI.

Modus emittendæ Profeſſionis ſimplicium votorum.

PRo die deſtinato à D. Abbate, & non feſtivo, Frater Converſus, volens emittere Profeſſionem ad vota ſimplicia, præparet

ret se per exercitia spiritualia octiduana, faciatque generalem Confessionem. Ipso vero die, mane, ducatur à Magistro suo ad locum destinatum, in Chorum scilicet, vel in Capellam aliquam privatam, & Prælatus extra Missarum solemnia indutus supra Rochettum, stola, & Pluviali col: Albi, cum Mitra (si placet) & Pedo; aut ex eius commissione P. Prior indutus Cotta, stola. & Pluviali, in præsentia Magistri Novitiorum, & nonnullorum Patrum, Ministrantibus tantum duobus Ceroferariis, Thuriferario, & Cæremoniario, absque Diacono & subdiacono, & non nisi cum Capellano de Libro, accedit ad Altare, ibiq; genuflexus cum cæteris, sine cantu in plana tantum recitatione inchoabit Hymnum:

Veni Creator Spiritus &c:

Quem præsentes alternatim recitando prosequuntur. Finito Hymno Prælatus stans, cæteris respondentibus, dicit:

℣ Emitte Spiritum tuum & creabuntur.
℟ Et renovabis faciem terræ
℣ Domine exaudi orationem meam. ℟ Et clamor &c.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra Oratio & operatio à Te semper incipiat, & per te cæpta finiatur.

Misericors, ac piissime DEUS, qui ubiquè famulos tuos tueris, & adiuvas; huius Fratris tibi famulari volentis in bonum accumula votum, auge desiderium, ut tibi placitum in ordine sacro impendat servitium.

Intercessio nos quæsumus Domine B. P. Benedicti Abbatis commendet; ut quod nostris meritis non

valemus, eius patrocinio assequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Tum Prælatus sedet, & Novitius Conversus tenens schedulam Professionis suæ, inter indicem, & pollicem manuum iunctarum stans, clara, & intelligibili voce emittet vota simplicia, sub sequenti forma: ab Alexandro VII. Pont. Max: die 30 Julii 1666. præscripta & à Capitulo Generali Lubinensi An: 1753. acceptata.

Jn Nomine Domini nostri JESU Christi, Amen.

ANno à nativitate eiusdem *v. g.* Millesimô. Septingentesimô. Septuagesimô. Septimô Die N. Mensis N. Ego NN. *hic exprimatur locus Nativitatis, scilicet Diœcesis, & Palatinatus &c.* Promitto servare Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam, & conversionem morum meorum, secundùm Regulam Sancti Benedicti, & Constitutiones Congregationis Benedictino Polonæ sub titulo Sanctæ Crucis, coram Deo, & omnibus Sanctis, quorum Reliquiæ in hoc Monasterio N. requiescunt. Jn præsentia Reverendissimi & Perillustris ac Amplissimi Domini D. NN. Abbatis N. & Admodum Reverendi in Christo Patris NN. Prioris eiusdem Monasterii, quamdiu in dicta Congregatione perseverabo; non intendens tamen quod mihi proprio vitio, seu voluntate liceat ab illa discedere, sed quod, si contingeret, ut dictæ Congregationis Superiores malis meis moribus, seu vitiis coacti, ab illa me expellerent, in illo casu liber, & absolutus ab omni votorum, & Religionis obligatione remanerem. Jn quorum fidem, hanc petitionem propria manu subscripsi.

Præ-

Perlecta hac Professione simplicium votorum, Frater Conversus tradit Chirographum in manus Prælati sedentis, qui accipit ab eo dictam Schedam, eamque in duabus superioribus extremitatibus utraque manu ita tenet, ut reliquum schedæ supra genua sit positum, ubi Neo-Professus accepto calamo cum atramento, exprimit infra notabile signum ✝ Et postea recipiens eam de manibus Prælati, accedit ad Altare, ponit supra illud ad cornu Epistolæ dictum Chirographum Professionis suæ, & recedit, ac se prosternit super tapete extenso manetque prostratus in terra usque ad benedictionem scapularis exclusivè. Prælatus verò surgit (& si utitur Mitra) sine ea, convertens se ergo Neo-Professum prostratum, respondentibus cæteris, dicit sequentes Versiculos, & Orationes:

Kyrie eleyson, Christe eleison, Kyrie eleyson.

Pater noster &c. *Secretò usque ad:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. DEUS meus sperantem in te.
℣. Ostende ei Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da ei.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.

℣. Ni-

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto
℟ Et de Sion tuere eum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor: &c ℣ Dominus vobiſcum.
℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui per coæternum Filium tuum cuncta creaſti, quique mundum peccatis inveteratum per Myſterium Jncarnationis eius renovare dignatus es; Te ſupplices exoramus, ut eiuſdem Domini noſtri gratiâ ſuper hunc Famulum tuum, abrenuntiationem ſæculi profitentem, clementer reſpicere digneris; per quam ſpiritu mentis ſuæ renovatus, veterem hominem cum actibus ſuis exuat, & novum, qui ſecundum DEUM crea-

tus

tus est induere mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum, ℟ Amen.

OREMUS

DOmine JESU Christe, qui es via, sine qua nemo venit ad Patrem, quæsumus benignissimam clementiam tuam, ut hunc famulum tuum à carnalibus desideriis abstractum, periter disciplinæ regularis deducas; & qui peccatoribus veniam dedisti, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: præsta, ut hæc vox invitationis tuæ ita in eo convalescat, quatenus onera peccatorum deponens, & quam dulcis es, gustans, tua refectione sustentari mereatur; & sicut attestari de ovibus tuis dignatus es, agnosce eum inter oves tuas, & ipse te agnoscat, ut elienum non sequatur, sed Te: neque audiat vocem alienorum, sed tuam, qua dicis: Qui mihi ministrat, me sequatur: Qui vivis, & regnas DEUS in sæcula sæculorum, ℟. Amen.

O-

OREMUS

SAncte Spiritus, qui te DEUM, ac Dominum revelare dignatus es mortalibus, immensæ tuæ pietatis gratiam postulamus; ut sicut ubi vis, spiras, sic & huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas. Et quoniam tua sapientia est conditus, tuâ quoque providentiâ gubernetur; quem iuxta tibi consvetam gratiam unctio tua de omnibus doceat, & per intercessionem Beatissimi Patris nostri Benedicti, quem præcipuum sanctæ hujus institutionis Legislatorem dedisti, nec non & aliorum Sanctorum, ad quorum Nomina petitionem fecit, eum à vanitate sæculi veraciter converte. Et sicut es omnium peccatorum remissio, deprimentes impietatis obligationes in eo dissolve, & ad observantiam huius sancti propositi fac eum certatim fervere, ut in tribulationibus, & angustiis tua indeficienti consolatione valeat respira-

re, & justè, ac piè ver veram humilitatem, atque Obedientiam in fraterna Charitate fundatus, quod te donante hodie promisit, felici perseverantia compleat. Qui cum DEO Patre, sanctoque Unigenito Filio ejus Domino nostro JESU Christo vivis, & gloriaris DEUS per infinita sæcula sæculorum. ℟ Amen.

His dictis D. Abbas vertit se ad indumenta Monachalia Conversorum benedicenda, videlicet, Vestem nigram talarem, & scapulare strictum, ad medium cruris tantum protensum, absque collario albo, & absque caputio, dicens absolute:

OREMUS.

DOmine JESU Christe qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es; obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium abrenuntiantibus sæculo ferre sanxerunt, bene✝dicere, & sancti✝ficare digneris; ut hic famulus tuus, qui hoc indutus fuerit vestimento, te quoque induere mereatur, qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum, ℟ Amen.

Finita oratione Prælatus aspergat vestes aqua benedicta, & statim sedeat. Adducit Magister Novitiorum Neo-Professum propiùs ad D, Abbatem; & genuflexus ille F. Conversus exuitur vestibus, Novitiis competentibus, scilicet Chlamyde, seu Mantello, Prælato dicente:

Exu-

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis.

Et induens eum D. Abbas veſtibus benedictis, dicit:

Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum DEUM creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.

Tum Prælatus tradens ei in manus Regulam SS. P. Benedicti, dicat.

Ecce Lex, ſub qua militare vis, vide, ut non ſolum auditor, verùm etiam factor illius eſſe poſſis.

His peractis, ſurgens Prælatus, depoſita Mitra, proſequitur.

℣. Dominus vobiſcum ℟. Et cum ſpiritu tuo

OREMUS

DEUS miſericors, DEUS clemens, cui cuncta bona placent, ſine quo nihil boni inchoatur, nihilque boni perficitur, adſint noſtris humillimis præcibus tuæ pietatis aures; & hunc ſamulum tuum, cui in tuo Sancto Nomine, ſacræ noſtræ Religionis Habitum impoſuimus, à mundi impedimento, & ſæculari deſiderio defende; & concede ei: ut in hoc ſancto propoſito devotus perſiſtere, & remiſſione peccatorum percepta, ad Electorum tuorum valeat pervenire conſortium. Per Chriſtum Dominum noſtrum, ℟. Amen.

O-

OREMUS

OMnipotens ſempiterne DEUS miſerere huic famulo tuo, & dirige eum ſecundùm clementiam in viam ſalutis æternæ; ut, te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum, ℟. Amen.

OREMUS

DEUS qui non vis Mortem peccatoris, ſed per pænitentiam, & emendationem vitam ſemper inquiris, te ſupplices deprecamur; ut huic famulo tuo, ſæcularibus actibus renuntianti, largè tuæ pietatis gratiam infundere digneris: quatenus caſtris tuis inſertus, ita, tibi militando, ſtatum vitæ præſentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis, te donante, percipiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum, ℟. Amen.

Deinde Prælatus benedicit Neo-Profeſſum, in ſolita forma, dicens:

BENEDICTIO DEI OMNIPOTENTIS, PATRIS, ✝ & FILII, ✝ & SPIRITUS ✝ SANCTI, DESCENDAT SUPER TE, & MANEAT SEMPER. ℟. Amen.

Et aqua benedicta eundem aſpergit. Ille autem Neo-Profeſſus Frater accepta benedictione, oſculetur pedes D. Abbatis, & poſtea à Magiſtro Novitiorum reducatur ab Altari, ut ſe præparet ad ſacram Communionem, quam ſumet ſub Miſſa, vel D. Abbatis, vel P. Prioris, cui etiam aſſiſtet. Finita Miſſa gratias agit tam D. Abbati, quam ſuperioribus, aliiſque PP. & FF. de Communitate, quorum etiam precibus humiliter ſe commendabit.

CAPUT VII.

Modus ſolemniter denuò profitendi, poſt exactos L. Annos, à prima Profeſſione.

S*I quis Monachus Congregationis noſtræ Benedictino-Polonæ* in-

in ſacra Religione, à prima Profeſſione Quinquaginta annos ex pleverit, renovabit eam Solemniter, propter lucrandas Indulgentias à Paulo V. Pont. Max. conceſſas; Hæc autem renovatio erit in modo ſequenti:

Die aliquo feſtivo ſolemni, quando D. Abbas Pontificaliter Miſſam Celebrabit, facta oblatorum incenſatione, ac Altaris, ante lotionem manuum, D. Abbas in cornu Evangelii, ad Altare ſedet cum Mitra; Pater verò Senior Profitens Cuculatus, deducentibus PP. Priore, & Subpriore totaq; Ven. Communitate comitante, ac ex utraq; graduum Altaris parte quaſi Chorum efformante, accedit, & in infimo gradu genuflectit Et D. *Abbas depoſita Mitra ſurgit, deſcendit ad 2. gradum, & omnibus genuflexis, ipſe adhuc ſtans inchoat Hymnum:*

Veni Creator Spiritus.

Et ſtatim D Abbas genuflectit. Prædictum Hymnum Chorus, alternis ſtrophis cum pulſu Organi proſequatur, & eo finito D. Abbas ſtans verſus Altare, ſine Mitra, canit ſequentia:

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

DEUS qui corda fidelium Spiritus illuſtratione docuiſti; da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adiuvando proſequere, ut cuncta noſtra Oratio, & ope-

ra

ratio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc D. Abbas sedet cum Mitra ad cornu Evangelii, P verò senior Profitens erectus in medio plani, ante infimum Altaris gradum, expansis brachiis, & oculis in Cœlum sublatis canit ℣. Suscipe me Domine, secundum eloquium tuum & vivam:* *& statim, iunctis ante pectus manibus, addit genuflexus.* Et non confundas me ab expectatione mea.

Quod in eodem loco 2da & 3tia vice facit, voce aliquantulum semper elatiori, Choro eundem ℣. repetente etiam trina vice, addendo ultimato ℣ Gloria Patri &c. *ut supra in actu imæ Professionis, excepto eo, quod ℣.* suscepimus DEUS &c. *non additur.*

His peractis P. Senior legit schedam Professionis, stando, modo & forma, quibus supra in actu primæ Profess. c. 4. Et in fine osculato signo ✝ iam ante in scheda expresso accedit ad Altare ponit dictam schedam in cornu Epistolæ, ibiq; remanet stans, facie ad D. Abbatem versa. Mox Prælatus surgit, & remota mitra, stans in medio versus Altare inchoat Ambrosianum: Te Deum laudamus. *P. Senior quoq; consistit in eodem latere Epistolæ ad tabulam Altaris, facie ad dictum Altare versa, Prædictus Hymnus à Communitate inter organi applausum in cantu continuatur; Eo finito, Profitens ante medium Altaris in suppedaneo genuflectit, & D. Abbas stans sine mitra, ad cornu Evangelii, super ipsum decantat sequentes ℣℣. & Orationes:*

Kyrie eleison Chryste eleison Kyrie eleison.
Pater noster &c: secreto usque ad:
℣ Et ne nos inducas in tentationem.
℟ Sed libera nos à malo.

℣.

℣ Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu.
℟ Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
℣ Manda Deus virtuti tuæ,
℟ Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℣ Salvum fac ſervum tuum.
℟ Deus meus ſperantem in te.
℣ Eſto ei Domine turris fortitudinis,
℟ A facie inimici.
℣ Nihil proficiat inimicus in eo,
℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere ei
℣ Ora pro nobis ſancte Pater Benedicte.
℟ Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
℣ Domine exaudi orationem meam. ℟ Et clamor &c:
℣ Dominus vobiſcum. ℟ Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS

DEus, cuius miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus, piiſſimæ majeſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus: tuam ſemper Clementiam exorantes, ut qui petentibus poſtulata concedis, eosdem non deſerens ad præmia futura diſponas.

Deus miſericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, ſine quo nihil boni inchoatur, nihilque boni perficitur; ad-

ſint noſtris humillimis precibus tuæ pietatis aures, & concede huic famulo tuo, qui poſt quinquaginta annos in ſua Religione exactos, ſecundam Profeſſionem deponit, ut in hoc ſancto propoſito devotus perſiſtat, & remiſſione peccatorum percepta, ad Electorum tuorum valeat pervenire conſortium.

Interceſſio nos, quæſumus Domine Beati Patris Benedicti Abbatis commendet; ut quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

His peractis. D. Abbas accepta Mitra, P. Seniori, in cornu Epiſtolæ denuo conſiſtenti dabit oſculum Pacis dicendo: Pax tecum. *Illo reſpondenti:* Et cum Spiritu tuo. *Quod ſimiliter imprimis quidem Miniſtri ſacri, poſtea P. Prior & omnes de Communitate per ordinem Patres accedentes facient, D. Abbate interea ſedente, Finita pace Prælatus erectus pergit in ſolemni Officio; P. Senior autem P. P. Priore, & Subpriore comitantibus vadit in ſacriſtiam, ubi exutus Cucullo, lavat manus, & Capit Sacerdotalia paramenta ad celebrandam Miſſam; ad quam P. Seniori unus ex Patribus aſſiſtere tenetur, & Altare, ad quod P. Senior celebraturus eſt, pro hoc actu, ſolito, decentiùs ornari debet.*

CAPUT VIII.

Modus solemniter quotannis renovandi Professionem.

CUm iuxta præscriptum Constitutiónum Congregationis nostræ P. 11. c. 5. omnes admonemur, ut singulis Annis Die 11. mensis Julii, in solemni Commemoratione SS. P. Benedicti, faciamus solemnem votorum renovationem; iustum est, ut non nude eam peragamus, sed cum maiori solemnitate ad normam aliarum Congregationum, præsertim Bavaricæ, servemusq; insuper solitum nostræ Cogregationis, ne aut aliquid novum a nobis sit præscriptum, aut antiquum non receptum resuscitatum videatur.

Die itaq; XI. mensis Julii sub tempus Missæ Conventualis, scilicet summæ Missæ, & non Maturæ, celebratæ ab aliquo ex superioribus, vel senioribus Patribus, & non omnino à D. Abbate, facta oblatorum, & Altaris incensatione, ante lotionem Manuum, omnes Religiosi cum Cereis accensis ante Altare genuflectunt. Celebrans descendit cum Ministris sacris ad 2. Altaris gradum, & in suppedaneo genuflectens, inchoat, vel in Cantu, vel etiam in plana recitatione (prout superioribus placebit) Hymnum: Veni Creator Spiritus, &c.

Quem omnes alternatim prosequuntur, & hoc finito, Celebrans dicit, cæteris respondentibus

℣ Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

℟ Et renovabis faciem terræ

℣ Dominus vobiscum. ℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, qui corda fidelium sancti Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in

eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra Oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cæpta finiatur.

Excita Domine, in Eccleſia tua Spiritum, cui Beatus Pater Benedictus Abbas ſervivit; ut eodem nos repleti, ſtudeamus amare quod amavit, & opere exercere quod docuit. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

Et ſtatim renovabunt omnes Profeſſionem, ſimul dicendo paulatim cum pauſa, & non poſt Celebrantem, ſequentem Orationem:

GRatias tibi ago Domine JESU Chriſte, pro gratia illa ſingulari, qua me viliſſimum peccatorem de hoc ſæculo nequam eduxiſti, & in hoc religioſiſſimo Ordine ad ſolemnem Profeſſionem admi-

misisti. Doleo ex toto corde; quod gratiæ huic non satis responderim, & tanto beneficio fuerim ingratus. Detestor omnes negligentias, in hoc statu commissas, & quod tam parum ad eius perfectionem adspiraverim. Jgnosce mihi Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, & da: ut vel nunc tandem tuâ gratiâ incipiam, quod equidem ex animo cupio, & propono. Quod si me votis tuæ Majestati necdum obstrinxissem, nunc sanè id facerem, ideoque quanta devotione possum, illa nunc renovo, & novo fervore tibi promitto: Stabilitatem, Conversionem morum meorum, & Obedientiam secundum Regulam sanctissimi Patris Benedicti. Verumtamen, quia ad hæc implenda me nimis tepidum, & infirmũ agnosco, rogo te misericordissime JESU, ut qui dedisti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exequendi facultatem: meque ita dirigas, ut non mihi,

hi, ſed tibi ſoli vivam, omnesque Ordinis obſervantias, & quidquid animæ meæ perfectionem promovere poſſi-, ſummo ſtudio amplectar, ad gloriam Nominis tui qui es DEUS benedictus in ſæcula. Amen.

Finita prædicta oratione, Celebrans ſurgit & incheat Hymnum in plano, vel in Cantu:

Te Deum laudamus. &c.

Quem Chorus erectus proſequitur, uſque ad ℣. Æterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari, *Et ſtatim omnibus genuflexis Celebrans ſuperaddat.*

℣. Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu,

℟ Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

℣. Manda Deus virtuti tuæ,

℟ Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℣. Salvos fac ſervos tuos.

℟ Deus meus ſperantes in te.

℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.

℟ A

℟ A facie inimici.
℣ Nihil proficiat inimicus in nobis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis
℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto,
℟ Et de Sion tuere nos
℣. Post partum Virgo inviolata permansisti,
℟ Dei Genitrix intercede pro nobis.
℣. Ora pro nobis Sancte Pater Benedicte.
℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor: &c ℣ Dominus vobiscum.
℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Maiestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper Clemen-

mentiam exorantes; ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas.

DEus, qui nos à sæculi vanitate conversos ad bravium supernæ vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, quâ in te perseveremus, infunde; ut protectionis tuæ muniti præsidiis, quod te donante devotè promisimus, impleamus, & nostræ Professionis executores effecti, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humanæ fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice quæsumus super nos famulos tuos, & larga benedictionis abundantia infirmitatem nostrã roborare digneris; ut promissa vota, quæ præveniendo aspirasti, per auxilium gratiæ tuæ, sanctè, piè, ac Religiosè vivendo, valeamus vigilanter observare, & observando vitam promereri sempiternam. Con-

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere; & gloriosa beatæ MARIÆ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

Intercessio, nos quæsumus Domine, beati Patris Benedicti Abbatis commendet: ut, quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per Christum Dominum nostrũ. ℟ Amen.

His finitis Celebrans accedit ad Altare, lavat manus, & prosequitur Missam, omnes verò Religiosi extinctis Cereis, revertuntur ad sedilia sua in Chorum, ibiq; permanent ad finem ejusdem Missæ. Absentes verò justis de causis, consuetam tantum solam dicant Orationem. Gratias tibi ago Domine JESU Christe &c: *genuflexi ante aliquod Altare, vel in quocunque loco.*

Caput IX

Modus formalizandi Lectores Philosophiæ, vel Theologiæ, aut Licentiatos.

Consummato cursu S. Theologiæ, Patres studentes, in Congregatione nostra, ad gradum Lectoratus judicio suorum Professorum sufficientes, V V. suarum Communitatum recommendatione digni, & per Congressum D. D. Prælatorum apti inventi inventi fuerint, præsentes in Capitulo Generali, ab Ill. D. Præsidente Definitorii formalizabuntur, hoc modo:

De-

Declarati à Congressu Prælatorum ad formalizandum bini & bini accedent, aut etiam omnes genuflexi ante Ill. D. Præsidem, simul Emittent Professionem Fidei, ad quam cæteri præsentes, etiam DD. Abbates stabunt, usq; ad illa verba: Apostolicas, & Ecclesiasticas Traditiones &c: *exclusivè.*

Forma Professionis Fidei

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Ecclesia Romana utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum JESUM Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis. Et Incarnatus est de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine, ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.

Con-

Confiteor unum Baptiſma, in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas Traditiones, reliquasque eiuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Jtem Sacram ſcripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum ſcripturarum admitto, nec eam unquam, niſi iuxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe verè & propriè ſacramenta novæ Legis, à JESU Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet: Baptiſmū, Confirmationem, Euchariſtiam, Pænitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre. Ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio iterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato Originali & Juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, Amplector, & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis: atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanqvinem unâ cum anima, & Divinitate Domini noſtri JESU Chriſti, fierique converſationem totius ſub-

ſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiationem apellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animasque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari; ſimiliter & Sanctos, una cum Chriſto regnantes, venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque Orationes Deo pro nobis Offerre; atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero Jmagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Jndulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omniũ Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac JESU Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, acjuro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, & præcipuè à Sacroſancta Synodo Tridentina tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atqe Hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio. & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè, Deo acjuvan-

te retinere, & confiteri, atque à meis fubditis, feu illis, quorum cura ad me, in munere meo fpectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit curaturum.

Hic bini, & bini formalizandi accedunt ad Librum & pofitis duobus digitis dextræ manus, fcilicet indice, & medio, fuper textu Evangelii S. Joannis, unusquiq; dicit

Ego N. idem fpondeo, voveo, ac juro, fic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

His dictis, unusquisq; ofculabitur initium textûs Evangelii, dicti S. Joannis, & manebunt genuflexi. Et Ill. D. Præfidens confiftentibus cæteris, ftans aperto capite, admittit formalizando ad omnia privilegia in fequenti forma.

Ego N. Abbas Monafterii N. Capituli Generalis Congregationis Benedictino Polonæ Definitor Præfidens, Authoritate facræ fedis Apoftolicæ, cuius vice hac in parte fungor, fecundùm Conftitutiones fummorum Pontificum, præfertim felicis recordationis Clementis XI. ac Benedicti XIII. in ordine ad graduationes Lectorum, five Profefforum inftituendas pro Congregatione noftra Benedictino Polona editas, Creo, & inftituo te (*vos*) Lectorem (*Lectores*) Philofophiæ (*Theologiæ*) vel (*Sacrorum Canonum*) ac admitto te (*vos*) ad Privilegia Lectorum, five Profefforum, onerando confcientiam tuam (*Veftram*) ut potiffimùm Doctrinam Divi Thomæ Aquinatis Angelici Doctoris, juxta normam aliarum Congregationum, & Univerfitatum Ordinis noftri Benedictini, ac ex præfcripto Conftitutionum fequaris (*fequamini*) in docendo Jn Nomine Pa✝tris, & Fi-

& Fi✝lii, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Pariter procedendum erit in institutione Sæ Theologiæ Licentiatorum, ipsi enim emissa professione Fidei, instituentur per prædictam formam, mutatis, mutandis, videlicet. 1. In Ordine ad graduationes Licentiatorum &c. 2. Creo, & instituo te sacræ Thæologiæ Licentiatum, seu Præsentatum, *ac* admitto te ad Privilegia sacræ Theologiæ Baccalaureorum, &c.

Si autem D. Abbas ex Commissione Definitorii talem actum in suo Monasterio perfecerit, tunc in facie totius Communitatis prædicta exequitur, in ipsa vero forma institutionis sic dicit:

Ego N. Abbas Monasterii N. ex commissione Reverendissimi Definitorii Capituli Generalis, authoritate sacræ sædis Apostolicæ, cujus vice hac in parte fungor &c. *ut supra prosequatur.*

CAPUT X.

Modus investituræ Sacræ Thæologiæ Doctorum.

Post emensum laborem scholasticum, si quis Religiosus Congr: nostræ in ante S. Theol. Licentiatus à Capitulo Generali declaratus, ad Lauream Doctoralem promovendus est, sequens forma investituræ ejus cum omni solemnitate servari debet, ad normam usitatæ praxis in Ord: Predicat. Cum enim Constitutiones Congr: Nostræ P. I. c. 16. præcipiunt sequi sententiam, & doctrinã Doctoris Angelici; in Laurea quoque Doctorali publice recipienda, laborantes Professores gaudeant solemnitate pariter Thomistica.

Itaque in Capitulo Generali (quod maxime conveniret) absolutâ scholasticâ, publicâ disputatione, in eodem loco, unus, ex Professoribus Philosophiæ, seu S. Theologiæ habeat (necesse est) brevem Panegyrim in laudem S. Theologiæ, simul & Doctorandi.

Hæc

Hac finita Jll. D. Præſidens Definitorii, ſeu Capituli Generalis, accedet ad ſedem ſibi paratam propè Cathedram, ibique tegit Caput Birreto, & ſedens expectat Promovendum. Qui accedens ad Jll. D. Præſidentem, genuflectit coram eo: à quo interrogatus: Quid petis? *respondet humiliter.* Peto promoveri ad gradum Doctoratûs & Magiſterii S. Theologiæ, *Tum Jll: D. Præſidens quærit ex Promovendo:* Promittis tenere, ſervare, docere, & defendere doctrinam ſanam, & Catholicam, juxta determinationem ſanctæ Matris Eccleſiæ Catholico-Romanæ? *reſpondeat Doctorandus:* Promitto, & ſpondeo in hac forma: *& mox emittit Profeſſionem Fidei juxta Bullam PII. IV.* Ego N. firma fide credo, & profiteor. &c: *ut ſupra Cap: præc: exarata eſt; Finita Profeſſione Fidei legit Promotus Doctor Jnitium Evangelii S. Joannis:* Jn principio erat verbum &c: *usque ad ea Verba incluſivè* plenum gratiæ & veritatis, *manetque genuflexus.*

Et Jll. D. Præſidens Defin: ſedendo dicit:

Quoniam Sapientiam vocaſti amicam, & amator factus es formæ illius, quæſiviſti eam tibi Sponſám aſſumere; ecce Deus dat tibi eam ſponſam, ut ſemper tecum ſit, & cor tuum poſſideat. Jn ſignū ergo: *Mox*

imponit Annulum digito ejus Annulari dextero, dicens:

Accipe Annulum in manu tua; & Ego N. Abbas Monaſterii N. Capituli Generalis Definitor, & Præſidens. Authoritate ſacræ ſedis Apoſtolicæ cujus vice hac in parte fungor, inſtituo, Creo, & inveſtio Te Doctorem, & Magiſtrum in ſacra Theologia, deque

tibi

tibi poteſtatem, & facultatem publicè legendi docendi, interpretandi, exponendi, & declarandi ſacram Theologiam. Jn nomine Pa✝tris, & Fi✝lii, & Spiritus ✝ Sancti. Amen.

Deinde tradit ei Librum dicens.

Accipe Librum, qui mutus Magiſter eſt, lege ergo, & ſcrutare ſcripturas, etenim omnis ſcriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in Juſtitia. *Poſtea imponit Capiti ejus Birretum dicens:*

Accipe Birretum nigrum inſigne Magiſterii: ſic ornet te Deus coronâ gloriæ. *Tandem elevet eum, & dans ei oſculum dicat:*

Ecce Odor Filii mei, ſicut odor agri pleni, creſcere te faciat Dominus in millibus, & benedicat tibi in ſæcula ſæculorum. Amen

Denique ducat eum ad Cathedram, (quæ proxima ſedi Jll. D. Præſidentis eſſe debet) & faciat eum ſedere dicens:

Promoveo te ad gradum Magiſterii ſacræ Theologiæ, annumerans te conſortio Doctorum, & Magiſtrorum dictæ facultatis; Jta collocet, & ſedere te faciat Dominus cum Principibus, ut ſolium gloriæ teneas.

His peractis Jll. D. Præſidens ſedet in ſede ſua, & Neo-Doctor pariter ſedens in Cathedra, capite Birretò cooperto, ſuadâ oratoriâ gratias refert 1. Jll. D. Præſidi Lauream conferenti pro gratia ſibi præſtita. 2. Diſtinctioribus Perſonis pro ſui promotione, 3. Cæteris in communi Doctoribus, tanquam Collegis, pro ſui in gremium annumeratione; Demum præſentibus

bus Hospitibus, & Domesticis Professoribus, ac aliis Religiosis, pro speciali hujus actûs testificatione. Et jam omnes recedunt in pace.

Si autem promotus ad Doctoratum non fuerit præsens in Capitulo Generali; actus investituræ ordinarie committitur D. Abbati illius Monasterii, in quo ille manet; Ideoque curandum est, ut hic actus fiat publicè, & non privatim, ut exinde exteri agnoscant honorari Virum sapientem, & domestici animum sumant ad excolendum suum ingenium in opere scholastico: Unde præmissa disputatione publicâ (si fieri potest) aliàs Oratione Panegyrica in laudem sacræ Theologiæ, omnia ut supra peraguntur, excepto eo, quod in traditione Annuli sic D. Abbas dicat:

Accipe Annulum in manu tua, & Ego N. Abbas Monasterii N. ex commissione Reverendissimi Definitorii Capituli Generalis N. Authoritate sacræ Sedis Apostolicæ, cuius vice hac in parte fungor, instituo, creo, ac investio Te Doctorem, & Magistrum in sacrâ Theologia, doque tibi potestatem, & facultatem publice legendi, docendi, interpretandi, exponendi, & declarandi sacram Theologiam. In nomine Pa ✝ tris & Fi ✝ lii, & Spiritus ✝ Sancti. Amen. *cætera peraguntur ut supra declarata sunt:*

Caput XI.

Modus confirmandi Priorem post eius electionem

Finitâ, & promulgatâ electione Prioris, cæterorumque Officialium, surgunt omnes de Capitulo;✝ & ad Ecclesiam se conferunt, comitante eos D. Abbate induto Pluviali, cum Mitra, & Pedo concinentes Ambrosianum Hymnum: ✝ fit Institutio Prioris Neo-Electi j. formam in Supplemento ad calcem hujus Cæremonialis.

Te Deum laudamus. &c:

Venientes ad Ecclesiam Religiosi, consistunt, duas rectas lineas effi-

efficiendo, continuantes Hymnum: pulſante interim Organo, ac Campanis. Et novus P. Prior indutus ſuperpelliceo, Stolâ, & Pluviali, incedensq; ante D. Abbatem, ut pervenerit ante majus Altare, procumbit ſuper tapete, ac ſe extenſis manibus proſternit. D. Abbas accedit ad faldistorium ſibi paratum, ante quod conſiſtit cum Mitra, & Baculo. Finito Hymno D. Abbas depoſitâ Mitrâ, & reddito pedo, in loco ſuo ſtans dicit:

℣ Salvum fac ſervum tuum.
℟ Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei auxilium de Sancto.
℟ Et de ſion tuere eum. ℣ Domine exaudi &c:
℟ Et clamor meus &c: ℣. Dominus vobiſcum.
℟ Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

TUam clementiam, Pater omnipotens, ſupplices deprecamur; ut infundere digneris ſuper hunc famulum tuum, quem Tuo, ſervorumque tuorum ſervitio mancipamus, Spiritum ſapientiæ, intellectûs, & diſcretionis: dona ei in hac domo tua ita agere, & iniunctum ſibi Officium ita adminiſtrare, ut & tibi placere valeat, & utilitatem ſervorum tuorum Te auxiliante perfectiſſimè expleat; propter quod, & hic, & in futuro ſæculo mercedem labo-

borum ſuorũ, in Conſortio ſanctorum tuorum á te piiſſimo largitore percipiat.

Porrige Domine, huic famulo tuo-electo, & à nobis conſtituto Priori dexteram tuam, per interceſſionem beatiſſimæ, & gloriosæ Virginis MARIÆ, & auxilum ei ſupernæ virtutis impende.

Jnterceſſio nos, quæſums Domine, beati Patris Benedicti Abbatis commendet; ut quod noſtris meritis non valemus; eius patrocinio aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

His dictis ſurgat electus P. Prior, & factâ profundâ D. Abbati in Sacriſtiam recedenti reverentiâ, accedit ad ſedem paratam in Choro, ibique ſedet, & accedentes omnes Religioſos ad faciendam recognitionem, amplectitur in oſculo pacis: Jta declarat debere fieri Bernardus Cluniacen: Cap 32. 56. & 62. ac P. Calmet in Coment. Reg: ſuper cap. 65.

Caput XII.

Modus inveſtituræ D. Abbatis Quinquennalis poſt eius electionem.

QUando aliquis Religioſus, præmiſſis, præmittendis, omnibus ſolemnitatibus, canonicè in Abbatem fuerit electus, imprimis requirendus eſt: An eidem electioni taliter de ſe factæ aſ-

ſentiat? Et licet per religioſam modeſtiam & humilitatem recuſet tantum onus ſuſcipere: confidendo tamen Divinæ Dexteræ adjuvant, & obediendo Deo vocanti. Confratrum ſuorum acceptet vota, dictæque Electioni annuat. Quo facto accedat ad medium, & conſtitutus ante Jll. D. Præſidentem Generalem,: ſi in Quinquennalem Abbatem electus eſt, primario emittat Profeſſionem fidei ſtando, in ea forma quæ ſupra cap. 9 exarata, & per Bullam Pii IV. P. M. præcepta eſt. Et dum ad finem hujus Profeſſionis fidei exprimit hæc verba: Ego N. idem ſpondeo &c: *appoſitâ manu dexterâ ad textum Evangelii S. Joannis, eadem proferat. Tum ſuper pacta conventa, ſibi à Communitate porrecta, juret in forma ſequenti:*

Ego N. electus Abbas Monaſterii N. omnia hæc pacta conventa, ſive puncta cum omnibus ſuis clauſulis, conditionibus, & ligaminibus mihi in aſſecutione Abbatiæ præſentis N. à præfato Monaſterio ad manutenendum porrecta, ſervaturum me appromitto, & ſuper ea inviolabiliter à me obſervanda, ſine ulla mentis reſtrictione ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

Si electus ſit in Abbatem illius Monaſterii, cujus Abbatia eſt taxata in Urbe, tunc facto tantum juramento ſuper pactis conventis, remittatur ad Sacram ſedem Apoſtolicam pro obtinenda Bulla in ordine ad benedictionem.

Quia verò Abbates Quinquennales non benedicuntur, ſed electi, per confirmationem Jll: D. Præſidentis Generalis gaudent omnibus, quibus benedicti Abbates, privilegiis, juxta tenorem Conſti: Congre: noſtræ P. 11. cap: 1 à Clemente XI. P. M approbatarum, hinc Jll: D. Præſidens Congregationis, acceptâ M.trâ & Pedô, indutus ſupra Rochettum ſtola & Pluviali, eundem electum Abbatem inveſtiet inſignibus Abbatialibus, in hunc modum.

Jmprimis Neo-electo Abbati genuflexo porriget Regulam ſacram dicendo:

Accipe Regulam à Sancto Patre Benedicto conscriptam ad regendum, custodiendumque Gregem tibi à DEO creditum, quantum DEUS ipse te confortaverit, & fragilitas humana permiserit. Accipe Gregis Dominici paternam providentiam, & animarum procurationem: & per Divinæ legis incedendo præcepta, sis ei dux ad cælestis hæreditatis pascua; adjuvante Domino nostro JESU Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat DEUS in sæcula sæculorum, ℟. Amen.

Deinde imponendo ei Crucem pectoralem, dicat:

Accipe Crucem pectoralem Sanctorum Reliquiis refertam, ut sicut illam ante pectus tenebis, sic semper mente retineas & memoriam Passionis Christi, & Sanctorum victorias Martyrum.

Tum dexteræ manus, digito annulari imponendo annulum, dicat:

Accipe annulum, fidei scilicet signaculum; quatenus sponsam DEI sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibatè custodias.

His peractis ornetur Neo-electus Abbas Rochetto, stolâ, & Pluviali albi Col: & inchoato Hymno Ambrosiano, præcedente Cruce, omnes Religiosi processionaliter incedunt ad Ecclesiam, quos subsequitur Neo electus Abbas, adhuc cum birreto, & post eum Rmus D. Præsidens Generalis cum Mitra, & baculo Pastorali. Venientes itaque ad Ecclesiam consistunt omnes in ordine suo, efformantes duas lineas rectas ab Altari majori, Jll: D. Præsidens Congr: in sede parata stans permanebit: Neo-electus verò Abbas prosternit se super tapete extensum ante medium Altaris. Finito Hymno Jll: D. Præsidens, dimissô Pedô, & depositâ Mitrâ decantat sequentia:

Sal-

℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Hic accipiet benedictionem à Domino.
℟. Et misericordiam à Deo salutari suo.
℣. Memor esto congregationis tuæ.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.
℟. Ex hoc nunc, & usque in sæculum.
℣. Dominus custodiat te ab omni malo.
℟. Custodiat animam tuam Dominus.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, & salvi erimus.
℣. Domine exaudi &c: ℟. Et clamor meus &c:
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

COncede, quæsumus Omnipotens Deus, affectui nostro tuæ miserationis effectum; & hunc famulum tuum, quem ad regimen animarum eligimūs, gratiæ tuæ dono prosequere; ut, te largiente, cum ipsa nostra electione tibi placeamus.

Deus, cui omnis potestas, & dignitas famulatur: da huic famulo tuo prosperum

suæ

ſuæ dignitatis effectum, in qua ſemper te timeat, tibique jugiter placere contendat.

Omnium, Domine, fons bonorum, juſtorumque provectuum munerator, tribue quæſumus huic famulo tuo, adeptam bene gerere dignitatem: & à te ſibi præſtitam bonis operibus comprobare.

Exaudi Domine, preces noſtras, quas in conſpectu tuæ majeſtatis, ſuper hunc famulum tuum fundimus, qui vice tui nominis ad gubernationem ovium tuarum ſtatuitur, ut eum reſpicere, & interveniente beato Patre Benedicto bene † dicere digneris: & qui ad redemptionem, & protectionem noſtram de cælo deſcendiſti, & mundo te verum, & ſummum Paſtorem exhibuiſti, dicens, Ego ſũ Paſtor bonus; te invocamus, te ſuppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo, quem paſtoralis Officii culmen ſubire voluiſti, tua bonitas adſit, & benedictio † omnibus diebus vitæ ſuæ. Protege

tege eum Domine, & defende ab omnibus visibilium, & invisibilium adversitatibus inimicorum; dirige gressus eius in viam pacis, & justitiæ, & largire tuarum dona virtutum; justitiam, temporantiam, fortitudinem, prudentiam, charitatem, sobrietatem, patientiam, longanimitatem, constantiam insuperabilem, fidem non fictam, spem inconcussam, mentem devotam, humilitatem perfectam, intelligentiam rectam, benignitatem, modestiam, unanimitatem, pacem, concordiam, castitatem, abstinentiam, vigilantiam, discretionem, rectititudinem, scientiam, pietatem, consilium, & in cunctis actibus bonis inviolatam perseverantiam. Aufer, Dominine JESU Christe, ab eo quidquid pravum, & distortum est, quidquid saluti contrarium, quidquid animæ nocivum; Superbiam, jactantiam, vanam gloriam, elationem, & quidquid ad ultimum tibi disciplicens

esse

esse potest. Circumda eum interius, & exteriùs tuæ protectionis auxilio, ut, te defensore, sit tutus; te protegente, securus; te docente, scius. Ostende ei viam, per quam ambulet, tribue ei thesaurum sapientiæ, ut sciat, & habeat, unde nova, & vetera proferat. Fac eum in omnibus tua sequi vestigia, & de sua ministratione gaudium bonum adipisci; ut post hujus sæculi excursum, cum ante tribunal tuum venerit, cum multiplici fructu animarum, illud ei præmium largiaris, cum omnibus, quos tibi præsentabit, quod fidelibus desponsatoribus tuis, pro tuo nomine laborantibus in terris, te promisisti daturum esse in Cælis. Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟ Amen.

His dictis, Neo-electus erigit se, & accedit ad Ill: D. Præsidem Generalem, qui sedens cum Mitra, accipit aliam Mitram à ministris, eamque imponit capiti Neo-electi Abbatis genuflexi dicens:

Imponimus Domine, capiti hujus famuli tui Abbatis galeam munitionis, & salutis, quatenus decora-

ta facie, & armato capite cornibus utriusque Testamenti terribilis appareat adversariis veritatis; & te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat; qui Moysi famuli tui faciem, ex tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti, & capiti Aaron Pontificis tui tiaram imponi jussisti. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde tradit Baculum pastoralem eidem adhuc genuflexo, ambabus manibus illum capienti, dicens:

Accipe baculum pastoralis officii, quem præferas catervæ tibi commissæ: ut sis in corrigendis vitiis piè sæviens; & cum iratus fueris, misericordiæ memor eris.

Tum Jll. D. Præsidens ducens Neo-electum ad sedem prædecessoris sui, statuensque eum in dicto loco cum Mitra & baculo, dicit:

Accipe plenam, & liberam potestatem regendi hoc Monasterium, & congregationem ejus & omnia quæ ad illius regimen interius, & exterius, spiritualiter, & temporaliter pertinere noscuntur.

Si vero hæc investitura fit extra proprium Monasterium, cui Neo-electus præficitur, tunc Jll. D. Præsidens Generalis statuit illum in faldistorio, quo ipse usus est, dicens:

Sta in justitia, & sanctitate, & tene locum à Deo tibi delegatũ; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.

Quod si hæc investitura fuerit in proprio Monasterio, tunc Neo-electus Abbas constitutus in sede prædecessoris sui ter dicit: cum omni tamen gravitate, & repausatione:

Protestor de pacifica possessione.

Denique recedente Jll. D. Præside in Sacristiam ad deponenda Sacra Paramenta, Neo electus Abbas in proprio Monasterio

investitus, dabit solemnem benedictionem eo modo quo supra P. IV c. 10 declaratum est, incipiens à ℣. Sit nomen Domini &c: *ad ultimum, recipiet omnes, venientes cū recognitione, ad osculū pacis.*

CAPUT XIII.

Modus excipiendi D. Abbatem in obtinenda possessione.

E*Lectus D. Abbas alicujus Monasterii, postquam, obtenta expeditione Romana, ab aliquo Antistite fuerit benedictus, ad Monasterium suum quam primum accedet, ut obtineat iurisdictionem; ideoq: determinato die, matutino, vel pomeridiano tempore ad residentiam Abbatialem accedet: Et tunc in Ecclesiam Monasterii ante Altare majus præparabitur genuflexorium, panno aliquo pretioso coopertum; Altare etiam majus festivius solitò adornetur, omnes verò Religiosi Cucullis induti, præcedente Cruce, & subsequente eos aliquo Officiante delegato, superpelliceo, stola, & Pluviali induto, procedent ad residentiam D. Abbatis. Hic indutus Pontificalibus paramentis, videlicet: Rochetto, Cruce pectorali, stolâ, Pluviali, & Mitra ornatus, ac Pedo suffultus, subsequitur omnes. Interim inchoatur Hymnus* Te Deum laudamus. *quem omnes decantando, procedunt debito ordine processionaliter ad Ecclesiam, & ut pervenerint ad templum, ita, ut ipse D. Abbas sit in porta Ecclesiæ, subsistunt aliquantulum omnes, nec tamen cessant à cantu Hymni Ambrosiani; interim Officians delegatus porrigit D. Abbati in porta Crucem, vel aliquod instrumentum pacis cum SS. reliquiis ad osculum, deinde porrigit eidem etiam aspergillum cum aqua benedicta, non intermissis debitis osculis aspersorii, & manus D. Abbatis. Qui sumpto aspergillo primò seipsum, tum Offiantem, postea omnes Religiosos aspergit: Reddito aspersorio procedit cum omnibus ad Altare, ubi reddito baculo pastorali, super genuflexorio parato ante infimum gradum procumbit, & orat. Finito Hymno Officians ascen- dit*

dit ad Altare, illud in medio osculatur & recedit ad cornu Epistolæ, ibi conversus erga D. Abbatem procumbentem in genuflexorio cantat.

℣ Exultent eum in Ecclesia plebis.
℟ Et in cathedra seniorum laudent eum.
℣ Hic accipiet benedictionem à Domino,
℟ Et misericordiam à Deo salutari suo.
℣ Memor esto congregationis tuæ,
℟ Quam possedisti ab initio.
℣ Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.
℟ Ex hoc nunc, & usque in sæculum.
℣ Dominus custodiat te ab omni malo,
℟ Custodiat animam tuam Dominus.
℣ Domine Deus virtutum converte nos,
℟ Et ostende faciem tuam, & Salvi erimus.
℣ Domine exaudi &c: ℟ Et clamor meus &c:
℣ Dominus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus qui facis mirabilia magna solus, prætende super hunc famulum tuum, & omnem congregationem illi commissam, Spiritum gratiæ salutaris: & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Cunctorum bonorum institutor Deus, qui

qui per Moysen famulum tuum ad gubernandas Ecclesias præpositos instituisti: tibi supplices fundimus preces, téque devotis mentibus exoramus; ut hunc famulum tuum, quem communis electio famulorum tuorum, auxilio gratiæ tuæ Abbatem ovium tuarum esse constituit, clementer respicere, & protectionis tuæ gratiâ munire digneris; sicque regere subditas, commendatasque oves concedas, ut cum illis omnibus regna cælorum adipiscatur, quatenus te, Domine, opitulante, Apostolicis jugiter fultus doctrinis, centesimo cum fructu lætus introeat portas paradisi; atque à te, Domine, collaudante audire mereatur: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui: Quod ipse præstare digneris, qui vivis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟ Amen.

His dictis surgit D. Abbas de genuflexorio, & assumptó bacu-

baculo pastorali, ascendit ad Altare, ubi facta debita Cruci reverentia parùm recedit ad cornu Epistolæ, Officiante interim transeunte ad cornu Evangelii, ibique consistente ad Altare. Ibi D. Abbas vertens aliquomodo faciem ad populum, dextera manu tangit Altare, dicens:

Protestor de pacifica possessione.

Quod cum aliqua pausa secundo, & tertio facit servatâ omni gravitate. Deinde D. Abbas demisso Pedo accedit ad medium Altaris cum Mitra, ubi solito modo incipiens à ℣ Sit nomen Domini &c. *dat solemnem benedictionem cum trina Crucis productione, ut supra P. IV. c. 10. dictum est.*

His peractis D. Abbas accedit ad sedem præparatam in cornu Epistolæ, ibi sub Mitra sedet, Officians vero ex opposito, vel ad dexteram ejus pariter sedet; & interim salutatur oratoria suadâ ab uno ex PP. Communitatis. Salutatione finita D. Abbas omnes de Communitate facientes recognitionem, recipit ad osculum pacis: Interim verò canitur à Choro Responsorium sequens:

Posui adiutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea; * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣ Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum * Manus enim. &c ℣ Gloria Patri. * Manus &c.

Finitô Responsoriô, & præstitâ obedientiâ decantantur à Choro binæ Antiphonæ: 1. De S. Patrono Ecclesiæ, & 2. de SS. P. Benedicto Sanctissime &c: *Et D. Abbas erectus depositâ Mitrâ decantat 1.* ℣. *de Patrono Ecclesiæ, 2.* ℣.

℣ Ora pro nobis Sancte Pater Benedicte. ℟ Ut &c: *Tum 1. Orationem de S. Patrono Eccl. 2. verò* Excita

Do-

Domine &c. *sub unica conclusione. Et iam debito ordine recedunt in sacristiam. ad deponenda sacra paramenta, ex qua in pace abscedunt.*

CAPUT XIV.

Modus fundandæ jurisdictionis Præsidentis Regiminis, post eius electionem in Capitulo Generali.

PRæsidente Regiminis Generali electô, unâ cum Visitatoribus duobus, Cancellario, & Depositario. à toto Cœtu Monachorum; jus, & interesse ad Capitulum Generale habentium, iuxta dispositionem Constitutionum Congr nostræ P. 1. c. 9. *vocentur omnes PP. & FF. qui in eodem resident, vel sub tempus Capituli sunt præsentes Monasterio, sicq; Cucullati ad locum Capitularem accedunt: ubi facta publicatione Præsidentis Regiminis Neo-electi P. Sacrista affert 3. Pluvialia. 3. stolas, 3. Mitras, & 1 Baculum pastoralem, ac statim novum Præsidem Generalem induit stolâ supra Rochettum, Pluviali, & Mitrâ. Pariter & alios duos Abbates ex Definitoribus, vel Senioribus, alii Religiosi ornant stola supra Rochettum, Pluviali, & Mitrâ.*

Quibus sic paratis inchoatur Hymnus: Te Deum laudamus. *& omnes bini & bini præcedente Cruce processionaliter ad Ecclesiam progrediuntur. Ill D. Præsidens Generalis Neo-electus, accepto Pedo, medius inter duos paratos DD. Abbates, seu magis præeuntes, quasi postremus incedit. Cum verò perventum fuerit ad Chorum, omnes processionaliter incedentes duas lineas rectas efformant,*

mant, faciebusque ad invicem versis consistunt, ac decantant Hymnum Ambrosianum usque ad illa verba:

Eterna fac cum Sanctis tuis in gloria numerari.

Interim Ill. D. Præsidens, dimisso baculo pastorali, in genuflexorio parato ante gradus Altaris procumbit orans, & non super terram prostratus, ob reverentiam supremæ in Congregatione dignitatis: præsertim, quia & Pontifi: Romanum *novissime à Benedicto XIV. recognitum & castigatum.* P. III. tit: 21. *in simili actu præcipit his verbis:* „ Deinde procedunt ad Altare maius, & ibi, super faldistorio ante infimum gradum Altaris parato: procumbit, & orat Prælatus. „ *Quod pariter in omnium DD. Abbatum installationibus est observandum*

DD. Abbates parati hinc, inde ad latera Ill. D. Præsidentis constituti, permanent stantes ad finem Hymni: quo finito deponunt Mitras, & dignior ex iis dicit sequentia.

℣ Salvum fac servum tuum.
℟ Deus meus sperantem in te
℣ Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟ Et de Sion tuere eum.
℣ Dominus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis Mirabilia magna solus, prætende super hunc famulum tuum Præsidentem no-

noſtrum, & super Congregationem illi commiſſam, ſpiritum gratiæ ſalutaris: & ut in virtute tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Porrige Domine huic famulo tuo Præſidenti noſtro dexteram tuam, per intercesſionem beatæ & glorioſæ ſemper Virginis MARIÆ: & auxilium ei ſupernæ virtutis impende.

Jntercesſio nos, quæſumus Domine, Beati Patris Benedicti Abbatis commendet: ut quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

His dictis Jll. D. Præſidens ſurgit, & acceptô Pedô aſcendit ad
Altare, ubi factâ debitâ Cruci reverentiâ recedit ad latus Epiſtolæ ibi-
que conſiſtit, DD. Abbatibus paratis ſtantibus hinc, inde ad latera Al-
taris cum Mitris. Et ſecretarius Definitorii ſtans ad gradus Al-
taris promulgat electionem Officialium Regiminis in forma ſequenti:

Notum ſit omnibus, & ſingulis Congregationis noſtræ Abbatibus, Prælatis, Prioribus, Præpoſitis cæteriſque Religioſis, quorum intereſt, electum eſſe in Præſiden-

tem Generalem Regiminis Reverendissimum D. NN. Abbatem Monasterii N. Anno Domini NN Die N. Mensis N. Jndictione Romana N Pontificatûs Sanctissimi Domini nostri Domini N. Divinâ Providentiâ Papæ eius nominis N. Anno ipsius N. Jn primum Visitatorem Rmum N. Jn secundum Visitatorem Rmum N. Jn secretarium Regiminis A. R Dom. N. Jn Depositarium Congregationis A R. P. N.

Finitâ publicatione electionis Jll D. Præsidens faciet protestationem de pacifica possesione, ut cap. præc. dictum est & postea dabit solemnem benedictionem, omnibus interim genuflexis, exceptis DD. Abbatibus, qui tantum ad eam se inclinant. Deinde accepto aspergillo cum Aqua lustrali, asperget omnes Religiosos procedendo per medium eorum.

His peractis accedet ad sedem paratam, ibique cum M.tra sedebit, ad cuius latera sedebunt etiam DD. Abbates parati; accedent itaque omnes per ordinem ad faciendam recognitionem; & Jll: D. Præsidens omnes humiliatos cum osculo pacis suscipiet, modulante interim organo. Præstitâ sic obedientiâ, omnes debito ordine accedent in sacristiam, Prælati deponent sacra paramenta, de cætero omnes in pace recedent.

C A P U T XV.

Quæ sub tempus Visitationis sunt agenda?

D*Enuntiató adventu Jll. D. Præsidentis Generalis,* omnes

omnes Religiosi Cucullati accedant ad portam Ecclesiæ, ibi sub Cruce ordinatè permaneant, bini, & bini consistentes: ubi adveniente Ill. D. Præsidente, omnes in loco suo constituti, profundè se inclinent, eumque venerentur; & incepto Hymno Ambrosiano omnes eundem prosequuntur, procedunt que ad Ecclesiam. Dum vero Ill. D. Præsidens advenerit ad portam Ecclesiæ, omnes consistunt, & D. Abbas. vel in absentia eius P. Prior porrigit Ill D. Præsidi aspergillum cum aqua benedicta, cum osculo aspersorii, & manus eius. Quo accepto Ill. D. Præsidens, se ipsum D. Abbatem, & cæteros Religisos in ordine suo constitutos, faciebus ad invicem conversos, & inclinatos aspergit aqua lustrali. Finita aspersione, procedit post omnes alios, usque ad gradus Altaris, ante quos, in parato genuflexorio, procumbit orans, usque ad finē Hymni Ambrosiani.

Finito Hymno inchoatur à Cantore Antiphona de S. Patrono Ecclesiæ, quâ decantatâ Ill. D. Præsidens ℣. & Orationem præparatam tempestivè de eodem Patrono Ecclesiæ decantat. Et tandem ab aliquo ex PP. Communitatis Oratorio Stylo salutatur. repositis itaquæ gratiis, ad residentiam Abb. vel Monasterium progreditur.

Eadem die, si de mane, vel in crastinum hora competenti pulsetur trina vice interrupta pro Capitulo celebrando, ubi requisitis, & denuó publicatis innotescentialibus literis, ac perlecto S. Reg cap V. de obedientia discipulorum, *nec non recommendatâ charitate fraterna in deponendis secretis scrutiniis, Ill D. Præsidens Genera-*

lis fundabit jurisdictionem suam Visitatorialem. Et statim recta ex capitulo accedet in sacristiam, ubi accipiet sacra paramenta pro celebrando Missæ sacrificio lecto. (non tamen Pontificalia) ministrantibus sex, vel Octo Religiosis, nonnullis etiam cum cereis accensis & celebrabit ad Altare illud, in quo est Tabernaculum pro asservatione SS. Sacramenti. Finitâ Missâ, & non sub Communione. P. Secretario Congr. adveniente, superpelliceo, & stolâ induto visitatur SS. Sacramentum sequenti ordine.

Imprimis omnes Religiosi tenentur audire Missam lectam Ill. D. Præsidis, quâ finitâ cum ardentibus cereis exeunt ad medium ibique genuflectunt. Et statim aperto ostiolo Tabernaculi cantor inchoat: Tantum ergo sacramentum. *Choro reliqua paulatim prosequente; Ill. D Præsidens, una cum P. Secretario, extractâ Pixide, eandem aperiunt, considerant Numerum consecratarum particularum, honestam conservationem tanti Sacramenti & statim occludunt Pixidem. Tum redeunte ad 2. Altaris gradum Ill. D. Præside, & finito Hymno, decantat:*

℣ Panem de cælo præstitisti eis.
℟ Omne delectamentum in se habentem.

OREMUS.

DEus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos Corporis, & San-

Sangvinis tui ſacra Myſteria venerari: ut redemptionis tuæ fructum in nobis ju giter ſentiamus, Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟ Amnen

Mox accedit Thuriferarius cum thuribulo, & Navicula, qua tradita ſeniori aſſiſtenti, ipſe miniſtrat thuribulum ad ponenaum incenſum: hoc impoſitò Jll. D. Præſidens genuflexus in ora ſuppedanei capit Thuribulum incenſat SS. Sacramentum, & ſurgens accedit ad Altare, ubi genuflexus accipit Pixidem cum Sacramento, & converſus ad omnes, benedicit cum eo nihil dicens, nihilque cantans modulante non niſi pro interim Organo. Data benedictione per cornu Evangelii vertit ſe ad Altare, ubi reponit Pixidem, genuflectit, & recedit ad 2. gradum, ibi genuflectit, in ora ſuppedanei, incenſat ter Sacramentum, quod ſtatim ab uno ex aſſiſtentibus aſſervatur in Tabernaculo. Et Jil. D. Præſidens deſcendens in planum ad cornu Epiſtolæ deponit Planetam, ſtolam, & Manipulum coloris convenientis, & ſtatim capit ſtolam cum Pluviali coloris nigri, vel ad ſummum obſcuri violacei. His indutus, & Mitrâ ornatus, cum cæteris Religioſis procedit ad lapidem ſepulchri fratrum, inchoando Antiph:

Si iniquitates. *& Pſalm.* De profundis clamavi &c. *alternatim ab omnibus recitatur cum* ℣. Requiem æternam &c: *& iam ad oram ſepulchri conſiſtentes repetunt Antiphonam:* Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit.

Deinde inchoante Cantore, decantatur ab omnibus abſolute Reſponſorium.

Libera me Domine de morte æterna &c.

Locant ſe autem omnes circa oram ſepulchri ſeu veriùs

ùs circa pannum funebralem extenſum & in medió Eccleſiæ collocatum, cum 4 Candelabris, cereos accenſos habentibus, ſequenti ordine: Clericus cum Cruce proceſſionali conſiſtit inter Altare, & pannum, Jll. D. Præſidens cum Miniſtris inter ſepulchrum & portam Eccleſiæ, Religiſi hinc, inde diſpoſiti efficientes duas lineas rectas. Circa finem ℟ miniſtrante Thuriferario thuribulum, & miniſtro aliquo Naviculam imponit, & benedicit incenſum Jll D. Præſidens tum intonato à Cantoribus, & continuato per Chorum:

Kyrie eleyson, Chriſte eleyson Kyrie eleyson.

Dictus Jll. D. Præſidens gravi voce inchoat Orationem Dominicam dicendo: Pater noſter *reliqua ſecretò proſequendo; & interim porrectum per aſſiſtentem primum Aſperſorium cum aqua luſtrali capit, ter aſpergit aquâ benedicta, & ter incenſat pannum nigrum, non circumeundo: Hís peractís, canit in tono feriali ſequentia.*

℣ Et ne nos inducas in tentationem
℟ Sed libera &c:
℣ Jn memoria æterna erunt juſti.
℟ Ab auditione mala non timebunt.
℣ A porta inferi. ℟ Erue Domine animas eorum.

℣

℣ Requiem æternam dona eis Domine ℟ Et lux &c. ℣ Domine exaudi orationem meam. ℟ Et clamor &c:
℣ Dominus vobiscum. ℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes, famulos tuos Pontificali, seu Sacerdotali feciſti dignitate vigere: præſta quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator: quæsumus clementiam tuam, ut noſtræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas.

DEus, cuius miſeratione animæ fideli-

lium requiescunt, famulis, & famulabus tuis omnibus, hic & ubique in Christo quiescentibus, da propitiùs veniam peccatorum; ut à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

℣ Requiem æternam dona eis Domine. ℟ Et lux &c:

Tum duo Cantores cantant: Requiescant in pace ℟ Amen. *Mox Ill. D. Præsidens elevatâ dexterâ, producit signum Crucis super sepulchrum, nihil dicens; postea in plana recitatione inchoat Psal:* Miserere mei Deus *quem omnes alternatim prosequuntur, & accedentes ad Chorum, in eo genuflectunt ad finem. Et Ill D. Præsidens procedit ad Altare majus ibique in infimo gradu cum Ministris pariter genuflectit, finito verò Psalmo, & addito* ℣ Requiem æternã *erigens se dicit:* Kyrie eleyson Chryste eleyson Kyrie eleyson.

Pater noster &c: *secreto usque ad* ℣ Et ne nos inducas in tentationem ℟ Sed libera nos à malo. ℣ A porta inferi ℟ Erue Domine animas eorum ℣ Domine exaudi orationem meam. ℟ Et clamor &c: ℣. Dominus vobiscum ℟ Et cum spiritu tuo.

ORE-

OREMUS.

ABsolve quæsumus Domine, animas famulorum, famularumque tuarum, ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. ℞ Amen.

Recedit deinde in sacristiam, deponit sacra paramenta, accedit ad visitanda Altaria, Capellas, olea sacra, Jmagines, Paramenta, & alia, ac prosequitur debito ordine Visitationem tam externam, quam internam. Jta præcipit Pontificale Romanum. Par III. tit 22. *cui concordat* Cærem. Monast. Congr. Mont. ser. P. II. dist. 5. c. 2. per totum.

C A P U T XVI.

Modus absolvendi in die Cænæ Domini.

CUm in die Cœnœ Domini omnes Religiosi sint obligati Paschalem Confessionem absolvere, & se præparare ad sumendum Agnum Paschalem, quod etiam plures sæculares personœ id ea die præstare desiderant, ideoque ut hac die & uniuscuiusque præparationi ad tantum Sacramentum, & proximorum commoditati provideatur, conventientiùs esset, ut hæc absolutio danda in die Cœnœ Domini, anticipatò, scilicet Feria IV. Majoris Hebd.

poſt refectionem largiatur: quod jam & conſvetudine nonnullorum Monaſteriorum, & ſtatutis Generalibus per Capitulum Diætæ approbatis Anno 1730. die 26. Julii deciſum, & declaratum eſt.

Itaque præfinito tempore, datô per ſonum Campanæ, ter interruptô ſignô, omnes Religioſi cucullati accedant ad locum Capitulis celebrandis deſtinatum: ubi D. Abbas indutus Rochetto, & Mozzetta, vel eo abſente P. Prior thogatus, præmiſſô gravi ſermone, præparante ad dignè ſumendum Agnum Paſchalem; circa finem huius ſedulò admoneat omnes, & ſingulos, ut condonari ſibi invicem faciant ex cordibus, qualescunque offenſas amore Domini noſtri JESU Chriſti, & ad invicem fraterno. Ideoque ad præſtandum exemplum, ipſemet Prælatus proteſtetur ſe omnes offenſas ſingulis condonaſſe, & mutuam condonationem ſuorum defectuum humiliter expoſtulaſſe. Et ex ea ratione omnes exeant ad medium, facient publicam deprecationem mutuam, à maximo, uſque ad minimum. His tandem peractis, & in charitate fraterna pacificatis, Prælatus declarationem infraſcriptam faciat, in forma ſequenti:

EX munere paſtoralis noſtræ obligationis, ſaluti animarum Religioſarum, nobis commiſſarum providere cupientes: omnibus & ſingulis huius Venerabilis Communitatis N. Patribus; & Fratribus plenariam facultatem concedimus confi-

teri, coram quibus placuerit; dando etiam Reverendis Patribus loci huius, & Congregationis Professis & ad Confessiones sæcularium iam aliàs approbatis, (quos etiam, ad præsens, pro hac duntaxat sola vice approbamus) facultatem absolvendi ab omnibus casibus reservatis excepto solo vitio proprietatis. Jn quo, si quis (quod Deus avertat) sive ab intra, sive ab extra existens in hac Communitate innodatus fuerit talem non solum à Confessione, sed etiam à Communione, & aliorum Sacramentorum participatione, & ab ipsa nostra Meritorum Christi, Beatæ MARIÆ Virginis, ac omnium Sanctorum participatione invocato Dei nomine, excludimus, & Excommunicamus: & pro excluso, ac excommunicato ipso facto declaramus, & pro tali ab omnibus haberi volumus, & sententiamus. Ad magis verò serenandas cunctorum conscientias, intendimus admittere omnes præsentes (exceptis duntaxat proprietariis) ad abso-

lutionem consvetam à Censuris, præviâ tamen culparum, per omnes, recognitione, juxta Congregationis nostræ statuta, tum offensarum ab invicem, cum fraterno amplexu, & pacis osculo condonatione: non intermissâ etiam generali confessione.

Et statim, omnibûs genuflexis, Prælatus impositâ sibi stola à Collo pendente coloris violacei omnibus genuflexis, ipse stans, clara voce dicit.

Kyrie eleyson Chryste eleison Kyrie eleyson.

℣ Salvos fac servos tuos ℟ Deus meus &c:

℣ Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.

℟ Et de Sion tuere nos.

℣ Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣ Esto nobis Domine turris fortitudinis.

℟ A facie inimici
℣ Convertere Domine aliquantulum.
℟ Et deprecabilis eſto ſuper servos tuos.
℣ Non nobis Domine non nobis.
℟ Sed nomini tuo da gloriam
℣ Exurge Domine adjuva nos.
℟ Et libera nos propter Nomen tuum.
℣ Dominus vobiſcum
℟ Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

ADeſto, Domine, supplicationibus noſtris, & me etiam, qui misericordiâ tuâ primus indigeo, clementer exaudi: ut quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ conſtituiſti miniſtrum; da fiduciam huius muneris tui exequendi, & ipse in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, confiten-

tentibus tibi fidelibus tuis, pro tua pietate, peccata relaxa, ut non plus eis noceat conſcientiæ reatus ad pænam, quam proſit indulgentia tuæ pietatis ad veniam Per Chriſtum &c:

OREMUS.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti: ſuccurre lapſis, ut quos delictorum catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis absolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

OREMUS.

DEus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem, invidiâ diaboli, ab æternitate deiectum, unigeniti Filii tui Sangvine redemiſti: vivifica hos fideles tuos, quos tibi nullatenus mori deſideras, & qui non derelinquis devios, aſſume correctos; moveant pietatem tuam,

Do-

Domine, quæſumus, horum fidelium tuorum lachrymosa ſuspiria, tu eorum medere vulneribus, tu jacentibus manum porrige ſalutarem, ne Eccleſia tua, aliquâ ſui corporis portione, vaſtetur, nec grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus gaudeat, nec renatos lavacro ſalutari mors fæcunda poſſideat. Tibi ergo Domine præces ſupplices, Tibi fletum cordis emittimus, tu parce confitentibus, & ut ſic in hac mortalitate peccata ſua te adjuvante defleant, qualiter in tremendi Judicii die ſententiam damnationis æternæ evadant; & neſciant, quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reverſi juſtitiæ, nequaquam ultra vulneribus ſaucientur, ſed integrum ſit eis, atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

ORE-

OREMUS

DOmine JESU Christe, Rex æterne, Pastor bone, legimus in sancto Evangelio tuo, quia curam, & Providentiam, atque regimen sanctæ Ecclesiæ beato Apostolo tuo Petro, præ cæteris omnibus specialiter tradidisti, illo utique tempore, quando ad illum veridicâ voce locutus es, dicens: Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris, super terram, erit ligatum & in cælis. Quæsumus, Domine JESU Christe, Deus, immense, ut in tuo sacro Nomine, & in tua potentissima virtute, fiant absoluti isti Fratres ab omnibus vinculis peccatorum, quidquid ab infantia usque modo in hac hora, cogitatione, locutione, opere, ac qualicunque modo, svadente diabolo, peccaverunt: ut, per auxilium gratiœ tuæ, ex omni parte liberi effecti, atque ab omnibus inquinamentis animæ & corporis mirabiliter purificati, & su-

per

per nivem, gratiâ tuæ pietatis, dealbati, partem, & ſocietatem mereantur ſine fine habere, cum omnibus Sanctis, in cæleſtibus Regnis. Quod ipse præſtare, benigniſſimâ pietate, digneris, qui veniſti in hunc mundum, per Jncarnationis Myſterium, peccatores salvos facere: qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus benedictus in sæcula sæculorum ℞ Amen.

OREMUS.

PRopitietur Dominus, cunctis iniquitatibus veſtris, & ſanet omnes langvores veſtros, redimatque de interitu vitam veſtram, & sanet in bonis omnibus deſiderium veſtrum. Qui ſolus in Trinitate unus Deus vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum ℞ Amen.

OREMUS.

EXaudi, Domine, preces noſtras, & conitentium tibi parce peccatis; ut quos

conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ pietatis abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum ℞ Amen.

OREMUS.

PRæveniat hos fideles tuos, quæſumus Domine, miſericordia tua; ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentiâ deleantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum ℞ Amen.

OREMUS.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, ne ſit ab his fidelibus, clementiæ tuæ longinqua miseratio, ſed eorum ſana vulnera, remitte peccata: ut nullis à te iniquitatibus ſeparati, tibi Domino noſtro JESU Chriſto valeant ſemper adhærere. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℞ Amen.

OREMUS.

DOmine Deus noſter, qui offenſione no-

ſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris; reſpice propitius ad hos famulos tuos, qui ſe tibi peccaſſe graviter confitentur; tuum eſt abſolutionem criminum dare, & veniam parare peccantibus, qui dixiſti: pænitentiam te malle peccatorum, quam mortem; concede ergo Domine hoc, ut tibi pænitentiæ excubias celebrent, & correctis actibus ſuis, conferri ſibi à te ſempiterna gaudia gratulentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

OREMUS.

PRæſta, quæſumus Domine, his fidelibus tuis dignum pænitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ, a cuius integritate deviaverant peccando, admiſſorum reddantur innoxii veniam conſequendo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

Dictis Orationibus, omnes genuflexi dicunt clara voce ſimul:

Confiteor Deo omnipotenti &c:

Facta Confessione: Prælatus dicit: Misereatur vestri &c: *ac tandem:* Jndulgentiam, absolutionem &c: *Deinde legit sequentem absolutionem:*

AUthoritate omnipotentis Dei & Sanctorum Apostolorum eius, Petri, & Pauli, Sanctæque Sedis Apostolicæ, & Ordinis Sancti Benedicti, quâ fungor, licet immeritus hac in parte; si aliquas Excommunicationis, Suspensionis & Jnterdicti sententias, seu censuras, à Canone, seu ab homine latas, quomodocunque, quoties, & qualitercunque, scienter, vel ignoranter, communiter, seu divisim, incurristis, seu incidistis, vel aliquis vestrum incurrit aut incidit, ab illis sententiis, seu censuris: Ego licet indignus, & immeritus, authoritate prædicta mihi tradita, ex nunc Christi Nomine invocato, vos omnes absolvo, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentis restituo, ut sitis absoluti. Omnesque irregularitates,

si

ſi eas incurriſtis, aut incidiſtis, vel aliquis veſtrum incurrit, ſeu incidit, aboleo; & vobiſcum, & cum quolibet veſtrum in eis diſpenso. Deinde eadem authoritate Ego vos abſolvo á pæna transgreſſionis votorum, Sacramentorum, Dei mandatorum ac præceptorum Eccleſiæ: ab omni pæna vobis inſligenda pro transgreſſione Regulæ, Conſtitutionum, Cæremoniarum, ſtatutorum, Ordinationum & præceptorum Superiorum veſtrorum. Jn nomine Pa † tris, & Fi † lii, & Spiritûs † Sancti. Amen.

Et accepto aſpergillo cum aqua luſtrali, aſpergat eos omnes, nihil dicens: ſurgunt iam omnes à genuflexione, & Prælatus depoſitâ ſtolâ recommendat in Choro & Eccleſia diligentiam, Religioſam in omnibus obſervantiam, mutuam Charitatem, Orationemque ferventem pro neceſſitatibus Eccleſiæ, Regni, Congregationis, loci huius, ac tandem in pace dimittat Capitulum.

D. verò Abbas à P. Priore in Choro, vel in Cella ſua pariter abſolvatur, incipiendo à Confeſſione generali, & pronuntiando omnia in numero ſingulari, juxta ſequentem formam:

Authoritate omnipotentis Dei, & San-

Sanctorum Apostolorum eius Petri, & Pauli, Sanctæq; Sedis Apostolicæ & Ordinis Sancti Benedicti, quâ fungor, licet immeritus hac in parte; si aliquas Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti Sententias, seu Censuras, à Canone, seu ab homine latas, quomodocunque, quoties, & qualitercunque, scienter, vel ignoranter, communiter, seu divisim incurristi, seu incidisti, ab illis sententiis, seu censuris: Ego licet indignus, & immeritus, authoritate prædictâ mihi tradita, ex nunc Christi Nomine invocato te absolvo, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentis restituo, ut sis absolutus. Omnesque irregularitates, si eas incurristi, aut incidisti, aboleo, & tecum in eis dispenso. Deinde eadem authoritate Ego te absolvo à pæna transgressionis votorum, Sacramentorum, Dei mandatorum, ac præceptorum Ecclesiæ; ab omni pæna tibi insligenda pro transgressione Regulæ,

Con-

Constitutionum, Cæremoniarum, Statutorum, ordinationum, & præceptorum Superiorum tuorum Jn nomine Patris, & Filii † & Spiritus Sancti Amen.

Et aspergat eum aquâ benedictâ. Disponatur insuper aliquis ex Superioribus, vel senioribus ad infirmos Confratres (si qui sunt) ut et ipsi pariter absolvantur.

C A P U T. XVII.

Modus Recipiendi ad Confraternitatem Ordinis nostri, cum Scapulari.

SI quis rogaverit ut ad Confraternitatem Ordinis nostri Benedictini suscipi possit, & ut scapulare parvum, dicti Ordinis signum portare valeat, non est ei deneganda hæc gratia, eius tamen præ oculis habeatur status, & ratio. Jtaque si D. Abbas decreverit aliquam personam ad dictam Confraternitatem suscipere, ipse, vel ex commissione ejus P. Prior, superpelliceo stolâ, & Pluviali indutus, accedet ad Altare S. P. Benedicti, coram quo tales cæremoniæ peragi solent: ibique conversus erga tales, qui in Confraternitate nobiscum vivere volunt, demonstret iis Charitatem sacri Ordinis, quâ suorum bonorum operum, coram Domino factorum, & faciendorum participes eos efficit: Moneatque ut sobriè, justè, & piè vivendo in hoc sæculo, famam sacræ Religionis Benedictinæ tueantur, curentque (quantum possibilitas permittit)

ad

ad majorem perfectionem acquirendam, instrumenta bonorum operum servare, quæ S. P. Benedictus Reg: suæ cap: 4. exaravit. His explanatis, dicet:

℣ Adjutorium nostrum in nomine Domini ℟ Qui fecit Cælum & terram.

& dicet alternatim cum nonnulis præsentibus Religiosis sequentes Psalmos videlicet

Psal: 50. Miserere mei Deus &c: *ut Dominica ad Laudes.*

Psal: 120. Levavi oculos meos in montes: &c *ut ad Tertiam per Hebdom:*

Psal: 132 Ecce quam bonum, & quam jucundum &c: *ut Feria III. ad Vesp: addendo in fine singulorum Psalmorum* ℣. Gloria Patri, & Filio &c: *Tum dicit* Kyrie eleyson, Chryste eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster, &c: *secretò usque ad:*

℣ Et ne nos inducas in tentationem.
℟ Sed libera nos à malo.
℣ Salvum fac servum tuum
℟ Deus meus sperantem in te.
℣ Convertere Domine usquequo.
℟ Et deprecabilis esto super servum tuum.
℣ Mitte ei Domine auxilium de Sancto,

℟

℟ Et de Sion tuere eum.
℣ Eſto ei Domine turris fortitudinis,
℟ A facie inimici.
℣ Nihil proficiat inimicus in eo.
℟ Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣ Domine exaudi orationem meam.
℣ Et clamor &c.
℣ Dominus vobiſcum. ℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS

Domine JESU Chriſte, qui dixiſti diſcipulis tuis, ubi duo, vel tres congregati fuerint in Nomine meo, in medio eorum ſum: Tu hodie in medio noſtrum adeſſe digneris, & huic Confraternitati noſtræ manum miſericordiæ impende, ut per te vera, & ſtabilis in bono devotio noſtra perſeveret; ut tuis mandatis obedientes, & pro invicem orantes, te gubernante Corda noſtra, ſal-

vari mereamur, & ad æternam beatitudinem pervenire valeamus. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℞ Amen.

OREMUS.

DEus qui es humilium visitator, & in fraterna dilectione complaces; prætende Confraternitati nostræ gratiam tuam; ut per hoc, quod tua virtute agimus gratias ab æterno destinatas, pro hoc, famulo tuo (*vel* his famulis tuis) (*vel* hac Ancilla tua) feliciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℞ Amen.

OREMUS.

SUper famulum tuum, (*vel* famulos tuos) (*vel* Ancillam tuam quæsumus Domine benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, prædestinatio cælestis ipsum (*vel* ipsos) (*vel* ipsam) instauret, consolatio tribuatur, fides sancta crescat, redemptio sempiterna firmetur. Per Christum

ſtum Dominum noſtrum. ℟ Amen.

Quibus dictis Prælatus benedicit ſcapulare, abſolute dicens:

℣ Dominus vobiſcum. ℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor; te ſuppliciter deprecamur: ut hanc veſtem, (*vel* has veſtes quam famulus tuus, (*vel* quas famuli tui) (*vel* Ancilla tua, pro indicio agnoſcendæ Confraternitatis Religionis induere vult (*vel* volunt) bene † dicere, & Sanctifi † care digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum ℟ Amen.

Prælatus aſpergit ſcapulare Aquâ benedictâ, quod ſtatim imponit ei ſedendo, dicens:

Immittat in te Dominus ſanctum Religionis amorem, ſanctoque fervore ſuccendaris, & ardeas cæleſtium bonorum deſiderio.

Et mox ſurgens Prælatus dicat:

℣ Dominus vobiscum ℟ Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

EXaudi Domine preces nostras, & super hunc famulum tuum (*vel* famulos tuos)(*vel* Ancillam tuam) spiritum benedi † ctionis emitte: ut cælesti munere ditatus (*vel* ditati) (*vel* ditata) & gratiam tuæ majestatis possit (*vel* possint) acquirere; & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

Deinde dicatur alternatim à præsentibus Religiosis Hymnus Ambrosianus
Te Deum Laudamus. &c: *& eô finitô, addatur à Prælato.*

℣ Benedicamus Patrem & Filium, cum Sancto Spiritu.

℟ Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.

℣ Ora pro nobis Sancte Pater Benedicte.

℟

℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣ Domine exaudi orationem meam.

℟ Et clamor &c.

℣ Dominus vobiscum. ℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEus, cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus: tuam semper Clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas.

EXcita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui beatus Pater Benedictus Abbas servivit: ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amavit; & opere exercere quod docuit. Per Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

His peractis novo Confratri, vel pluribus recommendetur

spe-

ſpecialis devotio, ad S. P. Benedictum, & dimittatur in pace.

CAPUT. XVIII.

Modus induendi Puerum pro voto.

PArentes, cum vel filios ſuos variis infantiæ languoribus oppreſſos nacti ſint, vel etiam ſpeciali devotione ducti, ſæpenumero eos Sanctiſſimo Patriarchæ noſtro Benedicto, ad ſacrum eius habitum, in certum tempus, portandum non ſine, recuperatæ, aut conſervatæ ſanitatis fructu, devovent Cum igitur talem infantem ad aliquam noſtrarum Eccleſiarum Parentes adduxerint, Sacerdos, qui ad hoc pietatis opus aſſumendum rogatus fuerit, de licentia ſui Superioris, ſacra, oblati pueri veſtimentula, modó, & formá ſequentibus benedicat, abſoluté dicendo:

℣ Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟ Qui fecit cælum & terram.

℣ Domine exaudi orationem meam.

℟ Et clamor &c:

℣ Dominus vobiſcum ℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine JESU Chriſte, qui pro noſtra ſalute ſuſcipiens humanam naturam

ram, te veſtimento carnis induere dignatus es: benedictione Sancta tua, bene † dic iſta parvula veſtimenta, quæ pro gratiis tibi exſolvendis, cum omni devotione, ſanctoque voto, ac veneratione Beatæ MARIÆ ſemper Virginis infans iſte (*vel* puella) ſuper ſe ſuſcepturus eſt; infunde in eum, quæſumus, tuam ſanctam benedi † ctionem, ut cum primum induerit hoc Religioni ſimile veſtimentum, intercedente beato Patre noſtro Benedicto, deſcendat ſuper eum gratia tua, & protegat eum ab omni malo mentis, & corporis. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

Benedictio Cinguli

OREMUS.

DEus, qui, ut ſervum tuum abſolveres, Filium tuum funibus ligari volu-

lunt bene ✝ dic, quæsumus, cingulum istum, ut famulus tuus. N. qui eo, velut ligamine corpus cinget, vinculorum eiusdem Filii tui Domini nostri JESU Christi memor existat. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

Mox sacerdos aspergat aquâ benedictâ & vestimenta, & cingulum. Deinde exuit eundem Puerum suis vestimentis, in parte tantum aliqua, & dicit:

Eripiat Dominus de corde tuo pompas quibus abrenuntiasti, dum Baptismum suscepisti

Et statim addat Psalmum. 139.

Eripe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

Eripe me de inimicis meis: & ab insurgentibus in me libera me.

Eripe me de operantibus iniquitatem; & de viris Sangvinum salva me.

Gloria Patri, & Filio, &c:

Postea induat eum habitu, dicens:

Immittat in te Dominus sanctum Religionis amorem, sanctoque fervore succen-

cendaris, & ardeas Cæleſtium bonorum deſiderio.

Pſalm. 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc, nunc uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occaſum: laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: & ſuper cælos gloria ejus.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo, & in terra?

Suſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem:

Gloria Patri, & Filio, &c:

Et mox præcingat eum Cingulo dicens:

Præcingat te Dominus zona juſtitiæ, ut immaculatus conſerves omnia mandata eius.

Pſalmus. 150.

LAudate Dominum in Sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio, & cythara.

Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & Organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis Spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, & Filio, &c:

Deinde dat ei candelam ardentem, dicendo ſequentia:

℣ Domine exaudi orationem meam.

℟ Et clamor &c: ℣ Dominus vobiſcum.

℟

℞ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine JESU Chriſte, lux vera de vero lumine, quæſumus clementiam tuam; ut per interceſſionem beati Patris noſtri Benedicti Abbatis, mentem parvuli hujus illumines; ut cum ad annos diſcretionis pervenerit, Sancto tibi animo, corporeque deſerviat. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℞ Amen.

Insuper benedicat Puerum, offerendo eum ſuper Altare, dicens:

Confirma Deus in puero, quod operari feciſti in templo ſancto tuo. Deducat eum Spiritus tuus bonus in terram rectam, & benedi ✝ ctio tua ſit ſuper eum ſemper.

Denique reddat eum Parentibus, & converſus ad circumſtantes, benedicat eos:

Benedicat vos Divina Majeſtas: Patris

& Filii † & Spiritus Sancti. ℟ Amen.

CAPUT XIX.

Modus exuendi Puerum completô votô.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟ Qui fecit cælum & terram.
℣ Domine exaudi orationem meam.
℟ Et clamor &c: ℣. Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Sancte, Pater Omnipotens sempiterne Deus, à quo descendit omne bonum, & omne donum, tibi gratias referimus & expleta vota reddimus: Suscipe vota nostra cũ gratiarum actionibus, & intercedente beatâ Virgine MARIA, sanctoque Patre nostro Benedicto, huic infanti (*vel* puellæ) de cætero præsta salutem mentis & corporis, ut te Creatorem recta fide colat: in te Redemptore spem suam confirmet: teque sum-

ſummum bonum ſuper omnia diligat, atque ſanctis mandatis tuis ſemper obediat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞ Amen.

Et exuendo habitum dicat:

Reddite vota veſtra Deo, cum actibus ſuis.

Pſalmus. 116.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri &c.

Tum deponat habitum ſuper Altare, & dicat:

℣ Domine exaudi orationem meam.
℞ Et clamor &c, ℣ Dominus vobiſcum.
Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

SUſcipe, Sancte Pater omnipotens æterne Deus, vota, precesq; ſupplicum: & per interceſſionem Beatæ Virginis

MA-

MARIÆ, & Sancti Patris Nostri Benedicti, præsta nobis ita beneficia tua cognoscere, ut in gratiarum actione semper maneamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

Deinde aspergat circumstantes aquâ benedictâ & dimittat eos in pace.

CAPUT XX.

Modus benedicendi Numismata S. P. Benedicti, dicta vulgo Karawaki.

Hæc benedictio fieri debet semper post Missam, antequam sacra paramenta deponat sacerdos Benedictinus, Positis itaque Numismatibus super Altare iis, quæ habent sequentes literas in se expressas:

V.R.S.N.S.M.V.S.M.Q.L.I.V.B.†.S.S.M.L.N.D.S.M.D. *& in altera facie.* †.Z.†.D.I.A.†.B.I.Z.†.S.A.B.†.Z.†.H.G.F.†.B.F.R.S. *eos in sequenti forma benedicat:*

℣ Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Qui fecit cælum & terram.

℣.

℣ Dominus vobiscum. ℟ Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEus omnipotens, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus: ut intercedente Beato Patre nostro Benedicto manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas, & hos Characteres, ac literas, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, tua revelatione præparatas, virtute Sancti Spiritûs bene†dicere digneris; & omnibus eis utentibus sanitatem mentis, & corporis, & gratiam sanctificationis benignus concede: ut in conspectu tuo sancti, & immaculati, atque irreprehensibiles appareant, & insidias latentis inimici, per auxilium misericordiæ tuæ clementer effugiant Per Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

OREMUS.

DOmine JESU Christe, qui voluisti pro

pro mundi redemptione de Virgine nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut Agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari; vestibus exui, Cruci clavis affigi; in cruce levari, inter latrones reputari, felle & aceto potari, lancea vulnerari & tandem in Cruce mori. Per has sanctissimas pænas, & passiones tuas, quas ego indignus recolo, suppliciter te oro, de loco illo, & de domibus ejus, & de omnibus incolis ejus, & de me servo tuo, & de omnibus, quicunque per literas, & Characteres hos invocaverint Sanctum Nomen tuum, expellas omnes insidias diaboli, & fraudes, ac pestem; hunc locum & omnes habitatores ejus, me

quo-

quoque indignum famulum tuum, & omnes quicunque ſignati fuerint hoc ſigno ſanctificationis tuæ, ad priſtinam ſanitatem perducere digneris, fracto vinculo cuiuscunque gentis malignæ. Amē.

Exorciſmus S. Zachariæ.

MAledicti, & excommunicati, & blasphemi dæmones in virtute verborum iſtorum: Meſſias, Emmanuel, Sabaoth, Adonai, Athanatos, Jſchiros, Tetragrammaton, vos conſtringimus, vos privamus, vos expellimus ab iſto loco, & ex domibus ejus, ubi fuerint hæc ſigna Dei, & præcipimus vobis, ut non habeatis poteſtatem per peſtem nocere corporibus habitantium in eis. Jte! ite! ite maledicti in ſtagnū ignis, ite ſtatim ad loca vobis deputata, & nunquam huc accedatis. Jmperat vobis Deus Pater, imperat vobis Deus Filius, imperat vobis Deus Spiritus Snnctus, imperat vobis

Sanctissima Trinitas unus Deus. Discedite maledicti dæmones in nomine Domini nostri JESU Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

OREMUS.

DEus, qui culpâ offenderis, pænitentiâ placaris, preces populi tui supplicantis propitiùs respice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris mereamur, averte.

DEus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatoris, majestatem tuam suppliciter deprecamur: ut famulos tuos de tua misericordia cofidentes, cælesti protegas benignus auxilio, & assidua protectione conserves; ut tibi jugiter famulentur, & nullis tentationibus à te separentur.

Benedictionem tuam, Domine, populus fidelis accipiat, qua corpore salvetur,

& mente & congruam tibi exhibeat servitutem, & propitiationis tuæ beneficia semper inveniat.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosâ Beatæ MARIÆ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æternâ perfrui lætitiâ.

Jntercessio nos quæsumus Domine beati Patris Benedicti Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur.

Da nobis, quæsumus Domine, piæ petitionis effectum, & pestilentiam, mortalitatemque propitiatus averte; ut mortalium corda cognoscant à te indignante talia flagella prodire, & te miserante cessare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergat deinde Numismata aquâ benedicta, in modum Crucis, addens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Fi-

Filii, † & Spiritus Sancti descendat super hos Characteres, & maneat semper. Amen.

CAPUT. XXI.

Modus benedicendi Panem novum in Festivitate Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, pro Monasterio Tynecensi.

In pervigilio SS Apost: Petri & Pauli, Sacerdos sumpto superpelliceo, & Stolâ accedens ad novum Panem in aliquo mundo loco positum, dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟ Qui fecit cælum & terram
℣ Paratur nobis Panis.
℟ Adversus omnes qui tribulant nos.
℣ Sit nomen Domini benedictum.
℟ Ex hoc nunc, & usque in sæculum.
℣ Super omnes Virgo benedicta extitisti.
℟ Dum Panis vitæ in tua se clausit viscera.
℣. Beatus es Simon Bar-Jona.
℟ Tibi enim traditæ sunt claves regni Cælorum.

℣

℣. Tu es vas electionis Sancte Paule Apostole.

℟. Jntercede pro nobis ad Deum qui te elegit.

℣. Ora pro nobis Sancte Pater Benedicte

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine exaudi &c: ℟. Et clamor meus &c:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, bene † dicere digneris hunc novũ Panem tua sancta benedictione, ut qui eum gustaverint, corporis & animæ salutem, te donante, recipiant.

Concede quæsumus omnipotens Deus, intercedente immaculatè conceptâ, unigeniti Fili tui Matre, benedictâ, hunc Panem habentibus sanitatem mentis, & cor-

corporis, ut hic temporalibus tuis donis in timore utentes, ad æterna te disponere valeant.

Domine JESU Christe, qui te mirabilem in Sanctis Apostolis tuis Petro, & Paulo demonstrâsti, præsta eorum intercessione: ut in quocunq; loco hic Panis fuerit, ab eo omnes dæmonum insultus repellantur.

Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infusor, te subnixis precibus deprecamur: ut sicut jubente S. Patre Nostro Benedicto, venenatum Panem sibi transmissum, ne ulli noceret, còrvum deportare in deserta fecisti; ita eius meritis gloriosis suffragantibus, ex hac substantia Panis omnia noxia amoveas, eumq; glorioso Patriarcha nostro intercedente bene † dicas, & Sancti † fices; ut quicunq; ex hoc Pane gustaverint, sanitatis, & incolumitatis in corpore, & virtutum in anima percipiant incre-

crementa. Per Te Sancte Pater, qui cum Filio & Spiritu sancto vivis & regnas, in sæcula sæculorum ℟ Amen.

Deinde subiungat:

Benedictio Dei Pa † tris Omnipotentis, & Fi † lii eius Unigeniti, & Spiritûs † Sancti ab utroque procedentis: intercessione Beatissimæ Virginis MARIÆ, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, atq; Sancti Patris nostri Benedicti, & omnium Sanctorum descendat super hanc substantiam Panis novi, ac maneat semper. ℟ Amen.

Deinde Sacerdos aspergat Panem novum Aqua benedictâ

C A P U T XXII.

Forma conscribendæ chartulæ in vas Sacrarum Reliquiarum, dum D. Abbas consecrat Altare, pro usu propriæ Ecclesiæ.

Juxta Pontificalis Romani dispositionem, immitti debet Chartula in vas sacrarum Reliquiarum, cum notificatione Anni, Mensis, Diei, & nominis Consecratoris,

&

& hæc omnino ex pargameno esse debet: quæ autem in ea sunt scribenda, sunt sequentia:

Ego N. N. Abbas Monasterii N. Vigore Privilegiorum sacro Ordini nostro Benedictino concessorum, ac juxta tenorem Decreti EE. & RR. DD. Cardinalium, Sacræ Congregationis Rituum 1644 die 16. Aprilis Consecravi Altare hoc in propria Ecclesia, in honorem Sancti N. & Reliquias Sanctorum Martyrum N. N. in eo inclusi Anno Domini N. N. Mense N. Die N.

CAPUT XXIII.

Forma absolutionis, quæ datur Electoribus in Capitulo, ad effectum Electionis, à Sacris Canonibus præscripta.

In omnibus Electionibus tam DD. Abbatum, quam Priorum, priùs Electores absolvi debent ab omnibus Censuris Ecclesiasticis, ut unusquisque serenatâ conscientiâ tutius in dicta electione procedat, ipseque actus electionis fiat Canonicus. Itaque genuflexis omnibûs, is, qui præsidet tali actui, scilicet vel Ill. D. Præsidens Ge-

Generalis, vel D. Abbas imposita sibi stola supra Mozzettam, absolvet in forma sequenti: Dicto ergo ab Electoribus genuflexis Confiteor &c: *subjunget:* Misereatur vestri &c: *&* Indulgentiam absolutionem, &c:

SI tenemini aliquo vinculo Excommunicationis Majoris, vel minoris, interdicti, vel suspensionis, in quantum se extendunt gratiæ, & privilegia Ordini nostro concessa, vos omnes ad effectum Electionis faciendæ (*vel* electionum faciendarum) absolvo, & restituo vos sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & unitati fidelium. In Nomine Patris,† & Filii, † & Spiritûs † Sancti, Amen.

Item eadem Authoritate, ad eundem effectum, Ego dispenso vobiscum super omni irregularitate, si quam contraxistis; & habilito vos executioni Ordinum, & Officiorum vestrorum. In Nomine Patris, † & Filii, † & Spiritûs † Sancti, Amen.

Et aspergat eos aquâ lustrali.

CAPUT XXIV.

Formæ Juramentorum nonnullorum in Electionibus Officialium usitatæ.

Forma Juramenti pro Scrutatoribus.

EGo N. promitto me servaturum sub strictissimo secreto, & nemini revelaturum ea omnia, quæ ad meum Officium Scrutatoriatûs pertinebunt, ita promitto, ac juro; Sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

Forma Juramenti pro Secretario Capituli.

EGo N. promitto me servaturum sub strictissimo secreto, & nemini revelaturum ea omnia, quæ ad meum Officium Secretariatûs pertinebunt. Ita promitto, ac juro; Sic me DEUS adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

Forma Juramenti, ab omnibus Electoribus necessariò emittendi, in Electione novi Abbatis, aut alterius cujusvis Superioris: á Clemente XII. P. M. Anno 1735. demandati.

EGo N. voveo, ac juro DEO Omnipo-

potenti, & omnibus Sanctis Ejus, quod me ſecundùm Deum, & rectam conſcientiam meam in præsenti electione Abbatis (*vel* Prioris) hujus Monaſterii N fideliter geram, nec ex ulla conſpiratione, aut ex aliquo particulari, & personali affectu, reſpectu, amicitia, Philadelphia, condicto, promiſſo, ſive alia quacunque privata obligatione, etiam ſimili juramento explicitè, vel implicitè, privatim, vel publicè confirmatis; neque ob ſpem vel reſpectum, præſtitæ, aut præſtandæ mihi gratiæ, donorum, munerum, favoris, honoris, promotionis, graduationis, ſuperioritatis, Dignitatis, Officii, aut Beneficii: aut pænalitatū mihi quocunque modo incumbentiū condonationis, ſive diſſimulationis, neque propter amorem, aut timorem ſive alicujus ſuggeſtionem, ſollicitationē, ambitum, aut inſtantias, & preces, ſed quem ipsemet ego, ſecundùm timorem

 DEI,

DEI, ac dictamen, & instinctum Spiritûs Sancti virtute præstantiorem, meliorem, & ad manutenendam Regularem Observantiam capaciorem, Monasterioque huic, & bono Communi utiliorem, apud me judicavero, hunc præsenti electione in Abbatem (*vel* Priorem) hujus Monasterii N. eligam. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta DEI Evangelia.

CAPUT XXV.

Modus dicendi Culpam in Capitulis Culparum.

QUoniam immemorabili usu in Sacra Religione nostra receptum est, ut in nonnullis vigiliis festivitatum specialiorum, fiant Capitula culparum, & hic actus humilitatis, inter mortificationes Religiosas primatum teneat, ex eo, quia Sacræ Regulæ cap: 7. præceptus est, his verbis? „Quintus humilitatis gradus est: „si omnes cogitationes malas, cordi suo, advenientes, vel mala à se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celaverit suo. Hortans nos hac de re Scriptura, dicens: Revela „Domino viam tuam, & spera in eo. Et item dicit: Confitemini Domino, quoniam in sæculum mise-

„ misericordia ejus. Et item Propheta: Delictum „ meum cognitum tibi feci, & injustitias meas non „ operui. Dixi pronuntiabo adversum me injustitias „ meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis „ mei. „ *Et cum præterea à Paulo V. Pont: Max: Indulgentiæ Trium annorum, & totidem Quadragenarum concessæ sint. Peccata sua in culparum capitulis accusantibus, ideo ex utroque motivo dicta capitula culparum, ubi adhuc sunt in usu, conservetur laudabilis consuetudo; ubi verò oblivioni datus est talis humilitatis actus, resuscitet Dominus Spiritum Superiorum, ut ea quæ perfectionis viam demonstrant, sollicito prosequantur labore. Quilibet itaque seorsivè prodiens ad medium genuflectat, & inclinatus dicat suam culpam in forma sequenti.*

Reverendissime Pater (*vel* Reverende Pater) dico meam culpam: de Divino Officio male, & negligenter persoluto, de silentio non bene custodito, de reverentia tibi, & aliis majoribus meis non legitime exhibita, de Officiis mihi commissis negligenter, & non charitative peractis; de modestia in omnibus actionibus meis non ritè servata; de scandalo forsan dato tam sæcularibus,

quam

juam Fratribus; de inobedientia Regulæ nostræ; de torpedine in acquirenda perfectione.--- De his, atque aliis omnibus transgressionibus meis, quibus quomodocunque offendi Deum, Te, Proximum, ac Regulam nostram, dico meam culpam, & humiliter deprecor, ut amore JESU Christi mihi pœnitentiam, ad beneplacitum suum imponere digneris.

CAPUT XXVI.

Modus benedicendi Officiales, & iter agentes.

§. I.

Modus Orandi pro egrediente Servitore Mensæ.

Servitor expletâ hebdomadâ Ministerii sui, Dominico Die post Matutinum in medium Chori exiens, genuflectat, & ter hunc versum dicat, repetente Choro.

BEnedictus es Domine DEUS, qui adjuvisti me, & consolatus es me.

Quo tertia vice à Choro repetito Superior dicat:

℣. Salvum fac servum tuum.

℟.

℟. DEUS meus ſperantem in te.
℣. Convertere Domine uſquequo,
℟. Et deprecabilis eſto ſuper ſervum tuum.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, cui humilium ſemper accepta ſunt vota animarum, reſpice propitiùs ſuper hujus Fratris noſtri obſequia: ut qui peractæ hebdomadæ ſervitia devota mente complevit, pleniſſimam, atque largiſſimam veniam conſequatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

§. 2.

Modus orandi pro ingrediente Servitore menſæ.

Recedente Servitore præteritæ hebdomadæ, Servitor inchoans miniſterium ſuum immediate poſt eum in medio Chori genuflectit, & dicit ter ſequentem Verſum, repetente etiam Choro:

DEUS in adjutorium meum intende: Do-

Domine ad adjuvandum me festina.

Quo tertiò à Choro repetito Superior dicat:

℣. Salvum fac servum tuum.
℟. DEUS meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

MIsericors ac piissime DEUS, qui ubique famulos tuos tueris, & adjuvas, hujus Fratris nostri in bonum accumula votum, auge desiderium, ut recto corde Fratribus suis impendat servitium. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§. 3.
Modus orandi pro Lectore Mensæ.

Lector mensæ inchoans Officium suum, Dominico die, post Sextam Canonicam omnino, nec priùs, aut posteriùs constitutus in medio Chori, dicat ter sequentem Versum, Choro quoque repetente:

Do-

Domine labia mea aperies: Et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quò ter à Choro repetitò, Superior dicat:

℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. DEUS meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

AUfer ab hoc famulo tuo, quæſumus Domine, ſpiritum elationis, & ignorantiæ; ut repletus ſpiritu humilitatis, & ſcientiæ, intellectum ſacræ capiat lectionis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

§. 4.

Modus orandi à Fratribus ambulatum euntibus.

Quacunque ex cauſa, exeuntes Religioſi de Monaſterio, ſive ad campos, ſive ad pacificandum negotium ſibi à Supe-

Superiore commiſſum, ſemper genuflexi in choro, vel coram imagine Crucifixi, prius orent modo ſequenti:

℣. Vias tuas Domine demonſtra nobis.
℟. Et ſemitas tuas edoce nos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.

OREMUS.

ADeſto, benigniſſime DEUS, piis tuorum ſupplicationibus, & fragilitatem noſtram, quam ſub nulla auſteritate diu ſubſiſtere conspicis, misericorditer conforta, & præſta: ut qui tibi placitam ſpiritus humilitatem quærimus, inter hujus viæ, & vitæ varietates ad nullas vanitates à religioſo tramite deviemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

§. 5.

Modus orandi à Fratribus de via revertentibus.

Religioſi tam ii, qui in viam aliquam, licetſi non longam diriguntur, aut ad campos egrediuntur, quam ii, qui de via revertuntur, juxta mandata ſacræ Regulæ cap: 67. orare tenentur, propter exceſſus, ne quid forte ſubri-


ſubripuerit in via viſûs, aut auditûs malæ rei, aut otioſi ſermonis; ideoque ad Monaſterium revertentes, genuflexi in Choro, vel coram imagine Crucifixi orent in forma ſequenti:

℣. Salvos fac ſervos tuos.
℟. DEUS meus ſperantes in te.
℣. Convertere Domine uſquequo.
℟. Et deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne DEUS, miſerere famulis tuis, & ſi quid nobis in via ſubripuit viſûs, vel auditûs malæ rei, aut otioſi ſermonis, totum ineffabili pietate propitiatus indulge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

FINIS
SEXTÆ PARTIS.



PARS VII.

De obsequiis Fratribus infirmis, ac mortuis exhibendis.

EXaratis Monaſticis Cæremoniis, tam pro incipientibus vitam Religioſam, quam pro proficientibus in ea, ſupereſt, ut deficientibus, ſeu ex hac vita decedentibus Monachis levamen, & ſuffragium afferamus, non alio, quam antiquiori Benedictino modo. Et licet ea, quæ in hac ultima parte ſunt collecta, à pluribus cenſoriâ virgâ conſurgentibus, aliquam novitatis notam non effugient, obviando tamen iis, benevolum remitto Lectorem ad antiqua Cæremonialia, & Ritualia Monaſtica Benedictina, ut ex his cognoſcat, non nova hæc eſſe, ſed vetuſtiſſima in ordine noſtro, præſertim ex parte ſepulturæ Monachorum: quam quidem & Ordo Prædicatorum acceptavit. & Sacerrima Ciſtercienſium Familia ad hæc uſq; tempora inviolabiliter conſervavit. Expedit ergo ut & nos, ab antiquorum Patrum Ritu non recedamus; quinimo, licet dictus ritus ſepulturæ annis pluribus interruptus, ut tamen in noſtra Congregatione Benedictino-Polona renovetur, Rm̃i Definitorii Capituli Generalis Tynecenſis ordinatione declaratum eſt. Huic itaq; innixi fundamento, ad normam Cærem: Monaſt: Bened: Rom: Rhotomagi 1621. impreſſi; & Ritualis Monaſt: Sammielli

li 1627. excusi (ad quod Breviarium Monasticum edit. Campidon: & Einsidlen: in talibus remittit) nonnulla declarabimus, sicq; (adjuvante Domino) præsentem, & hujus operis ultimam partem aggrediemur. Sit itaq;

CAPUT I.

Quæ circa Fratrem infirmum agenda?

Licet homo quamdiu in hoc corpore constitutus est, variis tentationum fluctibus agitetur, eo tamen vehementiùs, periculosiùsque, quo propius fini propinquat, eum tentari compertum est: quamobrem Monasteriorum Prælati, seu Superiores circa Fratrem infirmum omnem curam, & sollicitudinem paterna Charitate suscipiant, omnemque diligentiam in hoc ponant, ut eum in viam salutis dirigant, atque à Diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendant, ac tueantur sequentibus modis :

1. *In Cubiculo infirmi sacras imagines Christi Domini Crucifixi, vel ejus Sacratissimæ Passionis B. V. MARIÆ, S. P. Benedicti, vel illius Sancti, quem ægrotus præcipuè veneratur, ob oculos ejus apponi curent.*

2. *Quamvis quilibet Fratrum, ut in morbum incidit, de morte suspectus esse, seque ad eam præparare debeat, tamen ubi periculum mortis imminere Superior viderit, monebit statim ægrotum, prudenter tamen,*

men. & cautè, ut omni, qua par est devotione, & celeritate, Sancta Sacramenta, dum sacra mens est, integrique sensus, religiosè suscipiat, seque ad mortem præparet, citra fallacem illam, ac pernitiosam procrastinationem, quæ plurimos ad æterna supplicia perduxit, indiesque, fallente diabolo, perducit.

3. *Omnes Religiosi, ad ægrotum invisendum, ita parati accedant, ut in promptu habeant argumenta ad persvadendum, apta; ac præsertim Sanctorum exempla, quæ plurimum valent; quibus eum in Domino consolentur, excitent, ac recreent. Hortenturq; ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum pœniteat, Divinam misericordiam imploret, & infirmitatis pœnas, tanquam Paternam DEI visitationem, patienter ferat, & ad salutem suam provenisse credat, ut vitam, moresque suos melius instituat.*

4. *Hortentur eum* (juxta doctrinam V. Ludov: Blosii Abb: Lætien:) *ut sedulò, ac devotè ad benignissimam Misericordiæ Matrem, gloriosissimamque Cæli Reginam Virginem MARIAM sese convertat; eamque, & omnem Cæli exercitum invocet: Fidei Sanctæ, Catholicæque Ecclesiæ firmiter, & simpliciter adhæreat; atque meritis Salvatoris nostri JESU Christi, magis quam suis, innitatur, cujus amarissimam Passionem, mortemque sibi proponens, & ineffabilem illam charitatem, quæ eum tam indigna sustinere coëgit, memoria repetens, animam, & corpus suum, animæ, & corpori ipsius Domini JESU unire curet: eique acerbitates, & dolores, quos patitur, in unione passionis ejus offerat, ad laudem æternam. Insuper in rosea*

vulne-

vulnera, & in profundissimum pelagus immensæ misericordiæ ejus, se, cum universis peccatis, atque negligentiis suis demittat, & immergat.

5. *Præterea ad magis proficiendum in spiritu, Fratres visitantes commoneant ægrotum, ut ad summam DEI gloriam, se ipsum, velut hostiam vivam offerat ipsi Domino; & ut velit perferre pro acceptissima ejus voluntate, patienter, ex vero amore omnem languoris acerbitatem, ipsam etiam mortis amaritudinem, omnem deniq; pœnam, quam sibi Dominus in tempore, & æternitate immittere voluerit. Hoc si revera facere potuerit, si, inquam, sese ex puro DEI amore, cum perfecta sui resignatione, ad omnem pœnam, pro honore Divinæ justitiæ tolerandam, animo tranquillo, spontaneoque obtulerit; ipse neque infernum, neque purgatorium subibit, etiamsi solus, omnia totius mundi peccata commisisset.*

6. *Proponant etiam ei (prout conditio ægri feret) aliquas breves oratiunculas, jaculatorios affectus, piam ad Deum mentis elevationem, præsertim versiculos è Libro Psalmorum depromptos; Passionis D. N. JESU Christi meditationem, Sanctorum Martyria, & exempla, nec non cœlestis gloriæ beatitudinem. Hæc tamen opportunè & discretè, suggerantur, ne infirmo molestia, sed levamen afferatur.*

7. *Si infirmus optet, & sine periculo gravioris morbi fieri posset, poterunt Fratres alternatim legere aliquid ex vitis Sanctorum, vel ex alio Libro, qui infirmum maximè afficiet, abstineantque diligenter à sermonibus vanis, vagis, scurrilibus, cæterisque aures offendentibus,*

quas

quas SS. P. Benedictus æterna clausura damnavit Reg: suæ cap: 6.

8. Consolentur Fratres visitantes infirmum, dicentes: se pro eo in Missæ Sacrificio, & aliis precibus, oraturos, curaturosque, ut alii itidem pro eo faciant, idque reipsa præstabunt.

9. Curet Prælatus, seu Superior Monasterii ut saltem semel in die visitet infirmum, eum præsentia sua consoletur, & in variis tentationibus apta remedia prudenter adhibeat, ac monita salutis, ei propinet, quia maximam curam, circa infirmos, requirit ab Abbate SS. P. Benedictus Reg: suæ cap: 36.

CAPUT II.

Preces dicendæ in Visitatione Infirmorum.

PRælatus, vel P. Prior visitans saltem semel in die infirmum Fratrem, effundat ad Dominum preces in conspectu egroti, ut his commotus, majorem concipiat erga suum Superiorem confidentiam, quæ maximè tunc necessaria est. Ideoq; sequentes preces vel omnes simul dicantur, vel per partem, scilicet per §§. qualibet die post sumptam sacram Synaxim recitentur. Semper intrando Superior ad infirmum, dicat:

Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Mox

Mox infirmum. & lectum ejus, ac cubiculum totum aspergat aquâ benedictâ, dicens:

Antiph: Asperges me &c. *cum Psal:* Miserere &c. *&* ℣. Gloria Patri &c.

Postea genuflexus, vel stans cum nonnullis Fratribus remediocri, (vel si hæc officeret ægro) submissa voce recitet unum, vel plures ex sequentibus Psalmis cum suis Orationibus; Post quamlibet verò partem si seorsivé dicatur, dabit benedictionem infirmo, dicens:

Benedictio DEI Omnipotentis Patris, & Filii, † & Spiritûs Sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. Amen

§. I.

Inprimis dicatur Psal: 50. Miserere mei DEUS &c. *ut in Dominica ad Laudes, cum* ℣. Gloria Patri: *Deinde* Kyrie eleison, Chryste eleison. Kyrie eleison. *Pater noster &c.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. DEUS meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Dominus opem ferat illi.
℟. Super lectum doloris ejus.
℣. Domine exaudi orat: &c.
℣. Dominus vobiscum. &c.

OREMUS.

DEUS, cui proprium est misereri semper, & parcere; suscipe deprecationem nostram; ut nos, & hunc famulum tuum, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

DEUS infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjutus, Ecclesiæ tuæ Sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Con-

Concede hunc famulum tuum, quæsumus Domine DEUS, perpetua mentis, & corporis sanitate gaudere; & gloriosa beatæ MARIÆ semper Virginis intercessione à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§. 2.

Dicitur Psal: 6. Domine ne in furore tuo arguas me &c: *ut Feria II. ad Primam. Postea*

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum. ℟. Gloria tibi Domine.

Dum Superior dicit Sequentia &c. *signet se in fronte, ore, & pectore, similiter & infirmum, si is ob infirmitatem non potest se signare.*

IN illo tempore: Cum introisset JESUS Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in domo para-

lyticus, & male torquetur. Et ait illi JESUS: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alii veni, & venit, & servo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem JESUS miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Jsràél. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Jsaac, & Jacob, in regno Cælorum; filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit JESUS Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

ORE-

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne DEUS, ſalus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo ſamulo tuo N. pro quo miſericordiæ tuæ imploramus auxilium; ut reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi, in Eccleſia tua, referat actiones. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

§. 3.

Dicitur Pſal: 15. Conſerva me Domine &c. *ut Feria VI. ad Primam. Tum*

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.
Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Marcum. ℟. Gloria tibi Domine.

Signat ſe, & Infirmum.

IN illo tempore: Recumbentibus undecim diſcipulis, apparuit illis JESUS, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his, qui vide-

viderant eum resurrexisse, non crediderant. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient: lingvis loquentur novis; serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bené habebunt.

OREMUS.

Virtutum cælestium DEUS, qui ab humanis corporibus omnem langvorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis; adesto propitiùs huic famulo tuo N. ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen Sanctum tuum, instaurata protinùs sanitate, benedicat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§. 4.

Dicitur Psal: 19. Exaudiat te Dominus in die tribulationis &c. *ut Sabbato ad Primam.*

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.
Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. ℟. Gloria tibi Domine.

Signat se, & Infirmum.

IN illo tempore: Surgens JESUS de Synagoga introivit in domum Simonis; socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea: Et stans super illam imperavit febri, & dimisit illam, & continuo surgens ministrabat illis. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis langvoribus, ducebant illos ad JESUM. At ille singulis manus imponens curabat eos.

OREMUS.

DOmine Sancte, Pater omnipotens, æter-

terne DEUS, qui fragilitatem humanæ conditionis, infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra, & mentes vegetentur: ſuper hunc famulum tuum propitiùs intende; ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfectè reparetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

§. 5.

Dicitur Pſal: 83. Inclina Domine aurem tuam &c. *ut Feria VI. ad Matutinum in I. Noct:*

℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundum Joannem. ℟. Gloria tibi Domine.

Signet ſe, & Infirmum.

IN illo tempore: Erat dies feſtus Judæorum, & ascendit JESUS Jerosolymam. Eſt autem Jeroso-

lymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna langventium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & movebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piscinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo ánnos habens in infirmitate ſua. Hunc cum vidiſſet JESUS jacentem, & cognoviſſet, quia multum jam tempus haberet, dixit ei: Vis ſanus fieri? respondit ei langvidus: Domine hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dixit ei JESUS: Surge: tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit gra-

batum ſuum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo. Dicebant ergo Judæi illi, qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Jnterrogaverunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui ſanus fuerat effectus, nesciebat, quis eſſet. JESUS autem declinavit à turba conſtituta in loco. Poſtea invenit eum JESUS in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.

OREMUS.

RESpice Domine famulum tuum N. in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove, quam creaſti: ut caſtigationibus emendatus, continuò ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

§. 6.

Dicitur Psal: 90. Qui habitat in adjutorio Altissimi &c. *ut ad Completorium.*

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEUS, infirmitatem famuli tui N. propitius respice, atque ad protegendum eum dexteram tuæ Majestatis extende. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Completa Oratione, Superior imponat dexteram manum super caput infirmi, dicens:

SUper ægros manus imponent, & benè habebunt. JESUS MARIÆ Filius, mundi salus, & Dominus, meritis, & intercessione Sanctorum Apostolorum suorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum, sit tibi clemens, & propitius. ℟. Amen.

Postea dicat:

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Initium Sancti Evangelii ſecundum Joannem. ℟. Gloria tibi Domine.

Signet ſe, & ægrotum, ſi ipſe non valet.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat verbum. Hoc erat in principio apud DEUM. Omnia per ipsum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à DEO, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus eſt,

& mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios DEI fieri: his, qui credunt in nomine ejus. Qui non ex ſangvinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: ſed ex DEO nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt: Et habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. ℟. Deo gratias.

Poſtea benedicit infirmum dicens:

Benedictio DEI omnipotentis, Patris, & Filii, † & Spiritus Sancti, descendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Deinde aſpergat Infirmum aqua benedicta, & conſoletur eum.



CAPUT III.

Modus administrandi S. Communionem infirmis Fratribus.

QUando D. Abbas, vel P. Prior, aut Medici judicaverint ægroto Sacrum Viaticum esse porrigendum, Frater Servitor infirmorum curam geret, ut cubiculum infirmi mundetur, incenso odorifero fumetur, ut omnem premat fœtorem, & gratum reddat odorem. Mensa lineo mundo cooperiatur, cum subposita Ara portatili, & Corporali pro repositione SS. Sacramenti, purificatorio pro extergendis digitis Sacerdotis. Ponatur etiam in dicta mensa imago Crucifixi, cum duobus Cereis collucentibus. In latere statuatur vasculum cum poculo, infirmo, cum ablutione digitorum Sacerdotis, exhibendo. Insuper paretur vas Aquæ benedictæ cum aspergillo, nec non hic Liber ad ea, quæ suo tempore sunt recitanda. Præterea paretur Tobalea, ante pectus infirmi ab Acolythis, dum S. Synaxim sumet, extendenda. Si ægrotus Cucullo indui non possit, saltem scapulari supra vestem induatur: & si Sacerdos sit, Stolam habeat à collo pendentem. Si vero infirmus præ nimia debilitate decumbere cogatur, lectus linteo mundo cooperiatur, ne quid indecens appareat; sin minus, genuflexus Sacramentum expectet.

Dato signo per campanam capitularem, Religiosi Cucullis induti in Sacristiam congregentur, & Acolythi designati cum Thuriferario (quod conveniret juxta Decr: S. R. C) superpelliceis induti expectent P. Priorem,

(cui

(cui maxime conveniret Religiosis Sacramenta ministrare, præsertim infirmis) qui indutus Superpelliceo, Stola, & Pluviali albi coloris, procedit cum omnibus ad Altare. Ubi aperto ostiolo Tabernaculi, incensat Sacramentum, tum accepto velo oblongo, capit Pixidem cum particulis consecratis, & non unam tantum particulam, quia facta Communione infirmi, particulæ SS. Sacramenti semper superesse debent, ut notat Breviarium Monast: edit. Venitæ, & præcipit Rit: Rom: sicq; Pixide velo oblongo contecta, præcedente Cruce processionali, omnibusque Cereos accensos in manibus gestantibus, ac Acolythis cum Cereis ardentibus præeuntibus, procedit processionaliter ad cubiculum ægroti, dicendo alternatim Psal: Miserere mei DEUS &c. *pulsante Acolytho tintinnabulum, & Thuriferario continuò incensante SS. Sacramentum.*

Si præ angustia Cellæ infirmi omnium prohiberetur ingressus, seniores tantum cum Ministris ingredientur, cœteri extra januam apertam genuflexi expectabunt. In ingressu cubiculi P. Prior statim dicit: Pax huic domui. ℟. *omnes* Et omnibus habitantibus in ea. *Deinde Religiosis omnibus hinc, inde genuflexis, P. Prior SS. Sacramentum depositum adorat, & incensat. Et accipiens aspersorium, prius infirmum in modum Crucis, postea lectum, & cellam aspergit aqua lustrali, dicens: Antiph:*

Asperges me: Domine hysopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem

de

dealbabor: ℣. Miserere mei DEUS: secundum magnam misericordiam tuam. ℣. Gloria Patri, & Filio &c.

Et repetitur Antiph: Asperges me &c. *His completis dicit:*

℣. Salvum fac servum tuum.
℟. DEUS meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi &c.
℟. Dominus vobiscum. &c.

OREMUS.

DEUS infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem; ut ope misericordiæ tuæ adjutus, Ecclesiæ

tuæ

tuæ Sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox infirmus veniam defectuum suorum, si quos in observantia Regulari, vel in confratres commiserit, humiliter petat: & si quid in ipsum, ab aliquo confratre, commissum fuerit, ex animo, & propter amorem Christi, omnibus ignoscat, & dimittat. Insuper omnibus omnino rebus renuntiet, quas habebat cum licentia Superioris, easq; in manus ejus resignet, quod si voce non possit, nutu saltem P. Priore monente, vel alio Sacerdote exprimat: humiliq; corde dicat, vel alius pro eo:

Confiteor DEO omnipotenti &c.

Et P. Prior admonendo prius præsentes ut orent pro infirmo; subdat:

Misereatur tui &c. Indulgentiam &c.

Demum absolutè dicat, juxta Rubr: antiqui Brev: Monast

DOminus JESUS Christus, qui dixit discipulis suis: quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo: de quorum

numero, quamvis indignos, nos esse voluit, ipse te absolvat ab omnibus peccatis tuis, quæ quovis modo, cogitatione, locutione, & operatione negligenter egisti: atque à peccatorum nexibus absolutum, perducere dignetur ad regna Cælorum. Qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde ex Pixide Sacram Hostiam reverenter depromit, & cum ea ad infirmum conversus dicit:

Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.

Postea ter pronuntiat seq:

℣. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.

Et inter porrigendum S. Hostiam dicat:

Corpus, & Sangvis Domini nostri JESU Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Si

Si vero ſumat permodum Viatici, dicat:

Accipe Frater Viaticum Domini noſtri JESU Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat ad vitam æternam. Amen.

Repoſita in menſa Pixide cum Sacramento, eáq; obtectâ proprio operculo, Sacerdos abluit digitos in poculo infirmi, ut ei proponatur pro ablutione. Exterſis verò digitis, ſtans versùs infirmum dicit:

℣. Domine exaudi orationem &c.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DOmine Sancte Pater, Omnipotens æterne DEUS, te fideliter deprecamur; ut accipienti Fratri noſtro ſacroſanctum Corpus Domini noſtri JESU Chriſti Filii tui, tam Corpori, quam animæ proſit ad remedium ſempiternum. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Quibus completis P. Prior facta profunda reverentia Sacramento, accipit, ut ſupra, Pixidem, & datá infirmo cum eodem Sacramento benedictione, ordine, quo venerat, revertitur ad Eccleſiam, dicendo alternatim Pſal: 148.

Laudate Dominum de Cælis &c.

ut in Laudibus Dominicæ.

Cum verò perventum fuerit ad Altare, depoſito SS. Sacramento, P. Prior dicat:

℣. Panem de Cælo præſtitiſti eis.
℟. Omne delectamentū in ſe habentem.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti; tribue quæsumus: ita nos Corporis, & Sangvinis tui ſacra Myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Poſtea cum SS. Sacramento benedicit aſtantes, nihil dicens, illudq; reverenter reponit in Tabernaculo, & ſic

omni-

omnino præcepit servare Rit: Romanum. His peractis candelæ extinguantur, & revertuntur omnes in Sacristiam, ex qua recedunt in pace ad Cellas suas.

Decreta S. R. C.

1. S. Ritt: Congregatio declaravit servari debere dictam Cæremoniam thurificandi SS. Sacramentum, inclusum in Pixide, cum defertur pro Viatico infirmis, & cum ipso benedicendum esse populum. 21. *Junii 1738. in Ulixb: Orien.*

2. Pixis in qua proprio velo coopertum defertur SS. Viaticum infirmis, debet etiam cooperiri extremitatibus veli oblongi humeralis. S R. C. *21. Martii 1699. in Bergom.*

3. Parocho rheumate laboranti, & SS. Sacramentum infirmis deferenti, solet indulgeri usus pileoli in itinere, non tamen intra Civitatem, vel oppidum. S. R. C. *5. Martii 1633. in Asculana*

4. Usus pileoli Parocho rheumate laboranti, & Eucharistiam infirmis deferenti, non intra Civitatem, & oppidum, spectat privativè ad Episcopum S. R. C. *10. Junii 1693. in Treviren.*

5. Parochis ministraturis SS. Sacramentum infirmis, non est licitum de die, neque de nocte uti parvo pileolo in delatione ejusdem per Civitatem, sub prætextu alicujus infirmitatis absq; speciali Sanctæ Sedis licentia. S. R. C. *13. Augusti 1695. in Januen.*

CAPUT IV.

Ritus administrandi Sacramentum extremæ Unctionis.

Infirmus Frater sumpto S. Viatico, si non sentiat levamen in sua infirmitate, quamprimùm petat Superiorem, ut ei possit administrari Sacramentum extremæ Sacri Olei unctionis: Quæ antequam ei ministretur, Prælatus, vel P. Prior sumptâ Stolâ, prius dabit ei: Absolutionem generalem à Pæna, & à Culpa, quæ ordinariè datur Monachis Ord: S. Ben: utentibus habitu nigro, auctoritate Privilegiorum, & hæc invenitur in fine cujuscunq; Brev: Monast ci.

Pro extrema itaq; unctione infirmo Religioso ministranda, paretur in cubiculo ejus mensa mappa munda cooperta, cum effigie Crucifixi in medio duorum cereorum accensorum, & in aliqua pelvicula septem distincti globuli bombacii, insuper frustum panis, & paululum salis pro extergendis digitis Sacerdotis

Dato signo conveniant Religiosi in Sacristiam. & P. Prior (cui maxime competit administrare in tali casu Sacramenta) superpelliceo, & Stola Viol: col: indutus, præcedentibus Religiosis cum Cruce, procedit in medio duorum Acolythorum cereos accensos in candelabris portantium, ferens vas sacri Olei infirmorum velo violaceo coopertum; dicentibus alternatim omnibus Psal: Miserere.

Et ut P. Prior pervenerit ad Cellam infirmi Fratris, statim dicit: Pax huic Domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea *Tum vase sacri Olei supra mensam posito, & facta Cruci reverentia, stans versus ægrotum dicit:*

℣. Ad-

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

INtroeat Domine JESU Chriſte, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu æterna felicitas, divina proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna: effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum, adſint Angeli pacis, domumque hanc deſerat omnis maligna discordia. Magnifica Domine ſuper nos Nomen Sanctum tuum: & bene✝dic noſtræ converſationi: ſanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui Sanctus, & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorũ. ℟. Amen.

ORemus, & deprecemur Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ut benedicendo bene✝dicat hoc tabernaculum,

lum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum custodem, & faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege tua: avertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat DEUS in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

EXaudi nos Domine Sancte Pater Omnipotens, æterne DEUS, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cælis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc tabernaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quæ orationes, si tempus non patiatur ex parte, vel ex toto omitti poterunt. Deinde P. Prior aqua benedicta aspergit infirmum, & cubiculum dicens Antiph: Asperges me &c. *cum Psal: &* ℣. Gloria *ut Cap: præc.*

Tum

Tum infirmus, vel alius pro eo dicit: Confiteor DEO omnipotenti &c. *& P. Prior ſubdit:* Miſereatur, & Indulgentiam. *niſi immediate dixiſſet ante S. Viaticum. Deinde confert infirmo, virtute Bullarum Ordinis noſtri Indulgentiam Plenariam in hac forma:*

COncedo tibi plenariam Indulgentiam peccatorum tuorum, facultate mihi conceſſa, & commiſſa, virtute quarumcunque Bullarum Ordinis noſtri. Quod ſi præſens mortis periculum (DEO favente) evaſeris, ſit tibi hæc indulgentia pro vero mortis articulo reſervata.

His dictis circumſtantes Fratres ſtatim recitant Pſalmos Pœnitentiales, & dum Pſalmi recitantur, Sacerdos ſtans ante infirmum dicat benedicendo, & manum ſuper caput infirmi ponendo:

IN nomine Patris †, & Filii †, & Spiritus † Sancti, extingvatur in te omnis virtus diaboli, per impoſitionem manuum noſtrarum, & per invocationem omnium Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum,

Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum. ℞. Amen.

Intincto deinde pollice dextro in Oleo Sancto Infirmorum, inungit infirmum in partibus hic exaratis, quamlibet in modum Crucis, aptando propriis locis verba formæ. Alius vero Sacerdos, vel Frater in Sacris constitutus post quamlibet unctionem tergat loca uncta novo globulo bombacii, ac in vaſe mundo reponat comburendos, & cineres in ſacrarium proiiciendos.

Ad Oculos.

PEr iſtam Sanctam Unctionem ✝✝. & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquiſti. ℞. Amen.

Ad uniuſcujuſque Unctionis formam, vel infirmus (ſi poteſt) vel miniſter Reſpondeat. Amen.

Ad Aures.

PEr iſtam Sanctam Unctionem ✝✝. & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per auditum deliquiſti. ℞. Amen.

Ad

Ad Nares.

PEr istam Sanctam Unctionem, ††. & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per odoratum deliquisti. ℟. Amen.

Ad Os labiis compressis.

PEr istam Sanctam Unctionem, †. & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per gustum, & locutionem deliquisti. ℟. Amen.

Ad Manus.

Quæ Sacerdotibus in parte exteriori inunguntur.

PEr istam Sanctam Unctionem, ††. & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum deliquisti. ℟. Amen.

Ad Pedes.

PEr istam Sanctam Unctionem, ††. & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per gressum deliquisti. ℟. Amen.

Ad Lumbos.

Quæ tamen aut raro, aut nunquam fit.

PEr iſtam Sanctam Unctionem, † & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per lumborum delectationem deliquiſti. ℟. Amē.

Et immediatè ſubdit:

SIt tibi hæc Unctio Olei ſanctificati ad purificationem mentis, & Corporis, & ad munitionem, ac defenſionem contra ſæva jacula immundorum Spirituum. ℟. Amen.

Poſt hæc manibus, ſeu pollicibus Sale, Pane, & aquâ ablûtis, pergit:

Kyrie eleison, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c. *ſecreto uſque ad:*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac ſervum tuum.
℟. DEUS meus ſperantem in te.

℣. Mi-

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orat: &c.
℣. Dominus vobiscum. &c.

OREMUS.

DOmine DEUS, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum Oleô in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei: Cura quæsumus, Redemptor noster, gratiâ Sancti Spiritûs langvores istius infirmi, ejusque sana vulnera, & dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis, & corporis ab eo expel-

pelle, plenamque interiùs, & exteriùs ſanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiæ tuæ reſtitutus, ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas DEUS in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

OREMUS.

RE ſpice, quæsumus Domine, famulum tuum N. in infirmitate ſui corporis ſatiscentem, & animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus, ſe tua ſentiat medicina ſalvatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMUS.

DOmine Sancte Pater Omnipotens, æterne DEUS, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cuſtodis; ad invocationem tui nominis benignus aſſiſte, ut famulum tuum N. ab ægritudine liberatum, ſanitate donatum dextera tua erigas, virtute confirmes,

po-

poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ Sanctæ cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde ſupra infirmum facit ſequentes benedictiones:

DOminus noſter JESUS Chriſtus apud te ſit, ut te † defendat. Intra te ſit, ut te † reficiat. Circa te ſit, ut te † conſervet. Ante te ſit, ut te † deducat. Poſt te ſit, ut te † confortet. Super te ſit, ut te undique muniat, & † benedicat. Spiritus Sanctus deſcendat, & maneat ſuper te. ℟. Amen.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis. ℟. Amen.

Et ſanet omnes langvores tuos. ℟. Amē.

Redimatque de interitu vitam tuam. ℟. Amen.

Et faciat in omnibus bonis deſiderium tuum. Qui ſolus in Trinitate unus DEUS vivit, & regnat in ſæcula ſæculorū. ℟. Amen.

Po-

Poſtea dextera ſua tangendo Caput infirmi, addat.

Sanet te DEUS Pater, qui te creavit in carne.

Sanet te Filius, qui pro te paſſus eſt in Cruce.

Sanet te Spiritus Sanctus, qui tibi infusus eſt in Baptismate.

Sancta & laudabilis Trinitas, unus DEUS gratiam ſuam ad profectum ſalutis animæ, & corporis in te augeat, & ab omni malo te liberet, ac in bono jugiter conservet. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

His peractis eo ordine, quo venerant redeunt in Sacriſtiam, dicentes Pſalmum: Miſerere mei DEUS, *& collocata ampulla Sacri Olei in loco ſuo, recedunt in pace.*

CAPUT V.

Modus adjuvandi Fratres infirmos, & præparandi eos ad mortem.

C*Onfeſſarius, quem ſibi Religioſus infirmus, de licentia ſuorum Superiorum elegerit, ſciat, obligationem ſuam gravem ex eo eſſe, quod omnes modos inquirere*

rere debeat, ut bene ad mortem præparet pœnitentem ſuum: timeatque pariter duriſſimum ſibi imminere judicium pro neglecta debita diligentia, ne anima ejus pro anima illius requiratur; ideoq; quemlibet infirmum juxta rationem ſtatûs, dignitatis, præeminentiæ, & officii ſciat diſponere, ne antiquus inimicus inveniat quid tale, quod moribundo in agone obiicere poſſit.

Præ omnibus tamen maxima adhibenda eſt diligentia, ut ii, qui in ſpeculativis ſcientiis fuerant verſatiſſimi, ſeu ſcholaſtico Philoſophiæ. ac Theologiæ labore fuerant occupati, emittant profeſſionem Fidei, obviando infeſtationibus Sathanæ, qui præcipuè tunc, callidiſſimis argumentis ſuis, æternæ veritati contradicentibus, tentare ſolet; ne ergo ſolo conſenſu, moribundus Frater, aliquam contrahat maculam, & exinde ne fides in eo labefactetur, juxta mentem Bullæ Pii IV. Pon: Max: in manibus Confeſſarii omnino emittat Profeſſionem Fidei juxta formam ſuperius exaratam Par: VI. c. 9. quæ incipit: Ego N. firma fide &c. *uſque ad illa verba:* & hæc Sancta DEI Evangelia *Si vero infirmus, propter debilitatem verbis exprimere non poſſit, ſaltem Confeſſarius eam legat, & æger ſolo nutu annuat, ac corde repetat.*

Præterea infirmo morti proximo, adhuc tamen rationis capaci, Pater Spiritualis (ſi opportunum judicaverit) inſtituet ſequentes petitiones, ſeu quæſtiones, ita moroſè & diſtinctè, ut eas ægrotus percipere poſſit, & ad ea, quantum valet reſpondeat.

Pro

Pro ulteriori ſequentium notitia, Litera S, deſignat Sacerdotem Confeſſarium, ſeu Patrem Spiritualem. Litera verò J. exprimit Infirmi perſonam.

1. *S.* Credis frater chariſſime, omnes articulos fidei; & totam Sacram Scripturam ſecundum expoſitionem ſanctorum Doctorum, & Catholicorum? ℟. *J.* Credo.

2. *S.* Deteſtaris tu, & reprobas omnes hæreſes, & ſuperſtitiones à Sancta matre Eccleſia Catholica damnatas, & reprobatas. ℟. *J.* Reprobo.

3. *S.* Gaudes mori in fide Domini noſtri JESU Chriſti? ℟. *J.* Gaudeo.

4. *S.* Cognoscis te multum offendiſſe Dominum DEUM creatorem tuum, à quo tanta beneficia recepiſti, & à quo habes, quidquid boni habes? ℟. *J.* Cognosco.

5. *S.* Doles ex toto corde de omni offensa contra Dominum DEUM, & te ipſum, & proximum tuum qualitercunque commiſſa? ℟. *J.* Doleo. 6.

6. *S.* Doles de omni negligentia, & omiſſione bene operandi, & de contemptu gratiarum à Domino DEO tibi datarum? ℞. *J.* Doleo.

7. *S.* Doles de omni transgreſſione votorum tuorum, & negligentia in obſervantia regulari admiſſa? ℞. *J.* Doleo.

8. *S.* Doles de his, non timore mortis, vel cujuſcunque pænæ, ſed ſolum ex conſideratione offensæ divinæ bonitatis, quam offendiſti? ℞. *J.* Doleo.

9. *S.* Deſideras recordari omnium peccatorum tuorum oblitorum: ut de ipſis habere poſſis ſpecialem contritionem, & dolorem, & pænitentiam? ℞. *J.* Deſidero.

10. *S.* Proponis de cætero, ſi DEO placuerit, te ab hac ægritudine ſanatum, deinceps toto tempore vitæ tuæ cavere à peccatis mortalibus, & vitam tuam mutare: & potiùs quodcunque damnum temporale, & corporalem mortem ſu-

ſtinere, quam de cætero DEUM per peccatum mortale offendere? ℟. *J.* Propono.

11. *S.* Rogas DEUM, ut te in hoc ſancto propoſito conservet? ℟. *J.* Rogo.

12. *S.* Parcis omnibus inimicis tuis, qui verbo, vel facto, tibi, vel tuis, in aliquo nocuerunt amore Domini DEI tui: à quo etiam tu veniam tuorum peccatorum petis: & hoc non ſolum verbo, ſed corde, & firma voluntate? ℟. *J.* Parco.

13. *S.* Credis non propriis meritis, ſed paſſionis Domini noſtri JESU Chriſti virtute, & merito, ad gloriam pervenire poſſe? ℟ *J.* Credo.

14. *S.* Credis Dominum noſtrum JESUM Chriſtum pro noſtra ſalute mortuum: & propriis meritis, vel alio modo nullum poſſe ſalvari, niſi merito passionis ejus? ℟. *J.* Credo.

15. *S.* Reddisne ei gratias toto corde, quantum potes, & te ipſius paſſioni commendas, & ipsam corde cogitas, & ore, quantum potes, nominas? ℞. *J.* Reddo.

16. *S.* Doles te non poſſe recordari omnium peccatorum tuorum, quibus Dominum DEUM offendiſti in quocunque loco, & cum qualicunque perſona: quæ ſi recordareris, confitereris integraliter? ℞. *J.* Doleo.

17. *S.* Doles, quod poſtquam veniam de peccatis tuis à Domino DEO conſecutus es, recidivans reversus es ad eadem, vel ſimilia, vel majora peccata? ℞. *J.* Doleo.

18. *S.* Si occurrerit tibi diabolus, ei ſemper oppone merita paſſionis Chriſti. ℞. *J.* Opponam.

19. *S.* Si te tentaverit de fide, dices te omnia credere, & confiteri, quæ credit, & confitetur Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia. ℞. *J.* Dicam.

20. *S.* Si Dominus DEUS voluerit te ſecundum peccata tua judicare; dicas: Domine DEUS, ego pono mortem Domini mei JESU Chriſti inter me, & judicium tuum: & quamvis meruerim æternam mortem propter peccata mea, interpono tamen meritum paſſionis ejuſdem, loco meriti, quod ego miser deberem habere, & non habeo. Item, Domine, pono eandem paſſionem, & mortem Domini mei JESU Chriſti inter me, & iram tuam, & in manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.

Finitis petitionibus, ſequentes faciat Infirmus proteſtationes, valde utiles.

Prima Proteſtatio.

IN nomine Sanctiſſimæ Trinitatis: Patris, † & Filii, † & Spiritus † Sancti. Ego N. proteſtor coram te, Sanctiſſime Angele DEI, divina pietate, ex utero matris mihi commiſſo, & coram te Pa-

tre meo N. & coram omnibus vobis circumſtantibus: quod in ea vera fide Catholica', quam Sancta Romana, & Apoſtolica profitetur Eccleſia, & in qua omnes deceſſerunt Sancti, mori deſidero, & volo. Nec ad momentum temporis diutiùs vivere affecto, niſi quantum divinæ placuerit pietati, cui in omnibus conformiter meam ſubiicio voluntatem.

Secunda Proteſtatio.

ITem proteſtor, quod ſub tua angelica protectione, & adjutorio divinæ gratiæ diſcedam: & ſic mori intendo, abſque omni desperatione, & fidei dubitatione; ita, quod neque magnitudo, nec numeroſitas meorum peccaminum in baratrum desperationis me immergere debent: cum ſciam, & veraciter credam, unam Deifici ſui ſanguinis guttam, in ara Crucis effusam ſuffeciſſe in redemptionem totius humani generis, ſi ita placitum fuiſſet divinæ pietati.

Ter:

Tertia Protestatio.

PRoteſtor, quod in casu, ubi ex puſillanimitate ſpiritûs, propter tremendum divinum judicium, cui aſtare debebo: aut dæmonis tentatione, ſeu debilitate rationis (quod DEUS avertat) in aliquam incidere deſperationem, aut fidei dubitationem: hoc ipsum pro nunc ſana mente exiſtens, revoco, caſſo, & pro non tali facto habere volo: eo, quod non animo ſano, & deliberato hoc ipſum eveniret, ſubmittens me totaliter divinæ pietati.

Quarta Protestatio.

PRoteſtor etiam, quod, cum divina miſericordia nulli peccatori contrito, & confeſſo, eamque deſideranti in remiſſionem ſuorum peccaminum denegetur, eandem miſericordiam, & remiſſionem mihi impertiri velit, quam toto corde deſidero: & peto illam conſequi per merita amariſſimæ mortis Chriſti,

& per virtutem pretiosissimi sanguinis sui pro me effusi in ligno sanctissimæ Crucis suæ, & per merita, & preces sanctissimæ suæ Matris Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum Angelorum, & Electorum.

Quinta Protestatio.

PRotestor etiam super hanc petitionem, humili prece porrectam: ut divina pietas me suscipere velit in numerum eorum hominum, quos ab æterno præordinavit, in extremo judicio esse salvandos, si, & in quantum pro meis peccatis exigentibus, tamdiu pænas purgatorias sustinere debeam, dummodo in æternum non secludar à sua pietate.

Sexta Protestatio.

HIs protestationibus præmissis, sanctissime Angele DEI, tibi extremam meam voluntatem, & affectionem, pro testamento animæ meæ commendo; ut tria

tria mihi ex teſtamento Salvatoris impertiri digneris.

PRimo: unum lachrymosum intuitum, & dolorosum ſuspirium, ex innumeris doloribus, quos in cruce pendens tribus horis vivus habuit, ad mitigandum dolorosos meos ſingultus, gemitus, & ſuspiria, quibus nunc premor. Et ut ipsa mater omnis gratiæ, mecum condividere velit unicum cordis ſui Virginei gemitum, dolorosumque ſuspiriũ, ac lachrymosum intuitum, ex innumeris, quos ſub Cruce ſtando, ſuspiriis, & lachrymis habuit, filium, redemptorem humani generis intuendo: ſuscipiendo me in numerum eorum peccatorum, qui veniam, & ſalutem à Domino in extremo judicio, per ſua ſanctiſſima merita, & preces consequentur.

Secundo; Succurrat tua angelica pietas: ut quando miſerum Cor meum ſcindetur, & anima mea misera à corpore

pore ſeparabitur, tunc inveniam placabilem Judicem; intuitu illius divinæ charitatis, in qua amorosum cor ſuum ſcindebatur in Cruce pro ſalute mundi, & ſua diviniſſima anima à diviniſſimo corpore ſeparabatur.

Ultimo: Sanctiſſime Angele Dei, commendo tibi extremam horam vitæ meæ, & exitum animæ meæ gubernando, & ab hoſtibus ſalutis me protegendo: & ut ſuper has proteſtationes velis eſſe, ubi, & quoties opus fuerit, contra omnia pericula ſalutis, fidelis teſtis, & protector.

His peractis, ſi temporis commoditas poſtulaverit, (ſine tamen moleſtia infirmi) legantur coram eo varii actus virtutum, præſertim Fidei, Spei, & Charitatis, aliæque piæ precationes, ut his ſemper Spiritus ad Deum dirigatur. Inſuper ſæpius Pater Spiritualis imaginem Crucifixi Salvatoris ægroto oſculandam præbeat, ac in ſpem ſalutis erigat, cum aliqua tamen inter affectuum expreſſiones repauſatione, aliàs nimia velocitas in his, infirmo moleſtiam, & non levamen afferre poteſt.

Si vero infirmus incipiat agonizare, fiat commendatio animæ, ut in fine Breviarii Monaſtici adjungitur, ad quam convocentur Religioſi crebrioribûs ictibûs campanulæ Capitularis. Si ad refectionem eo tempore ſederint, audito campanulæ ſigno, ad inſinuationem Superioris Lector dicat: Tu autem Domine miſerere nobis. ℟. Deo gratias, *& relicto prandio accurrant omnes. Si verò in opere DEI perſolvendo fuerint congregati, D. Abbas, vel P. Prior coaſſumptîs aliquibûs, ad infirmum ſe conferat, reliquîs ad cœptum opus in Choro perficiendum relictîs, quò completô, etiam ipſi comparebunt. Dictam Commendationem animæ Superior, vel P. Spiritualis devote recitando, indutus ſit ſuperpelliceô, & Stolâ violaceâ, & ſæpius aquâ benedictâ infirmum, lectum, & totum cubiculum aſpergat. Alius verò Sacerdos ſæpius etiam repetat hoc SS. nomen:* JESU, JESU, JESU, *ut in iis verbis animam efflare poſſit.*

CAPUT VI.

Modus ſepeliendi Religioſos defunctos.

SAcras Cœremonias, ac Ritus, quibus, ex antiquiſſima traditione, & ſummorum Pontificum inſtitutis Sancta Mater Eccleſia Catholica in filiorum ſuorum exequiis, uti ſolet, tanquam vera Religionis Myſteria Chriſtianæ pietatis ſigna, & fidelium mortuorum ſaluberrima ſuffragia, Prælati ſummo ſtudio ſervare debent, eaque uſu retinere.

Nul-

Nullum Corpus sepeliatur, præsertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omninò de morte relinquatur dubitandi modus.

Quod antiquissimi est instituti, & decretis S. R. C. præceptum, illud (quantum fieri poterit) retineatur, ut missa præsente corpore defuncti, pro ejus anima celebretur, antequam sepulturæ tradatur.

Postquam aliquis Religiosus jam in Dominö obdormíerit, dictô à præsentibus Respons: Subvenite Sancti DEI &c. *cum ℣ ℟ & Oratione, & aspersô per Superiorem corpore aquâ lustrali, præparetur corpus ad sepeliendum. Et inprimis à duobus Fratribus, cum adjutorio sæcularium, linteô aquâ tepidâ madefactô lavetur, atque ita modestè, honestèque totum lavando mundetur, ut nulla ratione cujusquam, ne quidem ipsius lavantis oculis, (quantum fieri potest) nudum pateat. Deinde induatur vestimentis convenientibus: scilicet Sacerdos, vel Clericus Professus, tunicâ, cingulo, scapulari, & Thoga, seu Cucullo cum caputio. Si verò Novitius, aut Conversus fuerit, tunicâ, cingulo, scapulari, & chlamyde; insuper tibialibus, & crepidis. Sacerdos etiam, sive Professus fuerit, sive Novitius, super utrumque humerum stolam col: viol: defluentem habeat: Cæterum nulla pars corporis, præter faciem, & manus ante pectus junctas, cum parva Cruce, & Rosario à dextera manu pendente, nuda appareat.*

Sic paratum defuncti Religiosi corpus, & repositum supra feretrum, panno nigro coopertum, cum pulvino pariter nigro, ad locum Capituli, vel ad portam Monasterii efferatur, ibi usque in diem sepulturæ, cum duobus

obus saltem luminibus circa Crucem, & Aquâ benedictâ locandum; ut ab adveniente populo facile visitari possit. Quando verò effertur de suo Cubiculo, Superior aquâ lustrali corpus aspergens, in plana recitatione inchòet Psalmum: De profundis clamavi &c. *vel* Miserere mei DEUS &c. *sicque cum nonnullis fratribus ad locum designatum deducat.*

Si D. Abbas alicujus Monasterii obierit, corpus ejus præter tunicam, & scapulare, iisdem vestimentis, & insigniis Pontificalibus indui debet, quibus solemniter celebraturus induebatur, videlicet: Caligîs, Sandaliîs, Amictu, Albâ, Cingulô, Stolâ, Manipulô, Cruce pectorali, Tunicellâ, Dalmaticâ, Chirothecîs, Planetâ Violacei coloris, Annulô & Mitrâ simplici. Statimque (si commodè fieri poterit) transmittatur notitia Ill: D. Præsidi Congregationis, qui etiam rogandus est, ut condescendat pro sepultura, vel saltem pro Exequiis solemnibus, ad peragendum in Pontificalibus Officium sepulturæ. Conducendi etiam erunt alii DD. Abbates viciniores, ut conductus solemnis absolvi possit juxta Rituum præscriptum in Pontif: Rom. Cæterum si distantia loci impedit, saltem unus vicinior D. Abbas rogandus est, ut charitatis Fraternæ officium obeat.

Ad corpus defuncti sive Prælati, sive alterius cujuscunque Religiosi, continuò canatur Psalterium, ab uno, vel duobus Fratribus, turnatim per P. Priorem designatis, etiam nocte, nonnisi tunc adjunctis aliquibus sæcularibus, ut timor à Fratribus canentibus repellatur, & generosiùs in canendo Psalterio perseverent. Hæc enim Psalmorum decantatio ad corpus Religiosi defuncti,

cti, antiquissima est in Ordine nostro Benedictino, cum sic declarent: Cærem: Monast: Congr: Mont: Serr: P. II. dist: VI. c. 3. n. 4. pag: 454. Cærem: Monast: Bened: Rom: P. II. c. 6. n. 8. pag: 115. Rituale Monast: tit: de Expirat: pag: 138. *insuper* Cærem: Bavar: P. IV. §. 13. pag: 277. *ideoque, ut & nunc vigeat, vigilantia dignissimorum Superiorum dictam pietatem promovebit.*

C A P U T VII.

Ordo exportationis Cadaveris Religiosi in Ecclesiam.

QUando corpus Religiosi defuncti humo mandandum erit, omnes Monachi Cucullis induti, dato signo in Sacristiam conveniunt, & tunc præcedentibus duobus Acolythis cum candelabris, & cereis accensis, & Subdiacono cum Cruce Processionali, subsequentibus Religiosis Cucullatis, & Acolytho cum vase Aquæ benedictæ, in ordine suo procedent ad locum, ubi quiescit corpus defuncti Monachi, cereos necdum accensos manibus gestantes, & in silentio incedentes. Ultimus omnium Superior, omninò Albâ, Stolâ, & Pluviali Coloris Nigri indutus, nihilque in manibus portans, nisi Cereum, vel junctas manus ante pectus habens, ibit, quem comitabitur Diaconus, librum tenens, ad sinistram

Cum perventum fuerit ad locum quiescentis corporis, stante Subdiacono inter duos Acolythos ad caput defuncti, versa imagine Crucifixi ad eundem defunctum;

Reli-

Religiosisq; hinc, inde circa feretrum, cum Cereis accensis circumstantibus, Superior cum cœteris Ministris ad pedes defuncti constitutus, juxta declar: P. Bauldry P. III. c. 15. n. 3. *incipit absolutè Ant ph:* Si iniquitates. *& Chorus prosequitur alternatim recitando Psalmum:* De profundis clamavi &c. *cum* ℣. Requiem æternam &c. *& repetitur Ant:* Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit. *Tum duo Cantores intonant:* Kyrie eleison, *& Chorus,* ℟. Christe eleison. Kyrie eleison. *Et Superior clara voce dicit:* Pater noster *reliquum secretò usque ad:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo.
℣. In memoria æterna erit justus.
℟. Ab auditione mala non timebit.
℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi
℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.
℣. Non intres in judicium cum servo tuo Domine,
℟. Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.

℣.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Suscipe Domine, animam famuli tui N. (*Sacerdotis*) quam de ergaſtulo hujus ſæculi vocare dignatus es: & libera eam de locis pænarum; ut quietis, ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter Sanctos, & electos tuos resuscitari mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde defertur corpus in Eccleſiam. D. Abbatis à dignioribus PP. Monaſterii, Sacerdotis à Sacerdotibus, non Sacerdotis verò à Fratribus Sacerdotio non inſignitis; ſed hoc tantum propter aſſiſtentiam; pondus enim ipſum ſuſtinere debent ſæculares perſonæ ad id diſpoſitæ. ne nimis graventur Religioſi inepti ad portanda gravia pondera. Et mox inchòát Superior Antiphonam:

Exultabunt Domino. *Choro proſequente:* Oſſa humiliata

Tum duo Cantores intonant Psalmum 50. Miserere m.i DEUS, *quem omnes decantant procedentes bini, & bini ad Ecclesiam, capitibus opertis.*

Ut pervenerint omnes ad locum, ubi debeat poni feretrum, statim concludunt Psalmum per ℣. Requiem æternam, *licet non sit finitus, & repetunt Antiphonam. Tum Cantore incipiente, decantatur Responsorium:*

Subvenite Sancti Dei: occurrite Angeli Domini: * Suscipientes animam ejus: * Offerentes eam in conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te. * Suscipientes &c. ℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. * Offerentes &c.

Collocato corpore in medio Ecclesiæ, (capite ad Altare majus versô, si Sacerdos fuerit) si fuerit tempus vespertinum (quod convenientiùs foret) inchoentur statim Vesperæ Officii Defunctorum, per Antiph: Placebo Domino &c. *Si verò de mane, absolutis tempestive Horis diurnis in Choro, decantetur Officium Defunctorum incipiendo ab Invitatorio:* Regem cui omnia vivunt: * Venite adoremus *& dicuntur omnes tres nocturni, cum IX. Lectionibus.*

CA-

CAPUT VIII.

Ordo sepulturæ DD. Abbatum.

In die sepulturæ D. Abbatis mortui, curare debet V. Communitas illius Monasterii, ut, quam maxima, superiori suo præstet Suffragia; ideoque vicinos Religiosos, aliosque conducat Presbyteros, qui multiplicatis Missæ Sacrificiis, animæ ejus ferant levamen. Et sic de mane tempestivè absolutis in plana recitatione Horis canonicis, una cum Missa Conventuali; Officium Defunctorum cum tribus Nocturnis, & Laudibus decantatur, post quod Missa Solemnis de Requiem *ab aliquo Prælato celebratur. Qua finita sermo funebralis omnino habeatur, ab aliquo ex dignioribus PP. vel etiam ab invitato Hospite, quia sic decet, & hoc insinuatur in* Cærem: Episc: L. 2. c. 11. P. Bauldry P. I. c. 10. n. 23 & P. III. c. 13 n. 20. Cærem: Bavar: P. IV. §. 13. pag: 277. *Celebrans deposita Planeta, & Manipulo, capit Pluviale, & sedet tempore sermonis: vel in Sacristiam recedit, ad deponendam Casulam, simul cum Dalmatica, Tunicella, & Manipulo, ut ex ea cum 4. Prælatis pro absolutione exeat.*


Interim paretur in capite loci, scilicet ad caput D. Abbatis mortui, repositi in castro doloris, faldistorium in medio pro illo, qui celebravit, & in Quatuor angulis dicti castri doloris præparentur Quatuor Scabella, videlicet in quolibet angulo unum scabellum. Parent

rent ſe etiam ſub tempus ſermonis lugubris Quatuor Prælati, quantum fieri poteſt, ex præſentibus digniores, etiamſi omnes habentes uſum Mitræ Qui ergo utuntur Rochetto, ſuper eo capiant ſtolam, & Pluviale, nigri, vel obſcuri violacei coloris, cæteri autem ſupra ſuperpelliceum capiunt Stolam, & Pluviale nigrum: & Mitram ſimplicem, ſi ea uti poſſint: ſin minùs, Birretum. Omnes ſic parati expectant, donec finiatur ſermo. Quo finito, una cum Prælato Celebrante cæteri procedunt ad caſtrum doloris, ſeu feretrum, ubi abſolutiones fieri conſueverunt, hoc ordine:

Præcedunt duo Acolythi, unus cum Thuribulo, & Navicula incenſi, alter cum Vaſe Aquæ benedictæ, & Aſperſorio. Tum iterum duo Acolythi cum Candelabris, & cereis accenſis, in quorum medio erit Subdiaconus paratus, ille qui in Miſſa cantavit Epiſtolam, deferens Crucem proceſſionalem. Poſt Crucem duo juniores Prælati, deinde duo Seniores, quilibet verò eorum (ſi ſit Mitratus) habeat unum Capellanum, ſolo ſuperpelliceo indutum qui ad Mitram ſerviat, inſuper quilibet habeat Cereum ardentem, ac cum eo procedat. Ultimo loco incedet Prælatus, qui Miſſam celebravit, habens ad ſiniſtram ſuam Diaconum paratum, qui eum comitatur: & poſt cum Capellani ſuperpelliceis induti, atq; Religioſi ad canenda Reſponſoria ordinati.

Venientes ad locum abſolutionis, locantur à Magiſtro Cæremoniarum hoc ordine: ad inſtar hujus ſche-

ma-



matis: Thuriferarius ſignatus literâ T. *cum Acolytho de vaſe Aquæ benedictæ notato per literam* A. *ſubſiſtent prope faldiſtorium Celebrantis ad dexteram quidem tamen retrocedentes. Subdiaconus cum Cruce, deſignatus per literam* S. *medius inter duos Ceroferarios, literâ* C. *ſignatos, ex ſpeciali Pontif: Rom: Rubr: collocabit ſe ad pedes in medio. Junior Prœlatus ſedebit in ſcabello in angulo caſtri doloris, ad pedem dextrum, ubi eſt* P. 4 *Senior Prœlatus ſedebit in ſcabello in angulo ad humerum ſiniſtrum, ſub ſigno* P. 3. *Tertius Prœlatus ſenior, ſeu dignior priore ſedebit in angulo ad pedem ſiniſtrum ſub ſigno* P. 2. *Quartus Prœlatus, qui erit cœteris Prœlatis, excepto celebrante. ſenior, vel dignior, in angulo ad humerum dextrum ſedebit, ad ſignum:* P 1. *Celebrans verò ſub ſigno* †. *notatus. ad caput defuncti in medio ſedebit, ideoq; pro hoc actu, ſi ſit Ciborium in majori Altari, SS. Sacramentum efferatur ad aliquam Capellam, ne tunc Celebrans terga vertat, quia omninò directe contra Crucem ſedere debet. Diaconus inſuper ſub litera* D. *ſemper ſiniſtro lateri Celebrantis adhœrere tenetur.*

Omnibus ſic ordinatis, ſurgit Celebrans detecto capite, omnibus pariter ſurgentibus, & canit in tono lectionis ferialis, abſolutè orationem:

Non

NOn intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quoniam nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio: non ergo eum tua, quæsumus, judicialis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio fidei Christianæ commendat, ſed gratia tua illi ſuccurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret inſignitus eſt ſignaculo Sanctæ Trinitatis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Qua finita omnes ſedent Prælati coopertis capitibus, & Cantore incipiente, Chorus proſequitur:

℟. Subvenite Sancti DEI, occurrite Angeli Domini; * Suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conſpectu Altiſſimi.

℣. Suscipiat te Chriſtus, qui vocavit te: & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te. * Suscipientes &c.

℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. * Offerentes, &c.

Dum canitur ℣. Requiem æternam &c. *Diaconus cum Thuriferario, & Acolutho de vaſe aquæ benedictæ accedunt ad Prælatum ſub ſigno P. 1. qui miniſtrante Diacono Naviculam, ſedens imponit thus in thuribulo, capite operto. Impoſito incenſo Thuriferarius & alter Acolythus conſiſtunt ad dexteram dicti Prælati, & Diaconus ad ſiniſtram. Finito* ℟. *prolixo incipientibus Cantoribus, Chorus decantat:*

Kyrie eleiſon. Chriſte eleison. Kyrie eleiſon.

Et ſtatim ut inchoatur Kyrie eleiſon *primum, ſurgunt omnes Prælati detectis capitibus, & finito ultimo* Kyrie eleiſon, *prædictus ſub n. 1. Prælatus voce intelligibili dicit:* Pater noſter, *ſecretè reliquum complendo. Et ſtatim accepto aſperſorio cum Aqua benedicta de manu Diaconi, capite cooperto aſpergit ſepulturam, ſeu lectum mortuorum, circumcirca progrediens, incipit à ſua parte dextra, ter aſpergendo quamlibet lecti partem lateralem tantum. Diacono à dextris comitante, & fimbrias Pluvialis ſublevante. Dictus Prælatus dum tranſibit ante alios Prælatos, illos ſalutabit inclinatione ſola capitis, & ſimiliter Cruci reverentiam faciet, tranſiens ante illam ad pedes lecti.*

Poſt-

Postquam cum aspersorio circumierit lectum, & ad locum suum redierit, ibidem dimisso aspergillo, ab eodem Diacono capiet Thuribulum, & lecticam similiter circumcirca obeundo thurificabit ter in qualibet parte laterali. Et cum redierit post thurificationem ad locum suum, stans ante suum scabellum detecto capite in tono feriali sequentia canit: ministrante librum Diacono.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius; te supplices deprecamur; ut suscipi jubeas animam famuli tui N. Abbatis per manus sanctorum Angelorum tuorum, deducen-

dam

dam in ſinum amici tui Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamque in noviſſimo judicii magni die; & quidquid vitiorum, diabolo fallente contraxit, tu pius, & misericors abluas indulgendo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Finita Oratione, omnes Prœlati ſedent capite tecto, Diaconus, Thuriferarius ac alter Acolythus cum vaſe aquœ benedictœ recedunt ad priora loca ſua, & Chorus cantat Reſponſorium ſequens:

℟. Qui Lazarum resuscitaſti à monumento fœtidum: * Tu eis Domine dona requiem, & locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. * Tu eis &c

℣. Requiem æternam &c. * Tu eis Domine &c.

Incepto ℣. Requiem æternam, *denuò prœdicti Miniſtri, ſcilicet Diaconus, Thuriferarius, & Acolythus de vaſe Aquœ benedictœ accedunt ad alterum Prœlatum, qui ſedet in angulo ad pedem ſiniſtrum, ſub ſigno* P. 2. *Qui, miniſtrante Diacono Naviculam, & Thuriferario*

 thuri-

thuribulum, imponit incensum, ut supra; finito ℟. omnes surgunt detectis capitibus, & Chorus cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et statim dictus Prœlatus sub n. 2. qui imposuit incensum in thuribulum, dicit voce intelligibili: Pater noster, *complendo reliqua secretò. Tum sine mora capit aspersorium cum Aqua lustrali de manu Diaconi, & incipiens à sua parte dextra, circuit castrum doloris, aspergit tertiò in utraque tantum parte laterali tumbæ; similiter in loco suo accipit thuribulum, & circumcirca progrediens thurificat, ut priùs dictum est. Cum verò redierit post thurificationem ad locum suum, stans ante scabellum canit sequentia:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

ORE-

OREMUS.

FAc, quæsumus Domine, hanc cum ſervo tuo N. Abbate defuncto miſericordiam; ut factorum ſuorum in pænis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem; ut ſicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis, ita eum illic tua miseratio ſociet choris Angelicis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Quâ finitâ, omnes ſimul ſedent capitibus tectis, & Miniſtri ab illo Prælato recedunt, Chorus verò cantat Reſponſorium:

℟. Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abſcondam à vultu iræ tuæ? * Quia peccavi nimis in vita mea.

℣. Commiſſa mea paveſco, & ante te erubeſco: dum veneris judicare, noli me condemnare. * Quia peccavi &c.

℣. Requiem æternam &c. * Quia pec:&c.

Inchoato ℣. Requiem æternam, *prædicti* ℟. *Miniſtri, ut ſupra, accedunt ad tertium Prælatum qui ſe-*

 det

det in angulo ad ſiniſtrum brachium tumbæ, ſub ſigno: P. 3. *qui imponit conſveto more incenſum in thuribulum. Et finito* ℟. *omnes ſimul ſurgunt, & detegunt capita ſua, Tum Chorus canit:* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon, *poſtea prædictus Prælatus voce intelligibili dicit:* Pater noſter, *complendo reliqua ſecretò, & mox accipit aſperſorium cum aqua benedicta de manu Diaconi, & incipiens à ſua parte dextera circuit caſtrum doloris, aſpergendo ter in utraq; parte laterali tumbæ. Similiter capit Thuribulum, & circumcirca thurificat, ut priùs dictum eſt. Cum autem redierit ad locum ſuum, ſtans ante ſcabellum, decantat in tono feriali ſequentia:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

INclina Domine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tu-

am: ſupplices deprecamur; ut animam famuli tui N. Abbatis, quam de hoc ſæculo migrare juſſiſti, in pacis, ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Hoc finito omnes cum Mitra ſedent, miniſtri verò recedunt ad Celebrantem, & Chorus decantat ſequens Reſponſorium:

℟. Ne recorderis peccata mea Domine, * Dum veneris judicare ſæculum per ignem. ℣. Dirige Domine DEUS meus, in conſpectu tuo viam meam. * Dum &c. ℣. Requiem æternam, &c. * Dum veneris. &c.

Dum in prædicto ℟ *cantatur verſiculus* Requiem æternam, *denuò Diaconus, Thuriferarius, & alius Acolythus accedunt ad Prælatum ſedentem in angulo ad pedem dextrum, ſub ſigno* P. 4. *& miniſtrant ei thuribulum, & Naviculam, qui ſolito more imponit incenſum in thuribulum, adhuc ſedendo. Finito* ℟. *omnes ſurgunt, & diſcooperiunt capita ſua, moxque Chorus cantat:*

Kyrie eleison. Chriſte eleison. Kyrie eleiſon.

Prædictus verò Prælatus ultimus intelligibili voce dicit: Pater noſter, *complendo reliquum Orationis Dominicæ ſecretò Et interim accepto de manu Diaconi aſperſorio cum aqua benedicta, aſpergit ſepulturam, circumcirca progrediens, & incipiens à parte ſua dextera, terque aſpergit quamlibet partem lateralem tumbæ: Diacono à dextris comitante, & fimbrias Pluvialis ſublevante. Dum verò tranſit ante alios Prælatos, illos ſalutat, & pariter Cruci reverentiam faciet, tranſiens ante illam ad pedes lecticæ. Poſtquam cum aſperſorio circumierit ſepulturam, & ad locum ſuum redierit, ibidem, ab eodem Diacono capiet thuribulum, & eandem lecticam ſimiliter circumcirca thurificabit, tertio in qualibet parte laterali thuribulum ducens: Et cum redierit poſt thurificationem ad locum ſuum, dimiſſo thuribulo, & tenente librum Diacono, ſtans ante ſcabellum ſuum in tono feriali canit ſequentia:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟ Erue Domine animam ejus.
℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

ABſolve, quæsumus Domine, animam famuli tui N. Abbatis, ab omni vinculo delictorum; ut in resurrectionis gloria inter Sanctos, & Electos tuos resuscitatus respiret. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Finita oratione, iterum omnes ſedent ſub Mitra, Miniſtri recedunt ad Celebrantem, & Chorus decantat Reſponſorium:

℟. Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda: * Quando cæli movendi ſunt, & terra: * Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Tremens factus ſum ego, & timeo, dum discuſſio venerit, atque ventura ira. * Quando cæli &c.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ, dies magna, & amara valde. * Dum veneris &c.

℣.

℣. Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Libera me Domine &c. *usque ad* ℣.

Dum in prædicto Responsorio inchoatur Versiculus: Requiem æternam. *Thuriferarius, & Acolythus de vase aquæ benedictæ propius accedunt ad dexteram Celebrantis, ubi Diaconus acceptâ Naviculâ ministrat incensum, & Thuriferarius thuribulum; Celebrans sedens imponit incensum in thuribulum. Interim finito* ℟. *canitur à Choro:*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et ut inchoatum fuerit primum Kyrie. *statim omnes surgunt detectis capitibus. Finito ultimo* Kyrie *Celebrans intelligibili voce dicit:* Pater noster, *quod secreto complet. Interim acceptô de manu Diaconi aspersoriô cum aqua benedicta, circumcirca obambulans, & à sua parte dextera incipiens, aspergit sepulturam ter in qualibet parte laterali tumbæ; Diacono á dextris comitante, & fimbrias Pluvialis elevante. Dum transibit ante alios Prælatos illos pariter salutabit, & similiter Cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecticæ. Postquam cum aspersorio circumierit castrum doloris, & ad locum suum redierit, ibidem, ob eodem Diacono capiet thuribulum, & similiter circumcirca obeundo, tumbam ter thurificabit in qualibet parte la-*

te laterali. Cum autem redierit poſt thurificationem ad locum ſuum, reddito thuribulo, & miniſtrante librum Diacono, ſtans ante faldiſtorium, cantat in tono feriali ſequentia:

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

ABsolve, quæsumus Domine, animám famuli tui N. Abbatis, ut defunctus ſæculo tibi vivat: & quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commiſit, tu veniâ miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

De-

Deinde Celebrans manu dextra faciens ſignum Crucis ſupra lecticam, dicit:

℣. Requiem æternam dona ei Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.

Tum duo ex Cantoribus dicunt alta voce:

Requieſcant in pace. ℟ Amen.

Et Prælatus Celebrans ſuperaddit, voce intelligibili dicendo:

Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam DEI requieſcant in pace. ℟. Amen.

Hoc dicto Prælati, qui utuntur Mitris, eas recipiunt, & omnes eo ordine, quo venerant, revertuntur in Sacriſtiam, ubi deponunt ſacras veſtes, & recedunt in pace. Interim verò canitur in Choro: Salve Regina &c.

Si verò tunc Corpus tradatur Sepulturæ, ne propter tumultum fiat aliqua perturbatio inter Prælatos, dictâ à Celebrante ultima Oratione, Quatuor prælati recedunt in Sacriſtiam, & mox in Choro canitur Antiph:

In paradiſum deducant te Angeli: in tuo adventu ſuſcipiant te Martyres, & perducant te in civitatem Sanctam Jeruſa-

rusalem. Chorus Angelorum te ſuſcipiat, & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Hoc finito ſtatim inchoatur Antiph: Ego ſum: *quæ non duplicatur, ſed ſtatim duo Cantores inchòánt, Choro proſequente Canticum:* Benedictus Dominus Deus Iſràél &c *Interim Prælatus ſolus Celebrans cum miniſtris & Religioſorum Cœtu deducit corpus ad oram Sepulchri, ubi, quantum commoditas loci permiſerit, circumcirca conſiſtunt. Et à Celebrante benedicitur locus ſepulturæ. Licet enim Eccleſia ſit conſecrata, vel benedicta, ſemper tamen locus ſepulturæ benedici debet. Ita* P. Bauldry P. III. c. 15. n. 11. ex Rit: Rom: *declarat. Ideo antequam finiatur canticum, prius Celebrans ſine Mitra, abſolutè dicit ſequentem Orationem.*

OREMUS.

DEUS, qui fundaſti terram, & formaſti Cælos, qui loca ſyderibus ſtabilita fixiſti, qui captivum laqueo mortis hominem, lavacri ablutione reparaſti, qui ſepultos Abraham, Iſaac, & Jacob in ſpelunca duplici, in libro vitæ, atque totius gloriæ principes annotaſti benedicendos: ita bene✝dicere digneris, &

 hunc

hunc tumulum ſamuli tui N. Abbatis, ut hic eum requiescere facias, & in ſinu Abrahæ, Jſaac, & Jacob collocare digneris; qui Dominum noſtrum JESUM Chriſtum contritis laqueis infernorum resurgere, ſe, ſuorumque credentium membra ſuscitare voluiſti: respice Domine ſuper hanc fabricam ſepulturæ: descendat ad eam Domine Spiritus Sanctus tuus; ut, te jubente, ſit in hoc loco famulo tuo N. Abbati quieta dormitio; & tempore judicii tui cum Sanctis omnibus vera resuscitatio, præſtante eodem Domino noſtro JESU Chriſto, qui tecum, & cum eodem Spiritu Sancto vivit, & regnat DEUS in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Finito Cantico, & repetitâ Antiphonâ cantores intonant:

Kyrie eleiſon. *& Chorus reſpondet:* Chriſte eleiſon. Kyrie eleison.

Tum Celebrans: Pater noſter, *& complet reliquum*

quum ſecretò. Interim impoſito incenſo, aſpergit corpus, & tumulum, pariter incenſat corpus, & tumulum, tunc, & non poſt Orationem; (ut quidam prætendunt) *ſic enim declaravit* P. Bauldry loc: cit: n. 14. ex Rit: Rom: & peritorum ſententiis. *Poſtea Prælatus Celebrans in tono feriali canit ſequentia:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine,
℟. Quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

SAtisfaciat tibi, quæsumus Domine DEUS noſter, pro anima famuli tui N. Abbatis, beatiſſimæ DEI genitricis ſem-

per-

perque Virginis MARIÆ, & Sanctissimi Confessoris tui Benedicti, omniumque Sanctorum tuorum oratio, & præsentis familiæ tuæ humilis, & devota supplicatio: ut peccatorum omnium veniam, quam precamur, obtineat, nec eum patiaris cruciari gehennalibus flammis, quem Filii tui Domini nostri JESU Christi pretioso Sangvine redemisti. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona ei Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.

Hic nota: si adhuc brevis aliqua adhortatio habenda est, (quod certè conveniret) statim habeatur, & eâ finitâ, duo Cantores alta voce decantant:

Requiescant in pace. ℟. Amen.

Et Celebrans subdit: ℣.

Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam DEI requiescant in pace. ℟. Amen.

Mox

Mox Celebrans cum Miniſtris recedit in Sacriſtiam; eo autem recedente demittunt Corpus in Sepulchrum, & non prius, quia P. Bauldry loc: cit: ex Rit: Rom: *adnotavit:* Quod corpus ſepeliri non debeat dum dicitur Antiph: *Ego ſum &c.* & Canticum *Bene-„ dictus*, & preces, quæ dicuntur, ſed tantum, quan-„ do dictis precibus, & Oratione omnes redeunt in „ Eccleſiam, ita, ut non ſit Clerus præſens, dum cor-„ pus ſepelitur. Item quod Sacerdos non debeat „ ter proiicere terram ſuper Corpus defuncti, ante-„ quam ſepeliatur; hæc enim adverſari videntur Ri-„ tuali Romano. „

Inſuper notandum eſt, quod prædictus major conductus, ſeu abſolutiones Quinque non in omnibus exequiis fieri debeant, ſed tantum in primis exequiis, quæ fieri ſolent poſt obitum; neque etiam in anniverſariis; quia ſic diſpoſuit: Pontif: Rom: à Bened: XIV. P. M. recognitum, & caſtigatum P. III. tit: 28.

CAPUT IX.

Ordo Sepulturæ antiquæ Benedictinæ Patrum, & Fratrum.

I*Nhærendo ordinationi Reverendiſſimi Definitorii Capituli Generalis 1774. in Monaſterio Tynecenſi celebrati, & diſpoſitioni Breviarii Monaſtici edit: Campidonen: & Einſidlen, quæ in his remittunt ad Rituale Monaſticum, Ordinem Sepulturæ Benedictinæ ab antiquo*

præ-

præscriptum, & immemorabili consvetudine in Ordine nostro usitatum, sequentibus paginis exaramus.

Decantato Officio Defunctorum usq; ad Laudes exclusivè. terminetur illud, statim post ultimum ℟. *& dicatur à Superiore intelligibili voce* Pater noster &c: *secretò, tum, sine Psalmo.* ℣. Et ne nos inducas &c. *cum cæteris* ℣℣. *& Oratione, quæ notatur in Breviario Monastico in depositione Defuncti. Deinde celebratur Missa.*

Diximus: usque ad Laudes exclusivè, *nam debent prætermitti Laudes Officii Defunctorum, ideò, quia infra positi Psalmi, ex Rubrica dicti Ritualis Monastici, dicuntur pro Laudibus supra sepulchrum, ut patebit ex Rubrica inferius expressa.*

Sub finem Missæ distribuuntur Cerei omnibus Religiosis in Choro; finita vero Missa, Celebrans descendit in planum ad cornu Epistolæ, deponit Planetam, & Manipulum Si vero D. Abbas celebravit, etiam Dalmaticam. & Tunicellam. Ministri etiam sacri suos Manipulos deponunt. Subdiaconus accepta Cruce Processionali consistit ante Altare cum Ceroferariis cereos accensos in candelabris suis habentibus. donec Celebrans induatur Pluviali Col: Nigri, proceduntq; ad castrum doloris sequenti ordine:

Præcedunt: Thuriferarius portans thuribulum & Naviculam, cum Acolytho de vase Aquæ benedictæ, post eos Subdiaconus cum Cruce, medius inter duos Ceroferarios. deinde Religiosi cucullati, cum accensis cereis, ordine suo, bini. & bini incedunt. quos subsequetur Celebrans, manibus ante pectus junctis, & neque Cru-

cem,

cem, neque instrumentum pacis portabit, alias esset contra omnem Rubricam: Diaconus etiam paratus à sinistris comitabitur Celebrantem, librum ante pectus sustinendo. Locant se ergo omnes respectivè ad Subdiaconum, qui semper ad caput defuncti stare tenetur, juxta Decr: S. R. C. 3. Septembris 1746. in una Massæ & Populoni. *Et licet cap: præc: declaratum est, quod Subdiaconus cum Cruce stare debeat ad pedes feretri, seu Cadaveris Abbatis, hoc tamen speciali Rubricâ, propter solemnem in Pontificalibus absolutionem decisum est in* Pontif: Romano à Benedicto XIV. recognito. *Lege autem ordinariâ, alia facta est dispositio à S. R. C.*

Cum ergo non eodem modo corpus defuncti locatur in Ecclesia, nec eodem semper modo locant se tam Celebrans, quam reliqui. Si igitur sepultura erit Sacerdotis, cujus caput versùs Altare majus repositum conspicitur, Subdiaconus cum Cruce stabit inter altare majus & feretrum, recedendo parum ad partem Evangelii, ne terga vertat Altari, & Celebrans inter feretrum, & portam Ecclesiæ in medio locabit se ad pedes defuncti; Religiosi verò Seniores propiùs ad Celebrantem, & juniores propiùs ad Subdiaconum persistent. Si verò sepultura fuerit alicujus, qui necdum sit Sacerdotali charactere insignitus, licet etiam Diaconi, quia caput talis cadaveris locatur versùs portam Ecclesiæ, ideo Celebrans stabit inter feretrum, & Altare majus parùm recedens ad cornu Epistolæ, ne terga vertat altari, & Subdiaconus cum Cruce stabit inter feretrum, & portam Ecclesiæ in medio. Tunc ergo Seniores Religiosi respicient Celebrantem consistendo prope eum, & juniores

prope Subdiaconum. Thuriferarius, & Acolythus de vase aquæ benedictæ locabunt se propè Celebrantem, quasi ad dexteram ipsius, retrò tamen.

Sic constitutis omnibus, & Cereos ardentes in manibus gestantibus, Celebrans absolutè inchòát conductum ab oratione, cantando eam in tono lectionis.

NOn intres in judicium cum servo tuo Domine; quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed gratiâ tuâ illi succurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo Sanctæ Trinitatis. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et statim Cantores incipiunt Choro prosequente Responsorium: Subvenite Sancti DEI &c. *ut supra Cap: 7. in exportatione.*

Interim Celebrans ad finem dicti Responsorii imponit & benedicit incensum, ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum. Finito Responsorio Cantores duo cantant: Ky-

Kyrie eleiſon *Chorus verò.* Chriſte eleiſon. Kyrie eleison

Tum Celebrans intelligibili voce dicit: Pater noſter, *reliquum ſecretò complet: & ſtatim omnes genuflectunt uſque ad finem Orationis. Celebrans verò accepto de manibus Diaconi aſperſorio, circuit feretrum, incipiendo à parte ſua dextra, & aſpergit ter in qualibet laterali parte tumbæ, Diacono à dextris comitante, & fimbrias Pluvialis elevante, quod ſemper facit in pari caſu: tranſeundo vero ante Crucem, & Altare, licet Celebrans tantum ſe profundè inclinet, ipſe tamen Diaconus ſemper genuflectere debet. Deinde Celebrans dimiſſo aſperſorio in loco ſuo, & accepto thuribulo eodem modo incenſat circumeundo feretrum, quo aſperſerat. Reverſus ad locum ſuum, & reddens thuribulum, miniſtrante Diacono librum, canit ſequentia:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℞. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℞. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℞. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℞. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℞. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius, te ſupplices deprecamur; ut ſuſcipi jubeas animam famuli tui N. per manus Sanctorum Angelorum, deducendam in ſinum amici tui Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamque in noviſſimo judicii magni die: & quidquid vitiorum fallente diabolo contraxit; tu pius, & misericors abluas indulgendo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde cantatur à Choro 2. Reſponſorium.

Ne recorderis peccata mea Domine, * Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Dirige Domine DEUS meus, in conſpectu tuo viam meam. * Dum veneris &c.

℣. Requiem æternam, &c. * Dum veneris. &c.

Ad cujus Reſponſorii finem Celebrans imponit, ac benedicit incenſum: finito vero Reſpon: decantat Chorus:

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

Tum Celebrans clara voce dicit: **Pater noſter:** *complens illud ſecreto, tandem aſpergit & incenſat corpus, eodem, quo ſupra diximus modo. Finita incenſatione conſtitutus in loco ſuo, in tono feriali canit ſequentia.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

FAc, quæſumus Domine, hanc cum ſervo tuo N. defuncto miſericordiam, ut factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit vo-

lunta-

luntatem: ut ſicut hic eum vera fides junxit ſidelium turmis, ita illic eum tua miseratio ſociet Angelicis choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Denuo cantatur à Choro 3. Reſponſorium.

Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda: * Quando cæli movendi ſunt, & terra: * Dum veneris judicare ſæculum per ignem.

℣. Tremens factus ſum ego, & timeo, dum discuſſio venerit, atque ventura ira. * Quando cæli &c.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miſeriæ, dies magna, & amara valde. * Dum veneris &c.

℣. Requiem æternam &c. Libera me Domine &c.

In fine Reſponſorii Celebrans imponit, & benedicit incenſum, & eo finito canitur à Choro:

Kyrie eleison. Chriſte eleison.
Kyrie eleison.

Tan-

Tandem Celebrans dictô clara voce: Pater noſter: *complet illud ſecretò & aſpergit denuò, ac thurificat Corpus, ut priùs. Quo facto omnibus genuflexis ipſe ſtat in loco ſuo, & in tono feriali canit ſequentia:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

ABsolve, quæsumus Domine, animam ſamuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat; & quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commiſit, tu veniâ misericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

His peractis defertur corpus ad tumulum, eo ordine, quo allatum fuit ad Eccleſiam. Interim canitur Antiph:

In

IN paradisum deducant te Angeli: in tuo adventu suscipiant te Martyres, & perducant te in civitatem sanctam Jerusalem. Chorus Angelorum te suscipiat; & cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Et statim accedentes ad oram Sepulchri, recitat Chorus pro Laudibus sequentes Antiphonas, & Psalmos in persona defuncti, ritu duplici:

Antiph: Aperite mihi portas justitiæ: ingressus in eas confitebor Domino.

Psalmus 117.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israël quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in sæculum misericordia ejus.

De

De tribulatione invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos.

Bonum eſt confidere in Domino: quam confidere in homine.

Bonum eſt ſperare in Domino: quam ſperare in principibus.

Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia ultus ſum in eos.

Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: & in nomine Domini, quia ultus ſum in eos.

Impulſus, eversus ſum, ut caderem: & Dominus ſuscepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.

Vox exultationis & ſalutis: in tabernaculis juſtorum.

Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, ſed vivam: & narrabo opera Domini.

Caſtigans, caſtigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, juſti intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli.

A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc eſt dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

O! Domine ſalvum me fac! o Domine bene proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini.

Be-

Benediximus vobis de domo Domini: DEUS Dominus & illuxit nobis.

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis: uſque ad cornu altaris.

DEUS meus es tu, & confitebor tibi: DEUS meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum misericordia ejus.

Requiem æternam &c.

Antiph: Aperite mihi portas juſtitiæ: ingreſſus in eas confitebor Domino.

Antiph: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum DEI.

Pſalmus 41.

QUemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te DEUS.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?

Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt DEUS tuus?

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum DEI.

In voce exultationis, & confeſſionis: ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea: & quare conturbas me?

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.

Abyſſus abyſſum invocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui: ſuper me tranſierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam ſuam: & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam DEO ſusceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo: dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur oſſa mea: exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies, ubi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei & Deus meus.

Requiem æternam &c.

Antiph: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, uſque ad domum DEI.

Antiph: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Pſalmus 131.

MEmento Domine David: & omnis manſvetudinis ejus. Si-

Sicut juravit Domino: votum vovit DEO Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ: si ascendero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino: tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata: invenimus eam in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Surge Domine in requiem tuam: tu & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam: & Sancti tui exultent.

Propter David servum tuum: non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum: & testimonia mea hæc quæ docebo eos.

Et filii eorum usque in sæculum: sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam: pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari: & Sancti ejus exultatione exultabunt.

Jlluc producam cornu David: paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Requiem æternam &c.

Antiph: Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Antiph: De terra formasti me, carne

indui-

induiſti me, redemptor meus Domine: reſuscita me in noviſſimo die.

Pſalmus 138.

DOmine probaſti me, & cognoviſti me: tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

Intellexiſti cogitationes meas de longe: ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti.

Et omnes vias meas prævidiſti: quia non eſt ſermo in lingva mea.

Ecce Domine tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua: tu formaſti me, & posuiſti ſuper me manum tuam.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.

Quò ibo à ſpiritu tuo: & quò à facie tua fugiam?

Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi descendero in infernum ades.

Si ſumpsero pennas meas diluculo: & habitavero in extremis maris.

Etė-

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obſcurabuntur à te; & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de utero matris meæ.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es; mirabilia opera tua: & anima mea cognoſcit nimis.

Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui; & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.

Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc ſum tecum.

Si occideris Deus peccatores: viri ſangvinum declinate à me.

Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate civitates tuas

Nonne qui oderunt te Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabescebam?

Perfecto odio oderam illos: & inimici facti ſunt mihi.

Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognosce ſemitas meas.

Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna.

Requiem æternam &c.

Antiph: De terra formaſti me, carne induiſti me, redemptor meus Domine: resuscita me in noviſſimo die.

Antiph: Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens

Psalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam; auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua juſtitia.

Et non intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus eſt inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris ſicut mortuos ſæculi; & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus: in me turbatum eſt cor meū.

Memor fui dierum antiquorum; meditatus ſum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit Spiritus meus.

Non avertas faciem tüam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Audi-

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te ſperavi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulē: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi; doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animā meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniā ego ſervus tuus ſum.

Requiem æternam &c.

Antiph: Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine: quia non juſtificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Hic jam in Cantu proſequi poſſunt:

Antiph: Omnis ſpiritus laudet Dominum.

Psalmus 148.

LAudate Dominum de cælis: laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum ſol, & luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen.

Laudate eum cæli cælorum: & aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta ſunt: ipse mandavit, & creata ſunt.

Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptũ posuit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus.

Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

Beſtiæ, & universa pecora: ſerpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes judices terræ.

Juvenes & Virgines; ſenes, cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.

Confeſſio Ejus ſuper Cælum, & terram: & exaltavit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus: filiis Jsràél, populo appropinquanti ſibi.

Pſalmus 149.

CAntate Domino canticum novum: laus ejus in Eccleſia Sanctorum.

Lætetur Jsràél in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro: in tympano, & pſalterio psallant ei.

Quia beneplacitũ eſt Domino in populo ſuo: & exaltabit mansvetos in ſalutem.

Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptũ: gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus.

Pſalmus 150.

LAudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

Requiem æternam &c.

Antiph: Omnis Spiritus laudet Dominũ.

℣. Audivi vocem de cælo dicentem mihi.

℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

An-

Antiph: ad Benedictus. Ego ſum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me: non morietur in æternum.

Canticum Zachariæ Lucæ I.

BEnedictus Dominus Deus Jsràël: quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo David pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os Sanctorum: qui à ſæculo ſunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui Sancti.

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.

Ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſerviamus illi.

In ſanctitate, & juſtitia coram ipso: omnibus diebus noſtris.

Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus: in remiſſionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitavit nos oriens ex alto.

Jlluminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Requiem æternam &c.

Antiphona. Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me: non morietur in æternum.

Interim dum ſuprapoſitæ Laudes recitantur à Choro, Celebrans aſtantibus ſibi Miniſtris benedicit omninò Sepulchrum, licet Eccleſia ſit conſecrata, & infraſcriptas legit preces; dicens abſolutè:

OREMUS.

DEUS, qui fundaſti terram, & formaſti Cælos, qui loca ſyderibus ſtabilita fixiſti, qui captivum laqueo mortis hominem, lavacri ablutione reparaſti, qui ſepultos Abraham, Jſaac, & Jacob in ſpelunca duplici, in libro vitæ, atque totius gloriæ principes annotaſti benedicendos; ita bene † dicere digneris, & hunc tumulum famuli tui N ut hic eum requiescere facias, & in ſinu Abrahæ, Jſaac, & Jacob collocare digneris: qui Dominum noſtrum JESUM Chriſtum contritis laqueis infernorum resurgere, ſe, ſuorumque credentium membra ſuscitare voluiſti: reſpice Domine ſuper hanc fabricam ſepulturæ, deſcendat ad eam Domine Spiritus Sanctus tuus: ut te jubente ſit in hoc loco famulo tuo N. quieta dormitio; & tempore judicii tui cum Sanctis omnibus vera reſuſcitatio; præſtante eodem Domino noſtro

JESU

JESU Chriſto, qui tecum, & cum eodem Spiritu Sancto vivit, & regnat DEUS in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

ORemus fratres chariſſimi, pro ſpiritu fratris noſtri N. quem Dominus de laqueo hujus ſæculi liberare dignatus eſt, cujus corpusculum hodie ſepulturæ traditur, ut eum pietas Domini in ſinu Abrahæ, Jſaac, & Jacob collocare dignetur: ut cum judicii dies advenerit, inter Sanctos, & Electos ſuos eum in parte dextera collocandum resuscitari faciat. PerChriſtũ Dominũ noſtrũ. ℟. Amen.

OREMUS.

DEUS cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo fidelium corpora, ſed mutantur in melius, te ſupplices deprecamur, ut quidquid anima famuli tui N. vitiorum, tuæque contrarium voluntati, fallente Diabolo, ſeu propria iniquitate, vel fragilitate contraxit, tu pius, ac misericors abluas indulgendo; eam-

que ſuſcipi jubeas per manus ſanctorum Angelorum tuorum deducendam in ſinũ Patriarcharum, & Prophetarum tuorum, Abrahæ ſcilicet amici tui, Jſaac electi tui, & Jacob dilecti tui: in quo auſugit dolor, atque triſtitia, & ſuſpirium: fidelium quoque animæ felici jucunditate lætantur: & in noviſſimo judicii magni die inter Sanctos, & electos tuos eam facias perpetuæ gloriæ percipere gaudia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, diligentibus te præparata. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMUS.

TEmeritatis quidem eſt Domine, ut homo hominem, cinis cinerem, mortalis mortalem tibi Domino Deo noſtro audeat commendare: ſed quia terra ſuſcipit terram, & pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in ſuam redigatur originem, inde tuam, piiſſime

Pater lachrymabiliter quæsumus pietatem, ut hujus famuli tui N. animam, quam de hujus sæculi cænulenta voragine ducis ad patriam, Abrahæ amici tui sinu recipias, & refrigerii rore perfundas. Sit ab æstuantis gehennæ truci incendio segregata, & beatæ requiei tuæ, te donante conjuncta: & si quæ sunt illi Domine dignæ cruciatibus culpæ, tu ei gratiâ mitissimæ lænitatis indulge: nec peccati recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, sed indulgentiæ tuæ piam sentiat bonitatem: cumque finito mundi termino supernum cunctis illuxerit regnum, novus homo Sanctorum omnium cœtibus aggregatus, cum electis tuis resurgat in parte dextera collocandus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

OPus est misericordiæ, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus,

orare pro aliis: ſuscipe ergo, rogamus, animam famuli tui N. venientem ad te. Adſit ei Angelus teſtamenti tui Michàél, & per manus ſanctorum Angelorum tuorum, inter Sanctos, & electos tuos in ſinibus Abrahæ, Iſaac, & Jacob Patriarcharum tuorum eam collocare digneris. Libera eam Domine de principibus tenebrarum, & de locis pænarum, ne famulus tuus N. ullis jam primævæ nativitatis, vel ignorantiæ confundatur erroribus: ſed potiùs agnoscatur à tuis, & miſericordia bonitatis tuæ ad locum refrigerii, & quietis, in ſinum Abrahæ transferatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMUS.

DEbitum humani corporis ſepeliendi officium, fidelium more complentes, te Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecamur: ut hoc corpus fratris noſtri N. à nobis in infirmitate ſepultum,

in ordine Sanctorum tuorum resuscites, & ejus spiritum Sanctis, ac fidelibus aggregari jubeas, cum quibus inenarrabili gloria, & perenni felicitate perfrui mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui humano corpori animam inspirare dignatus es; dum te jubente pulvis redit in pulverem, tu imaginem tuam cum Sanctis & Electis tuis æternis sedibus jubeas sociari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*His omnibus expletis, & Laudibus pariter, & Be*nedictus *cum suis Antiphonis decantatis, Celebrans intelligibili voce dicit:* Pater noster. *Et completo eo secretò, accipit aspersorium, tumulum, & tumbam cum corpore aspergit, ac incenso adolet: longiùs tamen, & non tam propè stando; deinde omnibus adhuc genuflexis ipse stans canit sequentia:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos à malo.

Non

℣. Non intres in judicium cum ſervo tuo Domine.
℟. Quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

SAtisfaciat tibi, quæſumus Domine DEUS noſter, pro anima famuli tui, Fratris noſtri N. Beatiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis MARIÆ, & Sanctisſimi Confeſſoris tui Benedicti, omniumque Sanctorum Tuorum oratio, & præſentis familiæ tuæ humilis, & devota ſupplicatio, ut peccatorum omnium veniam, quam precamur, obtineat, nec eum patiaris cruciari gehennalibus flammis,

quem

quem filii tui Domini noſtri JESU Chriſti pretioso Sangvine redemiſti. Qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternã dona ei Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

Tum duo Cantores alta voce decantant in medio Chori:

Requieſcant in pace. ℟. Amen.

Et Celebrans intelligibili voce addit:

Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per miſericordiam DEI, requiescant in pace. ℟. Amen.

Prædictis omnibus rite peractis, eo ordine quo venerant, redeunt Religioſi cum Celebrante, cantantes ſequens Reſponſorium:

MEmento mei DEUS, quia ventus eſt vita mea: * Nec aspiciat me viſus hominis.

℣. De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. * Nec aspiciat me &c.

℣. Requiem æternam &c. * Nec aſpiciat me &c.

Recedente Celebrante immittitur corpus Sepulchro, & non priùs, juxta cap: prædicta ex P. Bauldry. Finito ℟. Celebrans adhuc unâ cum Miniſtris (quia & Subdiaconus jam depoſuit Crucem prope Credentiam) ſtando ante infimum Altaris gradum, cantando in tono feriali dicit: Pater noſter, *ſecretò uſque ad:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui N. ut defunctus ſæculo tibi vivat; & quæ per fragilitatem mundanæ conversationis peccata commiſit, tu veniâ miſericordiſſimæ pietatis ab-

ſterge. Per Chriſtum Dominū noſtrū.
℟. Amen.

Deinde Celebrans cum Miniſtris recedit in Sacriſtiam, & Chorus ultimatò decantat Antiph: Salve Regina &c. *juxta morem Provinciæ.*

CAPUT X.

De Sepultura Fratrum Converſorum, & Oblatorum.

F*Acta exportatione Cadaveris ad Eccleſiam, modo ſupra expreſſo, abſolvatur Officium Defunctorum totum. & Miſſa de* Requiem *celebretur ab aliquo ex PP. Finitâ Miſsâ Celebrans deponit Planetam & Manipulum, accipit Pluviale nigrum. Miniſtri ſacri etiam ſua deponunt Manipula; & Subdiaconus ſumpta Cruce, medius inter duos ceroferarios cum cereis accenſis, procedit, & locat ſe ad Caput Defuncti, ſcilicet inter feretrum, & portam Eccleſiæ, in medio; Celebrans autem, comitante à ſiniſtris Diacono ad pedes, recedens parum ad cornu Epiſtolæ, ne terga vertat Altari. Religioſi circumcirca conſiſtent, & quidem juniores prope Crucem, & ſeniores propè Celebrantem.*

Omnibus ſic diſpoſitis, Celebrans abſolute incipit conductum funebralem ab Oratione Non intres in judicium &c. *& tota Sepultura fit, ut in Rituali Romano pro Regno Poloniæ exprimitur, videlicet dicta à Celebrante præfata oratione canitur Reſp:*

 Libe-

Libera me Domine de morte æterna &c.

Et eo finito, Chorus canit: Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *Tum Celebrans, dicto, clara voce* Pater noſter: *reliquum ſecretò complet, aſpergit, & incenſat Corpus, decantat in tono feriali* ℣℣. *& Orationem:*

DEUS cui proprium eſt misereri &c.

Finita oratione Corpus defertur ad Sepulturam, & cantatur Antiphona:

In Paradisum deducant te Angeli &c.

Deinde inchoata tantum Antiph: Ego ſum, *à Cantoribus inchoatur Canticum Zachariæ, & à Choro perficitur; quo finito, & Antiphona repetita, chorus decantat:* Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. *& Celebrans dicit clara voce:* Pater noſter: *interim aſpergit, & incenſat Corpus, & tumulum, tum decantat:* ℣℣. *cum Oratione* Fac quæſumus Domine &c. *quâ finitâ, & dicto à Celebrante* ℣. Requiem æternam dona ei Domine, *duo Cantores alta voce concinunt* Requieſcat in pace. *&* ℟. *à Choro* Amen. *Celebrans ſubdit:*

Anima ejus, & animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam DEI requiescant in pace. ℟. Amen.

De-

Demùm à Sepultura revertentes Religiosi in Chorum, unâ cum Celebrante recitant alternatim Psalmum 129 De profundis clamavi &c. *cum* ℣. Requiem æternam &c. *& jam recedunt in pace unusquisq; ad opus suum.*

CAPUT XI.

De absolutione pro Defunctis absente Corpore.

S*Ancta, & salubris est consvetudo Monasteriorum Congregationis nostræ, quòd à die obdormitionis in Domino alicujus è Fratribus, seu Patribus nostris, statim quotidie per dies Triginta continuos, absolvuntur totidem Missæ Sacrificia pro anima ejus: Et in Refectorio, locus ille, quem obtinebat in vita, signatur imagine Crucifixi, ita, ut nullus ibi sedeat, sed portio Religiosa in Refectione apponitur, ut pauperi tribuatur. Hic autem mos non tantum in Monasteriis Regni nostri viget, verùm, & in Congregatione Bavarica, ac Congregatione montis Serrati Hispanien: aliisque permultis; ideoque ut in posterum inviolabiliter servetur, superiorum vigilantia, suâ indefessâ curâ providebit.*

Insuper tamen justum, & æquum esset, ut diebus III. VII. & XXX *ac ipso Anniversario primo, specialis pro defuncto Confratre fiat devotio ad normam Congr: Bavaricæ. Itaque illis supra specificatis ab obitu, vel depositione diebus, saltem unus Nocturnus cum Laudibus Officii Defunctorum recitari in Choro debet, & Missa illa de Tricesima sit cantata. Quâ finitâ Re-*

ligiosi congregati procedent ad locum feretri, vel ad lapidem sepulchri, & Celebrans deposita Casula, & Manipulo, capiet Pluviale nigrum & subsequetur Religiosos, præeunte cum Cruce saltem aliquo Acolytho, superpelliceo induto. Sicque constituti circa feretrum, seu pannum mortuorum extensum, absolutè cantant Responsorium:

Libera me Domine de morte æterna &c. *ut suprà.*

Ad finem hujus Responsorii Celebrans imponit & benedicit incensum. Tum decantato à Choro:

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Celebrans dicit intelligibili voce: Pater noster: *quod secretò recitatur ab omnibus. Et tunc Celebrans capit aspergillum, cum aqua lustrali, & elevante saltem aliquo Acolytho fimbrias Pluvialis, circumiens pannum mortuorum aspergit aquâ benedictâ trina vice ad latus dextrum, & trina ad latus sinistrum, non ampliùs, facitq; profundam reverentiam Cruci, & Altar. transeundo. Reversus ad locum suum Celebrans reddit aspersorium, capit thuribulum, eodemque modo incensat, quo asperserat. Tum cæteris adhuc genuflexis, ipse stando dicit sequentia:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.

℣.

℣. Requiescat in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

QUæsumus Domine, ut animæ ſamuli tui N. (*ſi fuerit Sacerdos, ubique additur:* Sacerdotis) cujus depoſitionis diem Tertium, *vel* ſeptimum, *ſive* Trigeſimum, *aut* Anniverſarium commemoramus Sanctorum, atque Electorum tuorum largiri digneris conſortium: & rorem miſericordiæ tuæ perennem infundas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.
℟. Amen.
℣. Requiem æternam dona ei Domine.
℟. Et lux perpetua luceat ei.
Et duo Cantores: Requieſcant in pace.
Chorus ℟. Amen.

His perſolutis eo ordine recedunt, quo venerant. Hæc itaque devotio in tota Congregatione noſtra Benedicti.

dictino-Polona, per omnia Monasteria peragi debet, pro quocunque defuncto ex nostris Confratribus Religiosis, ut eis, quantùm possumus, succurrere non negligamus, quia Sapientia æterna vicissitudinem nobis appromisit: Luc: 6. 38. *his verbis:* Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Hic adhuc generaliter est advertendum; quod in omnibus Collectis pro Defunctis, nomen dignitatis exprimi debeat; & sic pro Sacerdote, in Collecta: Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes, *dici debet* Sacerdotali. *pro Abbate verò Mitrato, juxta Rubricam Brev: Emsidlen: & Campidon: ac Missalis Monastici Campidonen: dici debeat:* Pontificali, *& non Abbatiali, propter concessum usum Pontificalium. Ita pariter declarat,* Cærem: Bavar: P. IV. §. 14 pag: 308.

CAPUT XII.

Preces post Completorium recitandæ in Choro.

UT *uniformitas, ex omni parte vigeat in Congregatione nostra, non tantum in Horis Canonicis recitandis, verùm in particularibus precibus absolvendis, ideoq; hanc operis ultimam partem, declaratione precum, post Completorium, quotidie in Choro recitandarum, seu (ut alii vocant) in Oratione dicendarum, concludimus; sperando, quod in his, quæ pietatem augent, devotionem erga Sanctos excitant, nobisquè præsidium conciliant, ac tutelam, pariformiter omnes acceptabunt; præsertim cum jam plurima Monasteria usu receperunt.*

Itaq;

Itaq; dictis Litaniis de B. V. MARIA, (aliæ enim Litaniæ quia non ſunt approbatæ ab Eccleſia recitari non debent.) Quibus finitis dicitur Antiph:

SUb tuum præſidium, confugimus Sancta DEI Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus noſtris, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, & benedicta: Domina noſtra, mediatrix noſtra, advocata noſtra, tuo nos Filio reconcilia, tuo nos Filio recommenda, tuo nos Filio repræſenta.

Commendatio B. V. MARIÆ.

O Amabiliſſima Virgo MARIA! Congregationum fidelium, ac præcipuè Religioſorum Mater, ac protectrix, qui in tua protectione militant, ac favore tuo regularem diſciplinam obſervant; memor eſto hujus minimæ Congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio, eam promove, & in poſterum conſerva, noſque ut clientes tuos reſpice: pauperta-

te, castitate, obedientiâ, humilitate, & spiritu orationis conspicuos effice, & ab omni malo, præsertim relaxatione defende.

℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

DEfende, quæsumus Domine, Beata MARIA semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam; & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitiùs tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Cum SS. P. N. Benedictus Beatæ Gertrudi revelaverit; L. IV. c. 21. quod quicunque eum admonere studuerit, illius dignitatis, qua stans, & orans obierit, huic in hora mortis tali fidelitate promisit adesse, ut opponat se ex omni parte insidiis inimicorum, nocivius contra talem devotum sævientibus. Ad implorandam ergo hanc specialem gratiam in hora mortis, sequentia adjungantur ex Brev: Monast: Venet: Antiph:

Stans

STans in oratorio dilectus Domini Benedictus, Corpore, & Sanguine Dominico munitus, inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cælum manibus inter verba orationis spiritum efflavit: qui per viam stratam palliis, & innumeris coruscam lampadibus, Cælum ascendere visus est.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini.

℞. Propterea decorem induit te Dominus.

OREMUS.

DEUS qui pretiosam mortem Sanctissimi Patris Benedicti tot, tantisque privilegiis decorasti: concede quæsumus, nobis; ut cujus memoriam recolimus, ejus in obitu nostro beatâ præsentiâ, ab hostium muniamur insidiis. Excita Domine in Ecclesia tua Spiritum, cui beatus Pater Benedictus Abbas servivit: ut eodem nos repleti studeamus

amare quod amavit, & opere exercere quod docuit. DEUS qui animam beatæ virginis tuæ Scholasticæ, ad ostendendam innocentiæ suæ viam, in Columbæ specie Cælum penetrare fecisti: da nobis ejus meritis, & precibus ita innocenter vivere, ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, debet fieri Aspersio Aquæ benedictæ à Superiore, cum Antiphona:

Asperges me, &c. ℣. Miserere mei Deus &c. ℣ Gloria Patri &c.

Et repetita Antiphona dicitur Psalmus 129. De profundis clamavi &c. *cum* ℣. Requiem æternam &c. *postea ab Hebdomadario dicuntur* ℣℣.

℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine &c.
℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

DEUS, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos: Clementem summâ Pontificali, Christinum, N.N. Pontificali fecisti dignitate vigere; præsta quæsumus: ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

DEUS veniæ largitor, & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam; ut nostræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata MARIA semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Fidelium DEUS omnium Conditor, & Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis suppli-

plicationibus consequantur. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Hic jam tandem coronidem operi (licet vilissimo) impono, in quo, si eâ, quam res ipsa postulare videtur, dignitate tractaveram, Patri luminum referendæ sunt grates; si quid verò in iis, reprehensione dignum benevolus lector offenderit, tenuitati meæ concedet. Quæcunque tamen in his septem Partibus scripta, & exarata sunt, ea irrefragabili Sacræ Sedis Apostolicæ judicio volo esse subjecta, in cujus sinu vivere, & mori desidero. Cæterùm hoc unicum votum, Sacræ Regulæ cap. 57. conforme, vellem esse perpetuum.

UT IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.
ET IN EO
BEATISSIMA VIRGO MARIA SINE LABE CONCEPTA.
NEC NON
SANCTISSIMUS PATER AC PATRIARCHA NOSTER
BENEDICTUS.



FOR-



F O R M A

Inſtituendi Abbates Quinquennales in Congregatione.

Rmus Præſidens præmiſſo gravi ſermone, quo Electi Abbatis merita commendabit, & Officii Paſtoralis gravitatem inſinuabit, Electum primo ad Profeſſionem Fidei ſecundum Decreta Sacro-Sancti Concilii Trident: admittet, tandem ad Collationem Inſignıorum Abbatialium deſcendet ſub hac vel ſimili forma.

Crucem imponendo.

ACcipe igitur Rndme neo Electe Crucem Pectoralem Sanctorum decoratam Reliquiis, quæ Tibi in memoriam ſemper revocet Aram Jllam ſupremi Paſtoris Chriſti, in qua animam ſuam posuit pro Ovibus ſuis, & pro Grege ſuo mori dignatus eſt, cujus exemplum & charitatem in commiſſis Tibi Ovibus imitari ſatage, ut eas & ab hoſtibus infernalibus ſtrenue defendas, & pro Jllarum ſalute Te Ipſum exponere non metuas.

Ad



Ad Annulum.

ANnulum Pontificalem Dexteræ Tuæ imponimus, ut quia in ſponsum Eccleſiæ Tuæ es Electus, & Ei, & Jlli, qui Te elegit Fidem intaminatam ſerves, eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabit Tibi Dominus Coronam vitæ.

Ad Mitram.

DEcus Sacerdotii Galeam ſalutis Capiti Tuo imponimus, ut contra nequiſſimi inimici tela ſemper in offenſas evadas. Deinde Authoritate Privilegiorum a Sacra ſede Apoſtolica mihi hac in parte conceſſa, Ego Te Abbatem V. Monaſterii N. riti & Canonici Electum creo, & ad omnia Privilegia Abbatibus conceſſa admitto, Regimen Spiritualium & curam temporalium juxta præscripta Regulæ Sacræ & Inſtituta Regularia Tibi committo in Nomine Patris † & Filii † & Spiritus Sancti † Amen.

Dein-



Deinde intonatur Hymnus Ambroſianus. Electus Pontificaliter introducitur in Eccleſiam, Poſſeſſionem accipit (ſi eſt in ſua Eccleſia) & obedientia eidem exhibetur. &c.

Inſtitutio Prioris Neo-Electi.

INſignia cujusvis dignitatis ſuſcepti Officii nos admonent, ut per ſigna exteriora, quæ accipimus, interiori ſpiritu excitemur ad ſtrenue obeundas muneris noſtri partes, quatenus dum has glorioſe obiverimus, in Die Retributionis gloriemur, & Illam ſvaviſſimi Domini & Juſti Judicis audire mereamur vocem: *Euge ſerve Bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in Gaudium Domini Tui.* Inſignia porro Officii Prioralis ſunt: Regula Sacra, Disciplina, & Sigillum Monaſterii: quæ totam Officii Prioralis ſeriem in ſe complectuntur. Cuſtodiam nempè Legum in Regula, Rigo-



rem Monaſticæ observantiæ in Disciplina, Fidelitatem Monaſterii in Sigillo.

Tradimus ergo A. R. Paternitati Regulam Sacram, memorem eſſe volentes, quod hæc ſit Lex, qua in Officio ſuo Priorali regi & regere debeat. Eam itaq; tam à ſe, quam ſibi commiſſis Sacroſanctè observari faciat.

Tradimus Disciplinam cum poteſtate coercendi delicta Fratrum, eradicandi pravos defectus, persequendi vitia, non tamen Personas in omni autem Charitate & manſuetudine.

Tradimus demum Sigillum Monaſterii ad quascunque publicas Literas muniendas, ſine præjudicio tamen noſtro & communitatis.

Deinde Ego A. R. P Creo Priorem hujus Monaſterii, & pro felici ejuſdem


Gu-



Gubernatione Paſtoralem ac Paternam Benedictionem adjungo in Nomine Patris †. & Filii, †. & Spiritus Sancti, †. Amen.

Deinde [redacted] *Electus Prior introducitur in Eccleſiam cum Hymno* Te DEUM laudamus, *& ſuper Proſtratum recitatur Oratio, quæ eſt in Commentaria Calmeti ſupra Regulam SS. P. Bened:*

& Hic in hoc Cæremoniali Part. VI. Cap. XI. pag: 73. &c.





SERIES INDULGENTIARUM.

Quibus ex præscripto Sanctissimi Domini Nostri Pauli Papæ Quinti utriusque sexûs Regulares perfruuntur.

Sanctissimus Dominus noster PAULUS V. Pont: Max: revocans, & abrogans per quoddam suum Decretum Romæ datum die 23. Maii 1606. omnes, & singulas Indulgentias, quibuscunque Ordinibus tam Monasticis, quam Mendicantibus quovis modo antea concessas, easdem ad hujusmodi præscriptum reduxit & moderatus est.

1. IN Habitûs Regularis susceptione, Indulgentiam plenariam ingressuro concedit.

2. Pariter in Professione, Plenariam.

3. In festo principali sui Ordinis, plenariam.

4. In mortis articulo, Plenariam.

5. In prima Missæ celebratione novello Sacerdoti, & Religiosis assistentibus, vel celebrantibus, plenariam.

6. Iis, qui per duas horas mentaliter quotidie oraverint per decem dies &c. pro quolibet devotionis exercitio, plenariam.

7. Qui suam Ecclesiam visitaverint. & pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione oraverint, easdem Indulgentias con-



concedit, quas visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam diebus stationum consequuntur in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.

8. Quinque *Pater*, & *Ave* totidem, ante Altare eorum Ecclesiæ recitantibus in quolibet die. Quinque Annos, & totidem Quadragenas.

9. Quod pariter conceditur iis, qui de Superiorum licentia extra fuerint, recitando eosdem *Pater*, & *Ave* ante quodlibet Altare.

10. Dimidiâ horâ per mensem quotidie mentaliter orantibus, Sexaginta Annos, & totidem Quadragenas.

11. Peccata sua in Culparum Capitulis accusantibus, & Spiritualiter Communicantibus, Tres Annos, & totidem Quadragenas.

12. Inter infideles concionantibus, in discessu, & in ingressu quoque commissæ provinciæ, plenariam.

13. Qui per spatium duarum saltem horarum Orationibus 40. horarum, in generalibus Visitationibus Superiorum, assistentes, ut supra, oraverint; nec non pro disciplinæ, & regularis observantiæ augmento, plenariam.



IN-



INDEX
CÆREMONIALIS MONASTICI.

PARS I.
De Choro, & Horis Canonicis.

PARS II.
De Celebratione Missæ.

§ I.



Ca-



PARS III.

De Ministris ad Celebranda Sacrificia Missæ.

§. 1.

PARS IV.

De variis Ecclesiasticis Cæremoniis.

PARS V.

De præcipuis diebus, & Festis intra Annum occurrentibus.

Ca-



P A R S VI.

De Cæremoniis Monasticis.

Caput




)Mm2(PARS



PARS VII.

De Obsequiis Fratribus infirmis, ac mortuis exhibendis.


UT
IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.
S. Reg: cap: 57.



...nitarum Camaldulensium
...ntis Regii







CEREMONIALE
MONASTICUM